30

7
14 C
30


128

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
9 G
20

7-14-C-30.

Digitized by Google

BIBLIOTECA N





JOANNIS BISSELII,

è Societate JESU,

ARGONAUTICON AMERICANORUM,

SIVE,

HISTORIÆ PERICULORUM PETRI DE VICTORIA, AC SOCIORUM EIUS,

LIBRI XV.

Pertinet ad
Bibliothecam
S. Franci Fran
stybenim
1715.



MONACHII,
Formis LUCÆ STRAUBII,
Sumptibus IOANNIS VVAGNERI
Bibliopolæ.
Anno CHRISTI M. DC. XLVII.

[illegible]

Google

ILLUSTRISSIMO DOMINO,
Domino

FERDINANDO LAURENTIO,

COMITI DE VVARTENBERG,

Domino in VVald, & Hachenburg, Sereniſſimo Electori Bavariæ à Cubiculis, & Conſiliis, Equeſtris militiæ Tribuno; ac Vice-Domino Burghuſiano, &c.

JOANNES BISSELIUS,
è Societate JESU

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

S. D.

ILLUSTRISSIMÆ Tuæ gentis Inſignia, FERDINANDE LAURENTI, COMES, in ipſo ſtatim laborum meorum veſtibulo, velis nauticis inſerta; manifeſtè profitentur: Non *meum* eſſe magis, quàm *Tuum*, hoc *Opus Argonauticũ*. Nec mirandum. Nam, ſi verum *Leges* dicunt (quarum tu

nunc *antiſtes* ac præſes es, *in Norico-rum ſummo prætorio)* NOSTRUM *illud Æs cenſendum eſſe*, QUOD AB ALIIS NOBIS DEBETUR, *tametſi nondum ſit in manu noſtrâ*: quippeni *Tuus* jam tum fuerit, etiam antequam *Tibi, publicóque* daretur, hic calami mei *Partus*? ut, qui profectò *ſub oculis*, pænéque manibus Tuis, *concipi* ſimul cœperit, atque *naſci*. Cùm enim, abhinc triennio ferè, *Te*, ſalutiferi fontis cauſsâ, Rheticas in Alpes ſecedentem, etiam ipſe, cum amantiſſimo tui, germano tuo, *Maximiliano*, ſecutus eſſem; ac diuturnior nos mora *Ladiſii*, non procul Oeni fluminis fontibus, attineret: diſpicere cum cura mecum ipſe ſum orſus; Quonam exercitationis litterariæ genere, minùs arduô, deſides horas fallerem: &, lubricos in pomeridianum ſoporem oculos, ſuſpenderem? Erant tum in conſpectu pleraque propemodum, *alieni* magis, quàm *Europæi*, tum *cæli* tum *ſoli*. Videbamus enim, & ſentie-
bamus

bamus (adultâ quamvis æſtate) *nivales* auroras, nebuloſos *meridies*; inſolenti *calore* flagrantes *veſperas*, atque noctes; *florentes*, ſeneſcente jam Junio, *ceraſos*; rigeſcentes, *in lapidem*, *arbores*, ac fontanos, *è larice*, margines. Jacebant ante nos, nil niſi depreſſæ *Valles*; in immenſum editæ *rupes*; & pererratæ damis armentiſque, ſylveſtres *Alpes*. Monſtrabantur præterea, cœlo, quàm nobis, viciniores, è longinquo *montium vertices*; ſtupendo naturæ prodigio, *ſtagnis* & *lacubus inſeſſi*, ſubindéque copioſo natati piſce: quorum fluctus, impulſi ventis, aut occulto voraginum ſpiritu concitati, tanquam in tonitruûm iras fracti, reboabant. Quid multis? In *peregrinum* neſcio quem *Orbem*, *ex* aſſolitis *Bojariæ campis*, extruſi nobis videri poteramus. quod ut copioſiore fide nobis inſidéret; faciebant alia non pauca, *terris noſtris exotica*. Nam & *metalli pretioſioris* multô ſimulacrô, paſſim ſcopuli

puli micabāt, ſolaribus verberati radiis: &, quà *nitor fulvus* defecerat, *cryſtalli* ſphengitæq́; fulgor *argenteus* ſuccedebat. Nec deerant, qui, deſignatîs locorum ac menſium limitibus, nobis *Auri* neſcio quos, & *obryzi* fluidi, *fontes* prædicarent; ſive ſuo, ſive rumoris publici, ſenſu. Certè quidem latentis *exuberantiſque* terrâ ſuâ *pretii*, monſtrabant argumenta, populis illis receptiſſima: FLORES, rariſſimi coloris & germinis. in quibus, adhuc meminimus, teſte dexterâ *Tuâ* (cuj ſunt oblata) *tranſmarini* prorſus *generis* LILIA; medias inter Alpes, conſueto cæteris caule, coloréque croceo ſurgentia: cæterùm, *foliorum* inſolenti *fertilitate*. Nam hæc elementorum *Alphabeti Græcanici numerum*, ſingulis in liliis, æquabant. Ne longior æquo ſim: tam *peregrinâ locorum imagine*, *mens* tunc ablata mea; *cœpit* ipſa quoque *peregrinari*: proptérque tot *cœli diverſiſſimi* ſimilitudines, effigiem ſibi quandam

dam

dām *horridioris*, ſed Auriferæ tamen, Americæ proponere: cœpit quoties cœruleſcentē, neſcio quam ſegetem (ſiliginis abortum) aſpiceret; Mexicanum ſibi Mayzium in animo pingere: cœpit, viſo *Rhaticóne*, cum arctis *Engadinorum* vallibus; ſibimet *Peruvii* montána *Tramontanáque* fingere. Donec, imaginum ejuſmodi crebro recurſu, demum *illud deſiderio ſedit, quod ſederat ingenio:* lubuitque, *ſtylum ſaltem ſucciſivum*, deducere per *Occidentalis Indiæ* proximam quamque *Rerum memoriam*. Commodum autem fuit, ut in Petri Victoriæ brevem *Commentariolum*, ſub eas ipſas horas, inciderem; dum ſarcinularū mearum abſtruſa ſcrutor. Ejus laboris, pæne jam in fabulæ ſuſpicionem defluentis, ex ipſa brevitate; miſerationem pariter & cupiditatē concepi, quàm primùm in Historiæ juſtæ volumen redigendi. Quapropter ego tertiò pòſt, quàm adveneram, die, manum con-

 feſtim

feſtim admovi: quotidianáque, ſub *luminibus* Tuis, & aſpectu, *lucubratione*, *nihil* fortaſſe quidem *ad Ariſtophanis & Cleanthis lucernas*, aliquid tamen ad ſtomachum meum, & animi flammam, perfeci. Nam *Tres primos* illic *libros*, ut meminiſſe potes, expedivi. *Pauciores* ne concinnarem, pręſentiæ tuæ creber interventus effecit; qui *dormiturientem* ſtimulabat: Ne *plures* autem; temporis arctæ leges, & *Tua*, pro mea valetudine, gratioſiſſima *ſollicitudo*, præſcripſit; crebrum *laboribus frænum injiciens*. Uſqueadeo, pulcherrimo temperamento, conatus meos & *incitabas* pariter, & *inhibebas*: digniſſimus, hac tuâ ſuavitate, qui novus *Scipio*, novus *Gajus Mæcenas*, *Alphonſúſque Siculus*, audires; ſiquid in me melioris *Ennii*, ſiquid *Maronis*, & *Panormitani*, reperîſſes.

Regreſſus porrò *Tecum* & ex *vallibus* Oenanis, *campo* terrarum ac litterarum reſtitutus; *reliquos Argonauticôn*

ticôn duodecim libros, partim *Monachii*; *Landſpergæ* partim, prioribus illis adjeci, per diverticula curarum, & otiū; quantulumcunque mihi *Suggeſtus* indulſit *Eccleſiaſticus.* Nam, qui ſolet in lapide quoque, violenter impulſo, durare, neque ſtatim concidere, volantis impetus; idem in me, *Tui Nominis*, ac recordationis auctoritate (quanquam inter difficultates non paucas) perennavit: affectum ſcriptionis fovit, & protruſit: quoad in meta denique ſuſcepti laboris, ſeipſo defungeretur: operíque ſummam manum imponeret.

Hinc ergo prodiit, *Tibíque nunc* ad obſequia præſtò ſit, toties promiſſus ille PETRUS; ille, *Iaſone* melior, & priſcis *Argonautis* veraciór, VICTORIA; quem hiſce, quos paullò priùs demonſtravi, titulîs patrocinio *Tuo* debitum, tametſi deſponſus non eſſet; favoris tamen in me *Tui*, beneficiorúmque grata recordatio, jure pleniſſimo *Tibi* tranſſcriberet. Cùm

Tuus igitur *in ſolidum* ſit; reliquum eſt, ut, legitimi ritu poſſeſſoris, in ejus Navim *pedem ponas*: & PETRUM hunc univerſum, *Tuis* ſolius obſequiis *mancipatum*, *manu capias*; non ut *Patronus* duntaxat, ſed etiam (ſi quod aliquando *Tribunalis* tui curæ tibi reſpiraculum indulſerint) *ut Lector*. NON *Tu* quidem (fateor) parem in hac hiſtoria, *Tuis Tuorúmque* geſtis *cothurnum* invenies. nam, demiſſioris argumenti *ſoccis* uſus, primi Scriptoris candor; ſine manifeſtiſſimo *Veritatis* adulterio non poterat ad grandiora, per figmentum, inſurgere. NON hîc ergò leges, inquam, *Sereniſſimi Genitoris Tui*, FERDINANDI *Ducis*, Martium ſpiritum: cujus arma victricia ſenſit, defenſa quondam *Colonia*; redacta ſub obſequium *Bonna*; fugatus *Infulæ profanator*, & in *Batavos* ejectus; expugnatæque tot validiſſimæ munitiones & oppida. NEC Tuametipſius quidem hîc caſtra, bellicáque geſta, FERDINANDE

LAU-

LAURENTI, reperies; quæ *Tu* ſub ſignis quondam *Tillianis*, uni primùm, mox geminis legionibus *Tribunus* & *Ductor* impoſitus, fortiter expediſti. Sed, quanquam Operis hujus *Acta* nihil *ad Te*, *Tuáque* pertinebunt; quippe, tota *memorandis Americanis* impenſa: nihilominus tamen haud pauca *meorum leviorum*, admonere te legentem *Tuorum* poterunt *graviorum*. Ità, cùm hîc *flumina*, cùm *torrentes* crebros, cùm *aſtuaria maritima* pervolves, ingenti cum diſcrimine ſuperata; tunc animo recurrent, perſultati *Tuis* à turmis, perſtricti *Tuis* armis atque conflictibus, & hoſtili cruore tincti, *notiſſimi* Germaniæ *fluvii*; *Rhenus*, *Albis*, *Allera*, *Lupia*, *Viſurgis*, *Odera*. *Moſella*; quóſque referre, prolixum foret. Cùm in *naumachiam* incideris *Hiſpano-Scoticam*; cujus *pars magna*, PETRUS meus, adhuc *parvus*, fuit: tecum ipſe recoles, *Baltici* maris inſulam, *Vſedomum*; turmis tuis, & tuómet Marte, Cæſa-

ris in obſequio retentam;n c minùs, conſertas cum *Cimbri* , cu n *Batavis*, cum *Gothis*, *Cattiſque*, proſpero ſæpe congreſſu,manus. Subibit animum, captus ad *Dorſtam*. cæſis *Haſſis*, *vigiliarum ſupremus Præfectus* : & occupatæ virtute tuâ validiſſimæ munitiones, *Firſtenavienſis*, ac(quam olim *Sereniſſimus* quoque *Pater Tuus*, ſed operoſiore molimine, ceperat) *Reklinghuſiana*. Nec poterit præterire memoriam *Tuam Haſſorum* ingens & inſolens, non jam *miles* tantùm, ſed prorſus *exercitus*: cùm in Tuas,quas tum *ad Monaſterium*, *VVeſtphalorum metropolin*, ſtationes habebas, id eſt, *Legionẽ unicam*; improviſus & *veſpertinus* irrupit. Cujus tu,cùm in oculis civium, vim longè ſuperiorem, cum pauciſſimis obfirmatè ſuſtineres;alas aliquot, turmáſque *delêſti*; reliquam aciem omnem, cùm *cedere coëgiſſes*, tamen inſectatus adhuc es: & *in tergis fugientiũ ferro ſcripſiſti* longè memorabiliorem, quàm quiſquam noſtrum

ſtrum in *chartis* calamo, *Victoriam.* Quid? quòd & circumventus tandem & diſpoliatus à barbaris, *Petrus* meus? olimque DEIPARÆ præſidio *ſervatus* inter fluctus; *Tua* quoq; tibi fata, læva juxtà, ſecundáque, renovabit? Quando per proditionem *Tu* quoq; *captus* ab *Haſſo Batavus* (nam militiam miſcuerant) jámq; *diem plus decimum*, ducentis hoſtium ſtipantibus, varia per loca raptatus es, inermis, ſeminudus, impaſtus: ut Veſaliã primùm, & hinc Francofordiã abſtrahereris, *Regi tranſmarino* ſiſtend⁹. In quo rerum articulo, ſtantibus jam *ſub acie novacula* fortunis Tuis, non *Tu* quidem, ut PETRUS meus, DEIPARAM; ſed, *Deipara* conjunctiſſimam MAGDALENAM, in vota cœlô devocâſti. Nec illa vocanti defuit; ſed, *quibus olim precibus quatriduanum fratris ſui buſtum, in Vitam: iiſdem ea Libertatem Tuam, per tot jam dies conclamatam, in tutum repoſuit*; immiſsâ divinitus Trevirenſi, neſcio cuj, Tri-

buno mente; qui, cum pauciſſimis multitudinem aggreſſus hoſtilem, *Te*, non abſque prodigii clariſſimis veſtigiis, in pedes & incolumitatem, reſtitueret: & hoc quidem, *nondum evolutâ temporis metâ*, quam Voto ſpeique tuæ tute præfixeras. Quod *Tu* Cœli de te grande meritnm, haud aliter, ac VICTORIA noſter, *litatione ſollemni* quotannis, & animo gratiſſimo, recolere gaudes, in Oetingano *Liberatricis Tuæ* Templo: tantò Te profeſſus obligatiorē, quantò tunc Te meminiſti, caſtris Tuis *majore cum gloria* reſtitutum. Namque vinculorum indignitate vixdum exſolutus; raptim, & à veſtigio primo recuperatæ *Libertatis*, contractîs, quantulas potuiſti, copiis: *Ducem eundem*, cujus nuper in manus per dolum incideras, es ultrò perſecutus. Eum, arce licèt, & præſidio firmô ferocem, obſidione tamen aggreſſus; imperata coëgiſti, mox & vincula *Tua*, victum accipere: bonîs omnibus ſucceſſui

Tuo

Tuo plaudentibus, & vulgatum illud acclamantibus; CEPISTI, QUI TE CEPERAT! Quo *Tu* factô, COMES fortiſſime, *Cæſarem* nobis *Dictatorem*, poſt tot ſæcula, revocâſti: quí comprehenſus quondam à prædonibus, ad *Pharmacuſam* Inſulam; ac, lytro perſoluto, tandem expoſitus in littore: continuò, deductâ claſſe, piratas illos ipſos perſecutus, ac nactus; primùm eos in compedes, deinceps & in crucem, compegit.

SED, quò (quæſo) quorſúmve, *præter oleas* (quod dicunt) *& deſtinata* feror? atque, dum *Nuncupatoriam* meditor; *Hiſtoriam*, & pæne *Librum* jam ingredior? Nempe, plus dicere non volueram: quàm, *Argonauticôn* meorum lectione, multam *Tibi* veterum Tuorum, tam *Geſtorum*, quàm *Periculorum*, memoriam, obiter occurſuram. Quare *volens favénſque* Libros hos cape, COMES *Illuſtriſſime*: PETRIQUE noſtri NAVEM hanc, ſub inclyti Nominis & INSIGNIUM

Tuorum

Tuorum VELO, permitte quieſcere: *ſecuram* utique (ſi *Tutelam* ſpondeas) & indemnem, adverſùs injuriæ cujuſvis procellas, futuram. Nam, ſi *Myrmécida* ſculptam *Quadrigam*, & hujc inſidentem *aurigam*, alîs ſuîs etiam *Culex* potuit, aut *Muſca*, tegere: *Palladis* hunc & *Neptuni Currum maritimum*, id eſt, ARGO *meam*, non multò latiùs feliciúſque proteget LEO *Tuus*? Cujus vel ſolum *Caput*, *regio décore conſpicuum*; meis ARGONAUTIS *auſpicium* facit ſecundiſſimum, & *priſcis* omnibus inconceſſum. Nam, quam illis *revehere*, magnum erat, poſt curſum; nobis (ab ipſo ſtatim portu) donatum eſt, *emittere*, Navim *Coronatam*. Vale, Comes Illuſtriſſime. Monachii 3. Non. Maji.

AUCTOR.

AUCTOR
LECTORI BENEVOLO.

SUper Operis hujus inſtituto, conſilióque; nec non, de ſcribendi ratione, geſtorum Veritate, déque Tituli cauſsâ & explicatione, quid ſentire, Lector amiciſsime, debeas: commodiùs non potes, quàm ex ſubnexa ſtatim epiſtolâ, quâ doctiſsimum Amicum ſum allocutus, intelligere. Quam Tu proinde ſine gravamine, ſi vacat, percurras licet: Unde, tanquam ex littore, totam hanc ARGO *noſtram, eminus priùs contemplerìs; ne prorſus in eam hoſpes,* &, ſine Palladis ductu *(quod ajunt)* in Palladis fabricam, *intres.*

JOANNI SAMSONI,
Viro Clariſſimo,
Reip. Monaſterienſis, apud Weſtphalos, Archiatro. S.

QUID agam nunc, aut in quo ſe ſtudio curæ meæ fatigent, tertiùs jam, iiſque ſollicitis litteris, interrogas, SAMSON, Amicorum veterrime. Non committam, ut longiùs differam exſpectationem tuam: ſed, quanquam adhuc multo Marte viis infeſsis; aliquid ad te conatuum meorum tranſmittam: in penna tamen duntaxat & charta. Vellem equidem, eâ felicitate, quâ Cæſaris quondam, ad Q. Ciceronem epiſtola; per medias hoſtium acies, ad tragulam amento deligata, jactu pervolaret! SIC igitur, poſt longum intervallum, de me, Vir Clariſsime, quod nôris, ac teneas, habe per compendium. Ex quo tempore divulſa noſtra, non animorum, ſed corporum, mutua præſentia fuit; cùm tu, nobis invitiſsimis, ad Eburones, puto, tuos, noſtratis cœli faſtidio, regredereris: ego, non pleno pòſt interpoſito menſe, Ratiſponam, ſecundo Danubio, defluxi. Clauſis autem tunc, Suecici fremitûs formidine, publicis ut plurimùm Lycæis; vel certè timidiùs tonantibus Muſis, ut in Pythagoræ Sigéa crederes pleraque tum Athenæa demigrâſſe: tunc demum amicorum aliquot, Tullii, Bruti, Pomponiique repetitis exemplis, de privato quodam Tuſculano nobis circumſpicere cœptavimus: &, Academiæ

cujuſdam

cujuſdam umbraticæ titulo, non ut Arpinas Orator, ad Platanum, ſed ad arborem tamen, ni fallor, Mori, quotidie pactîs horîs, ad ſtudiorum veterum exercitamenta repolienda, coire; ne, contracto ſitu, ſqualerent ac ſeneſcerent. In his litterarum collegis erant, qui vivunt etiamnum, & quorum tu pleroſque noſti, Georgius Ahenobarbus, Didacus Oryzius, Sebaſtianus Summontius, Magnentius, Lagus, Apellius, Renvvardus, ac cæteri; Rheni pariter, & Iſtri riparum alumni: nunc, multarum in litterariis Olympiis coronarum, viri. Scis; cùm Ingolſtadii ſimul eſſemus, & uterque noſtrum Illuſtriſsimos Regni Polonici Palatinos Nieſvvyzios, Alexandrum ac Georgium, fratres germanos, ad Eloquentiam formaremus; ego de cathedra, tu domeſticis palæſtris: ſcis, inquam, & meminiſti, quàm crebra nobis, ac pæne quotidiana, diſſertatio, mutuos per dialogos, intercеſſerit, ſuper conſummatiſsimo, non ſolùm Facundiæ, ſed etiam Hiſtoriæ, tum opere, tum diſcrimine, delectúque: cùm ego meam tibi diſcutiendam Adelphidem, tu Bertii curas Geographicas (Rerum geſtarum condendis narrationibus planè neceſſarias) utendas dares. Qui tunc igitur utrique noſtrum; idem poſtea, te jam à nobis digreſſo, ſermo recurrebat, in meridiationibus illis Academicis: ſuper Hiſtoria plerumque, ſupérque diverſis ejus generibus, agitari ſolitus; idque ſpatio pluſquam ſemeſtri, partim inter dictamina, partim inter experimenta declamatoria. Præcipua tamen, & diu fuit, ac frequentior, Commentariorum mentio: de quibus, quod res erat, diſſerebamus. Semen eos eſſe quoddam, ac veluti Plantarium diffuſioris, & ex profeſſo ſe ſpargentis in grandius volumen, Hiſtoriæ. Commentariorum eſſe; nudam ponere, ſine comptu, ſine veſtium luxu, colorúmque pigmentis, & certè ſuccinctiſsimam, Geſtorum veritatem: cujus è ſimpliciſsima narratione, paratum (ut in Bruto ſuo Cicero loquitur) habeant, unde ſumant, qui velint operoſiorem hiſtoriam ſcribere. Sed è diverſo; ſpatioſioris, &, velut adultâ jam ſegete, per ampla camporum luxuriantis Hiſtoriæ, partes eſſe; non jacere brevia per conciſas narratiunculas ſegmenta rerum; ex quibus Lector plus habeat, quod divinet, quàm quod ſciat, ac teneat: ſed potiùs plenîs quaſi manibus ac volis diſpergere totum illud, quod dicendum eſt, ad rerum captum. Nec id quidem uſquequaque ſollertis Hiſtorici videri, parcè ſeminantiũ more, dicere quædam pleniùs; & omittere plurima: quaſi rei geſtæ lacunis quibuſdam, per intervalla, relictîs; ſed potiùs implere ſulcos paritèr atque porcas (ut ſic cum Varrone dicam) deſcriptionibus, judiciis, dictaminibus, documentis, digreſsiunculis, concionibus, ſuaſoriis, diſſuaſoriis, affectibus. In ſumma denique, Conditoris rerum geſtarum plenioris, eſſe; non incedere per ſumma tantummodo narrandorum faſtigia; ſed potiùs ſtylum ad negotiorum, quæ percenſet, radices, ac profunda, demittere: vel in explicandis (ut Tullius ad Lucceium diſſerit) re-

rum

rum novarum cauſis, vel in remediis incommodorum; cùm & reprehendit Auctor ea, quæ vituperanda ducit; &, quæ placent, exponendis rationibus, comprobat: &, uno verbo, liberiùs agit, quàm Commentarii ſcriptor: cujus multò reſtrictiores eſſe limites debent. Ad hunc ferè modum Commentarios ſuos, de bello Gallico, C. Cæſar feſtinavit, inter medias caſtrorum turbas (Hirtio teſte): qui Salluſtio cuipiam, aut Livio ſucceſſuro, præberent quondam argumentum poſſent operis amplioris. Ac tametſi ſanos Cæſar à ſcribendo deterruit, etiam inimico Cæſaris atteſtante; non tamen id naturâ factum eſt Commentarii, ſed felicitate facundiâque primi ſcribentis: qui, gloriâ dictionis & ubertatis longiùs ablatus, legitimum Opus compoſituris, non tam adumbrationem fecit actorum ſuorum, quàm prorſus umbram & caliginem, ſplendore ſui. Pari ratione, M. Tullius, ſui Conſulatûs Commentarium, Græcè ſcriptum, miſit ad Poſidonium, hominem Græcum; ac mox alium, Latinè confectum, promiſit ad L. Lucceium, rerum Romanarum conditorem: ex quibus uterque deducerent plenioris & ornatioris Hiſtoriæ corpus. Vt prætercam Q. Curtium Ruſum; cujus Decem de geſtis Alexandri regis Libri, planè non aliunde videntur, quàm ex Ariſtobuli, Nearchi, Megaſthenis, & Ptolemæi Lágidæ compendiis, in tantum, tot deſcriptionibus Concionibúſque refertum Opus, excreviſſe. Nam deſcriptionum quidem illam, & Orationum militarium, venuſtatem atque copiam, nec apud illos, quos memoravi; nec apud ipſummet Arrianum, illis longè poſteriorem, reperias. Omitto Madaurenſis Philoſophi mentionem ac teſtimonium; ut cujus, vel ob ſolam obſcœnitatem, & novati ſermonis horrorem, minoris habenda ſit auctoritas, quàm ratio. Quem ſanè tamen conſtat; Luciani, Sophiſtæ Græci, librum, qui Lucius, & ΟΝΟΣ, inſcribitur, non plus decem, aut duodecim foliorum opuſculum; in Grandiſsimum Aſinum, & Vndecim librorum Metamorphoſin, extendiſſe: nominibus tantùm immutatis; & Lucianæi ſermonis anguſtiis, in latiſsimum narrationis campum eductis. Sed eorum neutrum, in Hiſtoricorum non modò curiam, verùm nec in Senaculum quidem admittimus; quippe læſæ Veritatis ac Pudoris reos; & præter hoc, Fabulatores. Mihi verò nunc de Commentariis, &, rerum veriſsimarum Actis, Digreſsio ſuſcepta fuerat; fortaſſe longior, quàm vel tua, Sampſon doctiſsime, patientia ſufferret: vel Epiſtolæ leges reciperent. Sed tu memineris, quoties meas, tanquam debitum, exegeris; & de ſilentio diuturno queſtus ſis? Nunc igitur & Epiſtolam habes, velut Officium Amicus: & Prolixam, ceu Sortem ſuâ Creditor, cum fœnore. Quò pertinuit igitur (inquis) hæc tua de Commentariis & Hiſtoriis excurſio? Statim intelliges; me non præter Caſam evolâſſe. Tu namque, Quid agerem ego, frequenter interrogabas. Ego, quò planiùs quæſtionem explerem Tuam; tantò coactius ſum altiùs, & à fonte, procœmiari. Nunc igitur in viam revertor,

vertor. Illius Academicæ, de qua ſcripſi, Philologiæ, cùm mihi quotidiana pænè, ſanéque dulcis, memoria recurreret: conſtitui denique, mecum ipſe ſpecimen aliquod, privatos intrà parietes, exprimere. De materia porrò cogitanti; commodiſsimum eſt viſum, PETRI cujuſdam DE VICTORIA, nobilis Hiſpani, periculoſum ITER AMERICANUM: quod ipſe, qui cum Sociis id expertus erat, poſtquam, omni jam diſcrimine perfunctus, in ſicco conſtitit; ſecum Limæ, quaſi per otii luſum, in Commentarioli formam redegit, Hiſpano maternóque ſermone: qui tamen poſthæc translatus & in noſtram linguam eſt. Illius autem Commentarii, VICTORIAM eſſe, nec alium, eúmque veriloquum Auctorem; deprehendere potes ex Alegambæa, tibi non peregrinâ, Societatis IESU Bibliothecâ: ſi te fortè, cæterorum otioſum, ipſe litterarum ordo detulerit ad Petri Goveæ nomen.

Hunc porrò Commentariolum, in multis planum & perſpicuum; in quibuſdam nonnihilo ſicciorem, & pæne dixerim, ſterilem reperimus: locis quoque non paucis perplexiorem, & tot ſubinde noctibus offuſum (neſcias, Auctoriſne potiùs, an Interpretis, admiſſo, nebulas affectantium?) ut non rarò pugnantia; quandoque verò, niſi quis ex Hiſtoriæ Peruanæ cognitione, Geographiæque radiis illuſtraret, penitùs incredibilia videretur, & in America mediâ Cretam, narrare. Nec me tamen abſterruit hic opacus, & implexus in ſe lucus: quò minùs, promoto, quem ſuſceperam labore, perrumperem obſtantia; difficultates extricando, diſcordia conciliando, languidiora feſtivitate narrationum erigendo; quæque ſupra fidem apparebant, ſimillimorum ab aliis geſtorum auctoritate firmando; vel, cauſsis denique modiſque negotiorum & caſuum eruendis, Hiſtoriæ certitudinem omni figmentorum ſuſpicione liberando: quin & locorum urbiúmque, ſiquas (ut ſæpe) Commentarioli compoſitor prætermiſiſſet, Deſcriptiones, quoties res poſceret, intermiſcendo. Breviter! quid præſtiterim; ſiquando primum ipſum Auctoris Compendium videre tibi luſtrareque contigerit, deprehendes: & difficultatum, ſi non æſtimator, certè quidem admirator, tecum illud fortaſſe Virgilianum repetes; In Tenui (ſed non Tenuis) labor! Nec tamen interim illud mihi Civilis Prudentiæ pronuntiatum arrogaverim: quo, Factum ſubtiliter Emendans, laudabilior eo prædicatur, qui primus Invenit. Namque novi vulgatum illud: INVENTIS ADDERE, FACILE videri. Quòd porrò VICTORIAM, viderem, non ſolùm ingentes inter ſpes, ſed inſuper numeroſo cum comitatu, trans Oceanum deportatum; velut noviſsimum quendam Iaſonis æmulum (qui, ſi fides Orpheo, non Phaſin ſolùm & Colchos, verùm, Herculis ultra Columnas, Atlanticum æquor adiit) poſt tot alios, ſed poëtas, auſus ſum & ego (quanquam Hiſtoriam & profeſſus, & complexus) Operi meo titulum ARGONAUTICON imponere; verùm AMERICANORUM.

Id

Id autem tantò præſtiti fidentiùs, quòd multa, per hos omnes Libros, aliorum etiam Heroum infereretur mentio; qui, ſuperiori maximè ſæculo, factis ex Orbe noſtro velis, gloriâ pluſquam Iaſoniâ, Novas Inſulas & terras aperuiſſent. Exegi verò laborem LIBRIS (ut videbis) Quindecim; Quorum pleroſque tamen, minimè longos compoſui; Græcorum, & in his, Euſtathii, ſecutus exemplum: quin & Romanorum, non dico Iuſtini, cujus profeſsio tota fuit, in Abbreviatione Trogi, Brevitas; ſed Cn. Gellii, veteris Annalium ſcriptoris, & aliorum. nonnullos autem Libellos (maximéque Poſtremos) feci Breviſsimos: ritu quidem noſtratis ſæculi novo; ſed interim fortaſsis non ingratiſsimo. Quippe, poſt longiorum faſtidium, cæterorum conſtrictio, vel ipsâ ſucciſionis varietate mereri veniam debet: Et libelli, citò ſuum ad finem fugitivi, tamen hoc dulcedinis habent; ut lectoris guſtum, ſi placent, acuant: ſi diſplicent, non diu torqueant.

Habes occupationum mearum, Vir inclyte, ſi non campum, at profectò pulverem, ſudoris filium: quem tu, licebit, ſiquando nanciſcéris (nam certò mittam) utcunque merebitur, ità ſub trutinam, aut vannum, voces: & vel, ſi videbor operam feciſſe, ponderes; ſin luſiſſe, decepiſſéve, ventiles & excutias. Ac certè vereor, ne de duobus his poſtremum malis, & deligas. Potes enim (jam dudum præſagio) meum in hoc, ſi non ſtylum, at argumentū, incéſſere: potes, licentiâ vetuſtiſsimæ familiaritatis, dicere reprehendentis indutus frontem; Cur tu rurſus, in tanta ſplendidiſsimarum ſegete materiarum, prætermiſsis grandibus, exilem Victoriam, tanquam ad ſeriam tibi curam, aſſumpſiſti? Quare Profectionum potiùs & itinerum Amœnitates, quàm Annalium armatas expeditiones & caſtra, ſéqueris? Sic eſt, mi SAMSON: & confitentem habes Reum; cæterùm, propter hoc ipſum utique, clementi Tabellâ dignum; quòd is non tam ſuo, quàm genii ſui vitio, delinquit, ex triſtibus curis ad faciliores quandoque luſus inclinantis. Trabeas, & paludamenta, cum Regnis Rebúſque publicis, alii deducant; ad hæc talia celſiore ſpiritu facti: vel meametipſius ſerior (ſi Superis cordi ſit) ætas. Hactenus juverit, & ignoſcatur, aliquantò remiſsioribus, in humano liberóque ſtylo, thematibus indulſiſſe: Sicut Pictorum nonnullis, videmus, laudi potiùs, quàm vitio, dari: quòd, ædificiis, caſtris, ac vultibus hominum ferarúmque prætermiſsis; artem omnem, & colores, montibus, ſylvis, fluviis, æquoribus, & id genus cæteris regionum deliciis, impendant. QUOD enim quiſque cupidiùs ac nativiùs; hoc & feliciùs, præſtat. Puto, me, perpenſis hiſce rationibus, non tibi modò, viro capaciſsimæ facilitatis; ſed, in te, cæteris etiam, ſi non probatum, at excuſatum iri: cùm præſertim, non epiſtolam duntaxat meam, ſed (quod non multò poſt erit) VICTORIAM ipſum acceperis: cuj Tu, rogo, forulum aliquem, inter Muſéi tui veteres inquilinos indulgeas; &, ſi locus alius

alius non vacat, Imaginis ſaltem Primi Sæculi Societatis (quam ad me donum gratiſsimum miſiſti) Grandis libri, Parvulum ſucceſſorem eſſe permittas: non, ut lacunam illius abſentis impleat; ſed, ut liberalitati tuæ, quoties aſpicietur hic meus, gratias acclamet; & tam magno volumini, pro quo, tam exiguus ſtat ſuccenturiatus libellus, tantò ſæpiùs & manifeſtiùs Imparem ſe confiteatur. Adelphidem, Iocovêrum, & Illuſtrium Ruinarum Propylæum, nondum tibi, quamvis toties efflagitanti, mitto: ſed adhuc premo, premámque; quoad tu, Monaſterienſibus à Mercuriis, nobis Caduceum, ac ſcilicet Irenen ipſam, Pacémque firmam, nuncies; neque fallas. Nunc enim, dum adhuc Martis in campo Comitia fiunt, vix Togatis illis meis, Curiiſque locus eſt. Convitium videbitur Ignaviæ Recenti facere; quiſquis Priſcorum Virtutibus, hac tempeſtate, grande præconium. Itaque manum, non quidem de tabula penitùs tollo; ſed tamen ſuſpendo. Tantiſper tu Vale, ſalvus ex me, cum utriuſque noſtrum Amiciſsimo, quem nôſti, quémque ſoles Alterum Te nuncupare. Puto, ſatis intelligis, me deſignare Nierenbergii felicem Interpretem. Eum tu beatus, è viciniori, quoties vis, allóqueris, apud Vbios conſtitutum; propemodum (ſi mecum componatis) de ripa Rheni, ripam ad alteram, tramiſsâ voce: cùm interim ego, trans Danubium & ultrà tot amnes projectus, tantùm à vobis diſtem. Ob hoc ipſum, Tu me tantò felicior; ſi nihil aliud, illud certè compendii præ me conſéqueris: quòd illi Tu Pyladi noſtro, Salutem Praesentiorem, &, ut Propior Amicus, Dicere potes: &, ut nobilis Medicus, Præſtare. Monachii, prid. Kalend. Majas. Anno CIↃ. IↃ. XLVII.

Tuus, *quem ex* Icaria *nominare ſoles,*

ILIBESSUS.

His

HIS TERRIS, HIS PETRUS AQUIS, HIS SYRTIBUS ACTUS,

VIVIT ADHUC TAMEN; AC TABULA SERVATUR IN ISTA.

Digitized by Google

ARGONAUTICON AMERICANORUM,

SIVE

PERICULORUM PETRI DE VICTORIA

LIBER I.

CAPITUM BREVIARIUM.

I. *Petri de Victoria natale ſolum, & genus. Ejus deſiderium, Orbis Novi, maximéq; Peruvii, luſtrandi: cuj tamen obnixè parentes repugnant.* De his agit ipſe Petrus Victoria, in Commentariolo Itineris ſui Americani; quod, ab eo conſcriptum Hiſpanicè, poſtea Germanicè verſum, & Ingolſtadii typis excuſum eſt. Paginâ 1. & 2.

II. *Patris obitu, Victoria votorum compos, Hiſpali navim ſolvit, in Africa confinia: non ſine morſu recurſantis memoriæ, de paterna domo, de amore materno, quin & ipsâ Hiſpali; quam, unà cum vicinis urbibus ac locis, obiter deſcribit.* Commentarioli paginâ 3.

III. *Atlantici Maris amœniſſimus intuitus. Pectus Victoriæ, rerum maximarum exſpectationibus impletũ, ultro fortunam adverſam in ſe provocat. Prænavigantur Africæ littora.* Comment. pag 4. & 5.

IV. *Inſulis Fortunatis appellitur navis: quas Victoria deſcribit; cumprimis verò Caprariam & Ferram narrationibus illuſtrat ac proditorum in bellis obſidionibúſq; perfidiam deteſtatur.* Comment. pag. 5.

 V. Pri-

V. *Primus Americæ conſpectus. Celeritatis nauticæ in pelago Vetus, ac Recentior, ſed diverſiſſima ratio. Laus magnetis acúſque nauticæ. Inſulæ Barloventæ, cæteraq; Americanæ: & in his Matalina, cum incolis eorúmque moribus.* Comment. pag. 5

VI *Ad Inſulam Margaritam utcunq; appelluntur. Ea deſcribitur, unà cum inſula Cubagua, & utrinſque inter ſeſe diſcrimine.* Comment. pag 5.

VII. *De iiſdem Inſulis duabus, maximéque Cubaguâ, per Hiſpanorum ſollertiam inventis ac detectis. Narratio paullò diductior, de Chriſtophoro Columbo ejus comitibus, & Regulo Cubaguæ: déque margaritis.*

VIII. *Celocem, unionibus onuſtam, cum nauta ſimul Americano, Victoriana Navis in conſortium ſuum aſſumit A Caribanæ Provinciæ Prætore Hiſpanienſi. per epiſtolam Hiſpani evocantur adversùs Scoticos piratas, in Oceano Atlantico prædantes.* Comment. pag. 5 6. & 7.

IX. *Ducibus Acugniâ & Roâ, vectores animantur ad pugnam, cum Scoticis committendã. Præparatio ad navale certamen conſiliúmque de invaſione nocturna.* Comment. pag. 7. & 8.

ANdaluſiæ, quæ pars eſt HISPANIAE BAETICAE, caput HISPALIS eſt urbs; SEVILIAE vulgò nomine, fluvióque Bæti, cujus ripis incumbit, per orbẽ famoſa: mercibus quidẽ maximè tranſmarinis, rerúmq; copiâ cæterarum, quarum fructu mortales in lauto victu, vitáq; ſunt, celebris: incolarũ tamen, convenarúmq; frequentiâ, longè

cele-

celebratior: ac nobilitatis multâ ſtirpe ſplendoréque magnifica. Quam Vrbem producere verboſiùs, no[illegible]ſt nunc animus, neque conſilium: ne ſcribere quibuſdã ſtudioſiùs, quàm veraciùs, videar; amore natalium, & affectibus, pro more calamum influentibus. Quippe paternum mihi ſolum, Hiſpalis: nomen, Petrus Góvea, Victoriarum clarâ de familia: domus avita paternáque, tum & auctores vitæ; ſicut utrimq; genere fortuníſque conſpicui, ſic indulgentiâ piâ filii notabiles. Nam & illos populus, ob opes & gloriam; & illi me, propter ſpem poſteritatis, in hoc uno capite ſtantem, intuebantur. Sed mater præcipuè, muliebri genio filii teneram ætatem adulata, fovebat Infan[illegible], amplectebatur pueritiam me[illegible]s tamen jam tum aures, blandimentis mollioribus occluſæ, ſubferocis rigoris quiddam præ ſe ferebant: ad altiora ſcilicet indole trahente; peregrináſque, neſcio quas, glorias ac ſpes, eminus oſtentante. Deteſtabar itaque ſegnis otii deſidiam inexpertam: &, trans cognitum Solem exporrectis deſideriis: Vlyſſis, Iaſonis, & ARGONAUTARUM, labores curſúſque, cum eorum Erroribus, animo volutabã. Neque parvum propoſito magno calcar addebant; quotquot ex Inſulis, aut exterâ continenti, quotidie remeantes, longè diſſita referebant: Fortunatas, Braſiliam, Mexicum, Caſtiliam Auream, Hiſpaniam Novam, Hiſpaniolam; longiſſiméque ſupra pelagus Atlanticum projectas Philippinas: ubi ferebatur, in Orientem ſuũ, abſolutò curſûs circulo, Sol noſter Occi-

du[illegible] evolvi. Sed cupiditatum acerrimus ſtimulus, Peruvianus Orbis, Mexicanas inter & Antarcticas plagas, in obliquum jacens, alliciebat *Novorum admiratricem Adoleſcentiam*; cùm, præter regionis peregrinam faciem, jactarent maritimæ plagæ theatrum; aëris clementiam; montium aurum & argentum; gemmarum foſſilium latebras; æquorum pacifica monſtra; quarundam urbium magnificum nitorem, ac regium luxum: &, ſi quid præterea, poſt Americum Veſputium, aut Columbos & Pizzaros, audaces nautæ, vel viſum repererunt, vel hauſtum fabulis nuntiârunt. Hæc omnia, rariorum avidam mentem impellebant, ad extera ſequenda. Quibus accedebat, animi celſioris incitamentum ingens, experiundarum difficultatum altus impetus; cuj, longinquis in Navigationibus, nunquam deeſſe materia virtutis poſſet: &, ſuper hæc, quotidianis incrementis gliſcens, libertatis amor; domeſticæ diſciplinæ repagula perrumpere, pædagogíque dictaturâ tandem exſolvi, præproperus; *vix aliâ magìs re pueritiam, quàm obſervatoris oculo, cruciante*.

Cæterùm hujc obſtabat conſilio, primùm omnium, communis parentum reverentia, pænéque terror quidam; Filii votum, quotidie jactatum, aut amaro cum riſu diſcutientium; aut, ob oculos poſitâ roboris & annorum immaturitate, deteſtantium. *Nec enim duodecenniò* (ſicut eram) *tunc primùm excedentem, Navigationibus, & periculorum incertis, fore parem: quæ res duæ non pueros duntaxat, ſub Hyla fabuloſo nomine; nec ſolas Aria-*

riadnas, ſub iiſdem figmentis: ſed prorſus Hercules ac Theſeos, virilis audaciæ nomina, fregiſſent. Ducum, & Heroum eſſe tales animos, tales ſpes: & ideò Duces, & Heroum vires quærere; non Puerum, adhuc bullâ nitentem, &, niſi pudor audacis poſtulati deterreret, crepitacula crepundiáque quaſſaturum. Vbinam lacertos illos, & firmitudinem? ubinam ingenium, prudentiam, experimenta? Quem, & unde, rerum uſum, alienas gentes ac mores invaſuro præſtinatum & præſcriptum? Pubertatem adhuc longè; quantò longiùs Indias, & totó Cœlo ſepoſitas Inſulas, puſioni jacére: vix paternorum penatium limen, citra nutriculæ comitatum, tranſgredi ſueto? Quid aliud hæc intempeſtiva deſideria, quàm anicularum deliria, quàm infantulorum ſomnia, quàm prægnantium picas, & in pariete depictorum militum, cum umbris digladiationes eſſe? Quieſcerem ègitur: &, intrà vaſtos ſecuróſque felicis Hiſpalis muros, mihi pro certo proponerem; univerſum eſſe Terrarum meliorum Orbem incluſum. His Parentum dictis, tanquam aſciâ quadam, præciſis Spei ramis, veluti Truncus & rude lignum, intrà patrios hærebam parietes: contentus, dum ſors melior ſe daret, ſilenti mecum murmure premere devoraréque dilatas cupiditates.

II. Sed (ſic Numine diſponente) non ità multò pòſt, toties iterato, jámque pæne conſepulto poſtulato, latius oſtium caſus patefecit. Pater enim, quô nemo contentioſiùs obſtiterat; die ſuo clauſo, mortalitatem tandem, & imperium domûs, explevit; matri fortunis omnibus, & unico

 filio,

filio, cum vacuo thalamo, relictis. Hujus ego viduitatem, vixdum perſolutis Inferiis, intentiùs aggreſſus: omnes rationum & argumentorum arietes advolvebam; quibus animum illius flexiliorem (& tunc ſolitarium, mœroribúſque luxatum) in conſenſum perpellerem, & expugnarem. Neque defuit importunitati ſucceſſus ſuus. nam illa, ſexui luctuſque ſueta lamenta, facilè diluebam conſtantiâ: cùm mater Solitudinem objectaret ſuam, & cum juventâ formã, contumeliis obnoxiam; ſi teſtis ego, cuſtóſque decederem: cùm ætatulæ meæ teneritatem inſequeretur; &, in corpore quantumvis fortiuſculo, tertium decimum nondum expletum annum: cùm lácrymas, cùm ploratus ſuos, funebréque peplum, cùm paternos conjugaléſque manes, & omnia diſceſſu meo turbanda, crepitaret. Quæ poſteaquam bona mulier (& filio, quàm ſibimet, indulgentior) diebus aliquot occinuiſſet; id totum vox una mea, tanquam clypeus quidam, retudit ac perfregit: cùm reponerem obnitenti; *Victoriarum* univerſo ſanguini ſvetum atque glorioſum, & Matri quondam lætum plauſibiléque futurum: quandocunque per famam ac fortitudinem inclareſcerem. Tunc enimverò, minimè pugnacis mulier indolis, acquievit: ſuíſque poſthabitis commodis, filii votis generoſis manum dedit; ad quaſcunque vellem terras, commeatum & vitæ ſubſidia pollicens. Ità prorſus nihil eſt, quod non precum importunitas, & obſtinata voluntas, extorqueat: *Certóque (neſcio cuj) Sanguini cedunt adamantes;*

tes; *& aſſiduis natorum aſſultibus, maternus affectus atque Sanguis.*

Tam ſecundo ſucceſſu lætior ego; premendámque, nequis corrumperet, occaſionem ratus: triremem Hiſpali reperio, pronô Bæti delapſuram in Freti Gaditani fauces; & hinc, per Oceanum, Carthagénam Americæ Septentrionalis urbem, procurſare certam. In hanc, cum ſociis, & multâ vectorum remigúmque turbâ, tanquam Novam Argo, cùm inſcendiſſem; Quod bene feliciterque ſuccederet! paſsis velis è navalibus provolo: Matre manum filii, tanquam vaticiniô quodam ultimi conſpectûs, arctiùs teneriúſque ſtringente; littúſque ſiccum copioſis fletibus irrorante. Nos autem, Iaſone firmiores & Theſeo, Bæti noſtro ſupremùm decurrimus, flumine gentilitio; quod priſci Tarteſſum quoque, recentiores autem, Arabicâ barbarie, Guadalquivirium nuncupârunt: quaſi dicas, Fluvium Magnum. Hic alicubi vadoſior, plerumque tamen juſtiſſimô profundo (quod & ideo nautæ ſequuntur) in Atlanticum ſe Mare provolvit: oſtiô, leucæ noſtratis ſpatium in latitudinem æquante. Lævâ Gades jacebant: ac paullò ſemotiùs, Fretum ſtrepitabat Herculeum, compreſsis littoribus arctatum. At ex obliquo látere, provectis in altum; Africæ celſiora, primáque montium dorſa, renidebant: & Mauritaniæ citerioris veſtibula. Dextrâ verò Luſitaniæ ſupremus ad Occidentem angulus; Sacrúmque, quod appellant, Promontorium remicabat. A fronte, quacunque

ferrent oculi, totius Atlantici maris immenſa vaſtitas, placidiſſimâ fluctuum, ſed nonnihil criſpante planitie, procumbebat. Hoc æquor Aegæum, hoc Euxinus mihi Pontus, ad meos Colchos, erat: certô deſtinatóque mentis (ut putabam) robore; quidquid poſt tergum reliquiſſem, oblivione ſempiternâ ſepeliendi.

Sed, ut videas *naturæ motus primos inemendabiles, & affectuum indomitos ſpiritus; tametſi rationis lupatô regere coneris:* primam ego ſtatim noctem, in navi ſine ſomno duxi. Recurſabant curæ vigiles; &, cum amabilis materculæ mœſtâ recordatione, turbidiſſima penatum paternorum deſideria. *Tamen, utcunque ſit, Iuvenculam eſſe, nobilis ortûs, totius jam domûs ſubſidiû; & interim intimô nunc fulcro deſtitutam: placidam moribus; compoſitam animi dotibus, ſuprà ſui ſexûs leges; indulgentem cum temperamento: ſeveritatis ac blandimentorum mediam. Et, quod his omnibus vivaciùs mentem penetrabat; Ex illo, nec alio ſanè, Petrum Goveam uterô progreſſum eſſe; qui nunc tamen fugeret eam, cujus pectore lactatus eſſet. Vt omnia cætera deleret* Oblivio, Longi temporis certiſſima Filia: *Genitricis certè nomen, & teneritudinem, expungi corde nullis ſæculis poſſe.* Quæ cùm mecum ipſe crebrò cogitarem, ac dicerem; fluebant (neque diſſimulaverim) repugnantis per genas, tacitæ jugéſque lacrimæ; non ſine flagrantium genarum purpurâ: quarum ruborem (alioquin *erubeſcere neſcia*) triſtis *illa nox* totidem, quot refulgebat ſideribus, in lucifugis meis luctibus accendebat.

debat. Ac ne patriæ quidem urbis, & Hiſpalenſium deliciarum, in imagine memoriæ meæ ſilentium erat: cùm inquietiſſimus cogitationum turbo circumſonaret animum, in totius Bæticæ recordatione demerſum, &; *Illam, illam* (diceret) *relinquere terrarum partem potuiſti, quæ partes orbis omnes poſt ſe felicitate relinquit? Illum utráque ripa pinguem & uberem amnem? hinc quidem cum Iulia, cúmque Sala Cariſſáque, Conſtantiam, Sanlucaris oppidum, ac Trianam? ulteriore verò Bætis ripâ; Palantiam, Cabécas, Nebriſſam, & alterum illud vetuſtiúſque Luciferi fanum? Præter hæc, in medio (quà ſe partitur fluvius) ſpatioſam, ad Syenês Ægyptiæ modum, inſulam, juventutis Seviliana luſibus ſepoſitam? Parva ſunt hæc* (ingerebam ultrò mihi, mœroribus augendis) *Potuiſti, malè ſane, potuiſti valedicere ſiccis oculis Hiſpali tuæ, tot aliarum urbium (niſi quis vera negat) Gemmæ? ſiquis autem invidet, etiam Reginæ? Siccine poſthac cariturus es (& hoc quidem ſæculis perpetuò ſecuturis) illius urbis pomœriis amœniſſimis? illis magnificis mœnibus, atque propugnaculis? illis, tantò ſtructis ac ductis impendio, fontibus, canalibus, viridariis, prætoriis, palatiis? Potes illud deſerere memorabile, quóque decentius nec omnis habet Hiſpania, Capitolium? illam Speciosæ* DEIPARAE *clariſſimam, veríque regiam baſilicam? cujus amplitudini majeſtatique, cujus lato pariter ac venerabili ſplendori, vix orbis Chriſtiani templa, ſimul juncta, (a) certent? Et non erit deinceps in oculis tuis illa celſiſſimi faſtigii Turris; unde*

latiſſimus, ac voluptatis plenus, in circumjectas plagas, & in ipſam propemodum Africam, proſpectus?

III. Haec ipſe mecum, pugnante phantaſmatum viciſſitudine, donec diluceſceret, agitabam. Sed tunc, occurrentibus alterius & recentioris cujuſdam amphitheatri ſpectaculis; priores mentis imagines (ut aſſolet) poſterioribus ceſſerunt. Id, Oceanus erat Atlanticus; cujus paullatim, magìs ac magìs, tota prodibat in conſpectum facies. Hoc mare cæteroquin, Hiſpali Gadiúmve Sinu ſolventibus, plerumque ſub principia navigationis procelloſius, inclementiúſque; nobis, cum omnium admiratione, ſecundiorem divino favore curſum indulſit; tanquam per otium, & non per laborem atque periculum. Illius igitur uſus ego blanditiis; ex æquoris aſpectu mille voluptatibus oculos paſcebam: mille conſiderationum luſibus animum differebam. Arridebat, in imenſa diffuſum ſpatia, pelagus; &, in unum collecta viſûs compendium (immaniter alioqui diſtantia) Pontus atque cœlũ: influebátque blandô miraculô, non aſſuetis intutibus, aquarum ſine fine campus; & vibrantium fluctuum, quoties ventô ſinuarentur, criſpati ſulci. Tantáque ſpectandi dulcedo viſcavit intentum animum; ut me neque ſueta novitiis vectoribus nautea, multùm avocaret: & inſuper juvaret ſtantis malaciæ blandus viror, cœrulâ ſubopacus umbrâ; ſubindéque ſolaribus etiam radiîs gratioſus. Tunc enimverò vel maximè, tanquam indictô navigationis juſtitiô, deliciis imagina-

ginationum me paſcebam: ſexcentíſque diſpoſitis in mente votis, aliud ex alio deſideriorum filum trahebam. nunc, quidquid optando comprehenderem, id indubitatâ ſorte proceſſurum: nunc, quidquid unquam verìs vaníſve præconiis Hiſpania jactâſſet, ex *Indipetarum* ore; totum illud fore meum. Aliâs Americæ veteres opes, ac, neſcio cujus Gvanacaxæ regis, ſolidum aurô palatium, cupiditate volvebam; tanquam alter Iaſon Aurei velleris rapinam. Interdum & terrarum undæque prodigia, Cete, Sirenas, Glaucos, ac quidquid longè petita credulitas fabulatur, itineris longi levamenta mihi fingebam. Immò (ſiqua fides juvenilibus, & adhuc inexpertis, impulſibus eſt) ipſas *moleſtias ac tædia, quorum fertilitate redundat mare*, diligebam. Venirent ſanè ventorum adverſi flatus! ingruerent cum procellis & tempeſtatibus decumani fluctus, typhones, naufragia! deſcenderet, & incumberet meo ſolius capiti, cœlum omne cum nimbis ſuis; &, cum aquarum furore Neptunus totus! Inventuros parem tot malis VICTORIAM; & in pectus, ſolidè præparatum, concurſura calamitatum prælia. Fluctuarem ſanè, quotidiéque perirem: dum modò curioſitati meæ nullum pelagus, nullus Orbis angulus, vel clauſus eſſet, vel inexploratus. Tales inter Fortunæ provocationes, animus ibat; & unà, triremis noſtra. quæ primùm quidem ſecundùm Mauritaniæ littora, tranquillè deductos, Feſſani regni cuidam portui nos applicuit; quem La-Rachium nuncupant. indè,

littus idem obliquo legentibus curſu, Salam, flumini (quem Rebátam dicunt) impoſitam urbem, ac Portum: pòſt Hainocalſam, Benſzium, Titam, oppida navaliáque maritima, deportavit. Donec, ad lævam tandem, omni procùl excuſsâ Mauritaniâ, Marocchianóque regno, maris alto tranſverſis velis influximus; & Africam radere deſtitimus. Ibi malacia nos affixit; nec moleſta tamen, neque diuturna. Quare, revulsis anchoris, & in Oceani vaſtitatem emotâ triremi: velis, remis, & vento Cæciâ pariter colludentibus; ad eas, quas nos hodie Canarias, priſci Fortunatas etiam dixerunt, inſulas adpellimur.

IV. Harum, indetortô ſervatô procurſu, ſinéque navigationis ambagibus, ſpatium, ab extremis Hiſpaniæ finibus, eſt trecentarum Leucarum. Contra Mauritaniam, quà monte premitur Atlante, ſitæ ſunt; ſex quondam numerô, necnon diverſis ab appellatione noſtrati pleræque nominibus: cùm olim *Ombrion*, *Iunonia Prima*, *Iunonia Secunda*, *Capraria*, *Nivaria*, *Canariáque* dicerentur. noſtrâ verò tempeſtate Septem inclaruère, quarum nomina celebrantur & loca, *Lancaróta*, *Forteventura*, *Grandis Canaria*, *Tenariffa*, *Gómera*, *Ferra*, *Palma* (b) repertæ noſtris ab hominibus, & pariter appellatæ, ſub annum ſalutis milleſimum quadringenteſimum quintum. Hæ cunctæ vetuſtum *Fortunatarum* nomen emeruerunt aëris clementi genio, fructuúmque tum feliciſſimo proventu, tum copiâ. De Septem autem Inſulis ea, quæ potior; quia

Gran-

Grandiſſimorum Canum jam olim multitudine redundavit, CANARIAE nomine ſéque ſororéſque ſuas, per orbem traduxit: durátque ſæculis etiam noſtris, ignobilis tam nobilium inſularum nuncupatio.

Porrò placidiſſimam omnes cœli plagam ſortitæ ſunt; quippe ſub Cingulo temperato ſitæ; propterea quòd, ab triceſimo ferè gradu poſitionis Arctóæ, per tranſverſum jacent; octonis propè Gradibus ab Æſtivo Tropico remotæ. Multáque ſunt, quæ Fortunatas nobilitent, non hodie minùs, quàm olim: juſtis aliorum ſcriptorum voluminibus memorata. Cæterùm ego cùm ſingularum, uti quæque recenſebatur, nomina mirarer: &, ungue roſô, mecum rationes appellationum exquirerem; vidit hoc de vectoribus quidam, maturus (quantùm apparebat) & longo maris uſu nequaquam Canariarum hoſpes.

HIC ad me converſus; In vocabulis, inquit, hærere te, noto. Singulis quæ cauſſæ, quæque ſint origines, diſcutere longum eſſet. Ego ſolius Caprariæ titulum, in exemplum tibi ceterarum exentero. Quid eſt? inquam ego. Capríſne, ſicut illa Grandis Canaria canibus, abundavit? Et ille; Non multùm, inquit, abis à vera conjectura. Capraria, quam vides, iſta, primùm Inágua dicebatur. At Hiſpani (quorum regibus nunc omnis hic inſularum ordo ſubſternitur) cùm in eam principiò victricibus armis penetraſſent; adverterunt, lætiſſimas ſegetes non aratro, non vomere, non bidente bipalióque, vel ſarculis, ac ne boum quidem ungulis, exerceri; ſed (quod ſtupeas) capris in juga ſociatis, & inæ-

quales ramoſóſque truncos per jugera trahentibus, (c) indigenas fregiſſe terram, & comminuiſſe glebas. Caprino præterea cornû, nec alio páſtino, ſpecus & latibula montium, in hyemis ſuffugia, tanquam domos, aperire ſolitos.

Hîc ego, narratiunculâ fidei tam probabilis non indelectatus, longiùs arceſſere præcedentium ſæculorum annales ſum orſus; &, compluribus interrogatione ventilatîs, ſciſcitari tandem; ſiquid de Ferrea quoque, quam nominarent, inſulâ comperiſſet? Non cunctatus ille; Bene, bene mones, inquit. nam nec hujus quidem Inſulæ memoria ſub rubigine jacére debet. Ferreum (vt ſcias) illi cœlum, ferreum terræ ſolum; quod inter ænigmata numeres, in tanta gignentium fertilitate. Sed, mihi crede; Durus illis (uti dixi) Sol, adamantina ſidera, noverca tellus, videri poterant: cùm anno toto nec pluvias deorſum cœlum dejiceret; nec rivos fontéſque ſurſum humus propelleret. Ergò ſiti perpetuâ plantæ, ſegetes, animantéſque marcebant: & vacâſſent cultore terræ; niſi mirabilî quodam ingenio natura parens ſuccurriſſet. id tale fuit. Quotidianîs ardoribus, quantulum fuit vaporum, attractum, & in nebulam collectum; per veſperam in aëre pendebat. noctu verò (quo tempore cœlum alibi rorat) & ante crepuſculum matutinû, deſcendebat: neque tamen, uti nebulæ noſtrates, fortuitò, vel in quemvis ſubjacentis ſoli tractum; ſed in locum, quaſi præ cæteris dilectum. ARBOR enim ſtabat, in inſulæ propè meditullio, ſpatiô diffuſa; foliis, æterno virore lætis; denſa

ſurculis,

ſurculis, & opaca ramis: Nuci ferè ſimilis, ſed peregrinioris fructûs atque genii. (*d*) Muris eam & foſſis inſepſerant incolæ; non aliter, ac nos, ſiticuloſis in locis, publicos fontes atq; puteos. Et revera fontis erat inſtar ſtirps illa. nam humor iſte, quem dixi, per noctem omnē in aëre ſuſpenſus, ſensímq; recidivus; poſteaquam ipſo moræ tractu coaluiſſet in Nubem, incumbebat arboris illius cacumini. Roſcidô deinde lentóq; ſtillicidiô reſolutus, omnes imbuebat ramos atq; folia: quem, ſub lucis exortum, quaſſatîs ſurculis, in ſubjecta vaſa doliáque decutiebant; hominum pecorúmque ſolô quidem & unico, ſed copioſo tamen quotidianóque refrigerio. Poterant hôc ſubſidio noſtrorum hoſtilitatē multo in annos Ferreani diſtinere ſi Nubeculam illam & Arborem in ditione tenuiſſent. Ac certè ſtupebant oppugnatores Hiſpani; quid tandem obſeſſis, in communi fontium penuria, tanto cœli fervore, ſitim mitigaret? Iámque de ſolvenda, quam tot menſibus urſerāt, obſidione conſilia, deſperationi proximi, volutabant: cùm, ecce tibi, ſcortum inſulanum perplexis rebus operā interpoſuit. Hæc libidinoſa mulier, ne continentioris linguæ, quàm ſexûs eſſet; non contenta, ſagacis naturæ vulgare myſteria, quibus ſui cives ad eum uſque diem ſuſtentati fuerant: aditu per lenocinia meretricia repertô, poſt proditum corpus ſuum, etiam murum ac munimentum cum Arbore, ſuis amatoribus, patriæ libertatis hoſtibus, vendidit & ſubegit. Arbore ſub poteſtatem Hiſpanorum redactâ; ſpes pariter & animus, ac libertas Ferreanorum, concidêre.

Malue-

Maluerunt enim, ſub alieni dominatûs jugo, jus ſuum; quàm, ſub intoleranda ſiti, vitam & animum projicere. SED tamen laſcivam perfidiam, capite poſteà meretrix luit; popularium ſuorum mutuô dolô, procùl, aliam in inſulam, avecta: patriæque peſſumdatæ, tanquam in inferias & funebre ſolatium, jugulata; non improbantibus, poſteaquam de ſupplicio compererunt, Hiſpanis. Hæc cùm diceret ille, quem memoravi, vector; exclamat, qui tertius nobis aſſidebat, Sacerdos quidam Caſtellanus, &: *O, factum fortiter* (inquit) *ac ſecundùm talionis leges! Sic, ſic omnis Perfidia ruat in auctores ſuos! Sic, & non malis artibus, vincere perſiſtat noſter ſanguis, Hiſpanus miles! vel certè, ſi peregrinas & inconductas aliquando fraudes, ex eventu verterit in ſuas occaſiones & victoriam; prodita teneat, proditorem execretur. Alioquin ſi ſæpe nobis Tarpejâ ſit opus, ad Capitolia perfringenda: ſi, Trojanum ad excidium, Sinonis artibus, & Helenâ prævaricante; ſi Scyllæ fabuloſis amoribus, ad Niſi regis purpureum & capillare fatum; aut Romildæ* (c) *noctibus hiſtoricis ad Forum Iulii capiendum: Si denique bella vel nulla gerimus, vel nulla conficimus, niſi per Scorta; quàm, quæſo, ſpecioſis ſub Arcubus, immò Fornicibus, triumphum ducemus?*

V. HAEC nobis, narrationum gratâ viciſſitudine verſantibus; ſecundus ab tergo ventus, & mox excitator, ſupervénit; In parato jacére pontones; navigationis momentum inſtare: properaremus, ſi, præter Canarias, alium etiam Orbem, & Americas, cogitaremus. Admonentis igitur vocem, nul-

là morâ, pariter conſurgimus: &, in priſtinam recepti navim ac ſtationem (*quódque Cœlites omnes approbarent,* precati) curſum reſumimus. Is fuit, ſine diverticulis; ac nullis exſcenſibus interruptus. Nec adeò multi dies interfluxerant, cùm, apparentibus eminus veluti quibuſdam montibus, conclamare nautæ cœperunt, Americam, Americam! &, Se Primas alterius Orbis inſulas conſpicere; Se Caribum littorales Alpes agnoſcere. Mihi miraculo Navis noſtræ celeritas erat; ut, quæ die,non ampliùs quinto decimóque, quàm Europæ conſpectum reliquerat, jam primas Americæ frontes & veſtibula, nobis commonſtraſſet. Cuj vetus ille meus, qui Canarias mihi nuper explanaverat, polyhiſtor; Parùm, inquit, eſt hoc; quod tu nunc primùm, tanquam inſuetum, ſtupes. Priſcis quidem temporibus,cùm adhuc, ſicut omnia cętera, ſuis in incunabulis (vt ſic dicam) Ars jacéret nautica; nec, præter Theſſalicam Argo, facilè claſſis ulla miraculi colorem haberet; tardis remigiis hæ tabulæ natantes incedebant. Nam,vel à littorali deligatas loro puppes,ſecundùm continentis oras,agebant; Actam legentes, ut Securitati curſûs conſulerent. Vel (ut Phœnices ac Græci remiges) ab alterutrius urſæ cœleſtis, certorúmque Siderum motu pendebant; indimotâ vigilantium oculorum cuſtodiâ. Vel (*f*) extinctô cœlô, ſtratíſque ventîs, Aves emittebant; continentem alicubi, vel Inſulas, perito volatu petituras,& hôc ipſo claſſibus aliquid de via meliore locuturas. id quod Taprobanês inſtitoribus fuiſſe familiare memorant. Ac hodie

hodie poſteaquam excogitatum Ferrum eſt, cujus lingulam mucronémve Magnete gemmâ perungunt, hoc eſt, Acus, quam dicunt plerique NAUTICAM: hanc jam ſolam (ſicut ipſe vides) ſedens in puppi nauclerus in conſpectu ſemper habet. Ex hujus, in partem omnem converſione; tanquam ex Dodonæis quercubus columbíſve vaticinans, omne gubernaculi regimen ſolis pæne nutibus attemperat: & magiſtro navis, remigúmque directori, celeritatis tarditatíſque, recti deflexíque curſûs leges, ſine naufragii periculis & metu dictat. Quô fit, ut, Cæciis maximè flantibus, & Hiſpanas triremes à tergo trudentibus; horarum non ampliùs quaternûm ac vicenûm intervallô, centum milliarium Germanicæ Geometriæ (putà, Ducentarum leucarum horarúmque) ſpatium maritimum, quotieſcunq; volumus, vulgò tranſcurramus.

Quibus dictis, ego magìs, quàm priùs, attonitus; Credere tamen peritiori malui, quàm Pelagi vias ad calculum, ſcrupuloſâ ſupputatione, redigere. Stabat inter hæc magìs ac magìs in oculis Novus orbis; augentibus cœpti clamoris lætitiam, quotquot eum eminus agnoſcebant, jam antehac aditum. Nongentorum milliũ intercapedinem ab Africæ poſtremô portu, peritiores Pelagi menſores numerabant. quô percurſô ſpatiô; primas Americani Maris ad inſulas proram adjecimus.

Harum inſularum ingens, in hemicycli figuram numerus, ab Auſtrali Maris Atlantici tractu jacet; &, flexu curvatô, ſinuatur in æſtivum Occidentem; ad Inſulas uſque, quas noſtri Barloventas appellant. Eas diſtare compertum

pertum eſt ducentis circiter paſſuum millibus à continenti:licétque (ſiqua Fides expertis) è locis editioribus oculos, hinc quidem ad Floridam, illinc autem ad Patagónum uſque terras, & ultimis Auſtris vicinam Chicam, immenſiſſimo ſpatiô, circumferre. (g) Sunt in his, inſigniori nomine, Diva Lucia, Tábagus, Barbádos, Guadalupa, Deſſeada, Bartholomáis, Granata, Barbara, Martinias, Anguilla, Sombréra, Virginéſque: cujus poſtremi nominis ampliùs quinquaginta recenſentur. Cingulum eſt hoc Inſularum exterius; & ab littore longiùs diſcedens. Interiore verò flexu ſparſæ jacent, Vincentia, Matinina, Marigalanta, Monſerrata; cúmque Divæ Crucis, Inſula, quam Aves dicunt; & Eſtaſia. Principem in his omnibus locum, ſicut & medium pæne ſitum, tenet Matinína: quam & Matitinam nonnulli, quidam etiam Matalinam, indigitant; portu comodam, & aquationi peropportunam. Cæterùm, omnes has inſulas, ad uſque Barloventas, Cáribum gens (ſeu Caníbales) ſuis lembîs & excurſibus infeſtant, effera natio: déque lintribus, quos Canóas ipſi dicunt, graſſari ſolita telîs venenô tinctis; agitare terrâ maríq; (tanquam in ſaltu beſtias) humana corpora quotidianis venatibus; & comprehenſa, ſine diſcrimine truculentérq;, jugulare: mox, cocta crudáve, nullo gulæ diſtinctu, devorare. Quo factum; ut Cáribum quoque Canibalúmq; nomen hæ ſortiantur Inſulæ: quoniam complures earũ, quà præſidia deficiunt Hiſpanorũ, vel tenent illi, vel terrent; quippe propter deſertas littorũ, & interiùs jacentiũ terrarum vaſtitates, barbarorum ac latronum aſyla: nec non perduellium

duellium, & quiſquis Chriſtianam ſervitutem fugâ rupit, perfugia, doloſáque receptacula. (*b*) Cæterùm nos, jam pridem dulcibus deſtitutos ad potum undis, ad ſe Matinina pertraxit; aquationi, cujus ipſa perliberalis eſt, intentos.

§. SIC, paucis inſumptis ad neceſſitatem & quietem diebus, curſum reſumimus: &, proſperè nos ferentibus Euris, poſt dies item non multos, in conſpectum Inſulæ cujuſdam, vulgò Margaritæ, decurrimus. Hanc falsò quidam à Diva Margarita Virgine, nuncupant; cùm iſtud ſibi nomen ex meritis & opulentia ſua, non ex Patrocinio vel auſpiciis, induerit; unionum quippe (quos & margaritas Græci Romanſque dicunt) in paucis opulens & copioſa. Nec tolerabilior eorum error; qui cum Margaritarum Inſula, Cubaguam confundunt. Quanquam enim mari cingatur utraque; quanquam littus utraque meridianum urgeat, ac neutra priores alteri concedat, unionum piſcatu vel copiâ: tamen penès Cubaguam vetus opulentia, cum veteri diſſonóque nomine; penès Margaritam autem divitiæ ſimul, & vocabulū recentius, hæſerunt. Diſtant præterea locis; haud exiguô (quod compérimus) littorum ac maris intermeante ſpatio: quod Cubaguam ad Orientem, Margaritam autem ad Occaſum (interponentibus ſe Teſtigánis Inſulis) ſemovit. Neque minus eſt inter utramque, ſeu telluris, à magnitudine; ſeu fertilitatis, ab indole, diſſidium. CUBAGUA namque, paſſuum millibus haud ampliùs octodecim ſpatioſa; ſi Margaritis deſtituatur, ac Nitri

ſpumâ,

ſpumâ, quam incolæ legunt: inter deſpectiſſimas marium terrarúmque particulas jacebit; ſordida, ſqualida, cœlo ſolóque iuxtà ſicca, ſterilíſque: nullo neque graminum, nec herbarum aut olerum, ac ne cæduarum quidem, adjumentô vel ſolatiô. Sine fontibus præterea, ciſternîs, puteis, atq; rivis: dulcium laticum egeſtate, quotidie cogitur in continentem meridianam aquatum excurrere; ſeptem millium intervallô, quo fluvius Cuáma dirimitur à Cubágua: cujus ab ripis undam potabilem petunt, ac reportant.

At Margaritarum Inſula, tricena Germanicæ Geometriæ milliaria circumplexa; tametſi fontanæ ſubinde tam inops, ut æquali pretii pondere, vino refertus cadus, & alius undâ, vænum eat; tamen, hac maximè tempeſtate, commitigatum terræ ſolum, pabulô, plantis, frumento gentilitio (quod Maizium Americani dicunt) ſale præterea, cuniculis, & armentis, ſuper unionum ingentem copiam, pæne luxuriat. cùm horum, è diverſo, plerorumque Cubagua, terræ quadam intractabilitate, ſit incapax: exaſperante præſertim agrorum faſtidium indigenarum ingenio; quibus alicubi nihil ferocius. Horum fuſcus color, capillamentum rarum, barba nulla, victus ex oſtreis; quid poſſunt in hominibus illis aut magnum, aut bonum, aut humanum, polliceri?

VII. Caeterum ego, cùm dierum aliquot ingratum otium traherem; luce quadam, productis in multam veſperam ſermonibus, interrogare cœpi, ſuper origine nominis, quo Margaritarum Inſula præ cæteris trium-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

triumpharet? itémque, quibus principiis, & hæc, & Cubagua, ſe Regibus Hiſpanis præbuiſſent? ut quibus vel ſola poſterior, ex unionum annuo quincunce, perhiberetur nummûm Aureorum quindena millia, fiſci cenſibus locupletandis, inferre. (*i*)

Sciſcitantis ſermonem excepit idem ille, qui ſæpius antehac: veteranus, inquam, Polyhiſtor; quem inter ARGONAUTAS Orpheum dixiſſes Nauplium: aut inter Græcos ad Trojam, Neſtora Neleium; ut, cujus ab ore (non minùs, quàm Orphæo Neſtoreóque) melle dulcior plerumque flueret oratio. Talis hic, plurimi Maris & experimenti vir, neque rudis annalium gentis noſtræ;

QUÆDAM, infit, loca, ſicut homines, ab inveterato nomine nuncupationéque, perægrè decedunt: ibi præſertim, ubi pertinax indigenarum indoles acceſſit ad conſuetudinem; quibus odioſa ſuſpectáque Novitas omnis eſt. Ea ſi non obſtitiſſet, CUBAGUA diceretur hodie PRIMA MARGARITA: Secundæque nomen altera ſortiretur. nam aliquanto priùs ad illam eſt, quàm ad hanc, commerciorum factus gradus: donec, etiam ad Occciduam Inſulam promotis velis, utriuſque Piſcatus intravit unam in ſagenam & lucrum Hiſpanæ felicitatis. Id in hunc modum eveniſſe, de majoribus ego comperi.

Chriſtophorus Columbus (is, qui primus, Caſtellanorum regum auſpiciis, Occidentales Indias detexit) quater omnino Calibus, quas Males cognominant, ſolviſſe dicitur; & Oceanum pervagatus Atlanticum. Cæterùm illâ navigatione, quæ ſerie tertia, fertur in an-

num

num incidiſſe milleſimum, quadringenteſimum, nonageſimum ſeptimum octavúmve (namque variant rumores) CUBAGUAM eam ipſam, de qua tu, VICTORIA, quæſtionem moves, attigit; inſtructâ rebus neceſſariis claſſe, ſed haud quaquam populoſâ. nam præſidiis Dominicam, cæteráſque noſtratis juris Inſulas, firmaverat. In anchoris fluctuanti prætoriæ navi, Tábagum inter & Cubágua: , ac littoris inſulani faciem eminus ſpeculanti, piſcatorum ſe globus offert, operi gnaviter intentus: nullo tamen (quod vehementer noſtri mirabantur) in exonerandis retibus piſce, vel aliâ maris vivâ prædâ, renidente. Columbus igitur, expeditâ ſcaphâ de ſuis, quas ad prætoriam deligatas circumvectabat, mittit animoſiores: qui de piſcantibus exceptos, ad ſeſe pertrahant, ſciſcitatum; quod genus negotiationis, aut artis, quæſtúſque ſequerentur? Sed Barbari, quod res erat, ſuſpicati; ſimul peregrinarum magnitudine navium perterrefacti (multò namque minores ipſi Canóas, noſtríſque ſcaphis contemnendas, agunt) in littus Cubaguanum priores evasêre: ſubductîs eodem momento lembîs quoque; quos, more gentis, de palis littoralibus revinxerant. Ibi jam in tuto conſtitutis, & globatim viris fœminíſque ſpectantibus; eſſe miraculo claſſis Columbæ, prætoriæ granditas, remorum ordo, velorum ac rudentum volatus & inquies, habitus omnis atque cultus claſſiariorum, barbatô mentô virilem majeſtatem oſtentantium. Stabat in eo cœtu, cujuſdam de piſcatoribus uxor. hujus collum, densâ lucentium

marga-

margaritarum ſerie coornatum, conſpicatus è Caſtellanis nautis unus: cùm non dubitaret de muliebris ingenii levitate, quin ad permutationem nullo negotio, ſolòque curioſitatis ſtudio, pertraheretur: de *Patellis à terra Malacaica* fictis, & præſigni nitore lucidìs, unam aliquam protulit, ac perfregit. Mox, in littus concepto ſaltu, fragmenta raræ teſtæ (rem, nulli barbarorum ad id uſque temporis conſpectam; ac propter hoc ipſum pretioſam) ad omnes mulieres circumtulit. Earum pleræque baccatæ, monilia ſua Caſtellano conceſſerunt: fragmenta luti Malacaici, tanquam dignum pretium, receperunt. Ità nauta, pro rei minimæ diſpendio, maximas opes reportavit.

Columbo primùm ea res videri permira; potíne magìs, an ſobrii barbari, negotiationem tam diſparem iniſſent? An ex ipſa potiùs copia, merci tam pretioſæ vilitas annaſceretur? Alios igitur alióſque ſubmittere, lembis alteris atque tertiis: quorum pars nolas ac tintinnabula; pars acus netricias, & ſartorias forficulas; nonnulli de *limo Valentino* fictiles patellas, ac fragmina, venditarent; & invicem ipſi margaritas licitarentur. Valuítque ſucceſſus. namque nec iſtis emptores emptricéſque defuerunt; & noſtri, pro ſuis nugis, ſex ampliùs margaritarum libras retulerunt; variante quidem baccarum magnitudine: cæterùm nullâ fraude vitiatis, aut degenerantibus, unionibus. Ibi Columbus exclamâſſe perhibetur; Commilitones! rem factam habemus! in parte terrarum eâ ſumus, quæ facilè Crœſum etiam, & avaritiam Midæ

dæ ſatiet! ſtatímque littori prætoriam appli-cuiſſe.

Confluente tantiſper Inſulanorum omni multitudine (ſed exermi) totúmque littoris marginem prętexente: *Cumánas* quoque, Cubaguæ tunc regulus, famâ novæ gentis excitus, ſupervénit. Is Columbum, per ſermonis interpretem, prolixè ſtatim ac perquam humaniter invitare: ſuas, quantulaſcunque facultates, & hoſpitium offerre denique multis orare; Ne dubitaret navalibus, néve tectis; ſuccedere. Sed Columbus, ut in re nondum exploratiſſimâ; prætereáque ſagax cumprimis, diſtinguere promiſſorum conſtantiam à facilitate verborum, officiíque ſimulatione; perplexus hærére, loco perſiſtere, moras quærere nectereque: prorſus nec homini ſe, nec cœtui pollicitiſque, præceps credere. Cùm interim, de Cubaguanis ſimpliciores quidam, &, qui cæteros omnes è ſua ſinceritate moribúſque conſuêſſent æſtimare; Columbi navim ac lembos ultrò conſcendêre; miratíſque veſti um, barbárum, & gladiorum habitum: poſteaquam etiam ſariſſas Hiſpanicas, ac formidandas acie curvatâ bipennes, viderunt; & ad extremum immanes quoque tormentorum militarium machinas conſiderârunt: in ultimum ſtuporem dati ſunt. ac jam non inſpicere tantùm revererſque; ſed prorſus, tanquam cœlo lapſos, adorare cœperunt. At aliquantò major ab noſtris ſtupor & miraculum invaluit; tot millium unionum contemplatu; quibus Cubaguanorum omnium, in comitatu Reguli ſui, cervices circumfluebant. Hoc enimverò dignum tot periculis,

tot Syrtibus, & naufragiis, ac mortibus, affulſiſſe pretium; cujus fructu, non pœnitenda videretur, etiam ipſius (ſi foret opus) lucis ac ſpiritûs hujus jactura. Thalaſſiarchus igitur ipſe, jam totus in lucrum inhians, interrogare ſignis ac nutibus; vndénam has colli divitias eruiſſent? At Barbari digitos in Mare, littoribus proximum, intendere: Canoáſque ſuas, ſeu lembulos, inſtrumenta fortunati piſcatûs, commonſtrare. Quibus, uti quàm plurimùm & ſecuriſſimè Columbus crederet; cùm tamen præſentiam ſuam interponi rebus incompertis nollet; Reguli poſtulatis & invitamentis hactenus indulſit; duos ut lembos, Hiſpanis onuſtos audacioribus, ſubmitteret: in altum ipſe, dum illi promiſſorum fidem explorarent, regreſſus.

At Hiſpanos in terram expoſitos, magnâ populi ſtipante ſequentéque multitudine, *Cumánas* (quem dixi) Princeps Inſulæ, fide bonâ, citra dolum ullum malum, excepit; pérque turbæ medium, deduxit in urbem (ut tunc) Regiam, ac gentis primam. Vbi, poſteaquam in ædes palatinas introducti ſunt, opus, circulari fabricâ ſtructum, ac templo Pantheóque per omnia ſimillimum: conſidére Legatos juſſit in ſedilibus, gentis ritu ligneis atríſque; cæterùm artificio dolabræ perpolitis, & nigroris ſplendorem cum lemniſcorũ atque torni varietate confundentibus: ad oculorum uſque miraculum & ſuſpendium. Tunc & epulas, quales amiciſſimis ſolebat, appoſuit; ex penore ſubvectitio, nec illic natô: panis multum; pomorum fructuúmque plurimum; vini, quantum ſatis erat,

erat, albi purpureíque; partim è dactylis, partim è radicibus, incertum quibus, expreſſit. Ac ne bellariorum quidem prætertivit urbanitatem, poſitis in medium phialîs; quas ille non condimentîs aromatéve, nec tragematis & Athenarum deliciis: ſed (quod rarius & gratius Europæis eſt) electiſſimis iiſque ſiccis unionibus impleverat; &, quantum cuique viſum, tanquam apud nos coriandri grana ſaccharô conveſtita, plenis rapienda volîs permiſit.

Exactis epulîs, quarum profuſior exitus, quàm ſpes & principii ſpecies, fuit; animi cauſsâ convivas deduxit in Regiæ penetralia, veriúſque Gynęconitidem: ubi fœminarum ſtabat agmen, tanquam in ſpectaculum & amphitheatrum ſuî diſpoſitum. Omnibus his (quippe regium ad thorum delectis) velut margaritarũ faſtidiô, quas ſcilicet etiam plebejæ vulgò geſtarent, circùm lacertos armillæ; circúmque colla torques, ex auro Peruano puróque. Nec *Cumána* Principi, *ſueta* cæteroquin *barbaris*, ineſſe *zelotypia* viſa; ſive comonſtrandis concubinis, ſive, quod plus mireris, indulgendis. namque rumor eſt; ſolitâ noſtris & execrabili levitate, quoſdã in aurum mulierum, corporúmq; cultum invaſiſſe: quoſdã autem in ipſum pudorem atq; corpora, turpitudinis incontinentiâ. Cuj ſceleri, poſteris non parùm erubeſcendo, januã patefecit, tũ ipſius *Cumána* facilitas, tantiſper ſecedentis; tum, pluſquam ſeminuda, proſtantium mulierum laſcivia; nec invita mens ad injuriam.

At *Columbus*, intellectô tanto compendio; quamquam in ſpes infinitas palpitante cor-

de, preſſiſſe tamen cupiditatem fertur: & ſuis, coloniam firmáſque ſedes in Inſula flagitantibus, repoſuiſſe; *Vires Hiſpanas adhuc tantis rebus impares: differriq́ melius, quàm tam incertis barbarorum cervicibus imponi jugum dominatûs; quod illi paullò poſt, vel ſolo paucitatis irriſu, poſſent & auderent excutere.* Sic, disjectis poſtulatis, in Dominicam Inſulam relegi curſum juſſiſſe. Cæterùm ipſum, in animo ſuo ſecum abſtuliſſe diſpoſuiſſéque, ſuſpicantur, opum immanium occulta deſideria: quæ tamen interim premeret; dum, Præturæ ſuæ conventibus per cæteras Inſulas actis, paullò majus & ſecurius otium ſuis curis reperiſſet. Verùm inter hæc, *Ferdinandum Caſtellæ regem*, tardâ novæ felicitatis repertæ notitiâ, Columbíque taciturnitate perofſenſum; memorant, ad uſque læſæ majeſtatis ſenſum, & mandata vinculorum, exarſiſſe. quæ Rex tamen, injeceritne viro, tam præclarè de noſtris Hiſpaniis promerito, præſtat in incerto, quàm in ulcere, relinquere. Sit penès narrantes rerum fides; qui ſæpe, *ſtudiô gentis ſuæ, de laudibus exterorum detrectant: & criminationibus obruunt, quibus parem rependere gratiam, arduum; debere, turpe credunt.* Vtut eſt: ab hiſce, quæ retuli, principiis, ad *Cubaguam* & baccarum piſcatum facta via, ſucceſſu temporis pervaſit ad Inſulam Margaritarum, omnéque littus bacciferum, à promontorio Cancaſino, Salínas uſque. quod tu, VICTORIA, poſueras in tua quæſtione.

Quæ cùm meus ille Neſtor dixiſſet; omnes nos (etenim plures ad auſcultandum adre-

pſerant)

pſerant) ſenis optimi fidæ memoriæ, tam prudentibus conjunctæ documentis, gratias egimus : ac cœnati, tabulatis navis indormivimus. (k)

VIII. Poſt noctis medium,revulſis anchoris,conabamur Inſulam intrare. Sed portu triremem arcebat, coortus repentè Caurus, pertinaciſſimis flatibus ex obliquo violentus; ac præter hoc perfrigidus, alternóq; fluctuum aggeſtu turbulentus. Cùm igitur plurimùm, & nullo tamen ſucceſſu, remigâſſemus;ac,de voto jam deſperantes,permittere ventis & fortunæ noſtram induſtriam cogitaremus : ſub ipſum, ecce, lucis crepuſculum, celocem ſecundô vento propulſam, adverſùm nos rapi conſpicimus; ac ~~mox~~ conjunctam ~~excipimus. Eam~~ conchis onuſtam margaritiferis,& unionum opulento quæſtu nauta barbarus remô protrudebat, jam ſpontè ſuâ Caurîque violentiâ curſitantem. Is erat, gentis atque Solis vitio, penitùs inveſtis. qui tamen, inſupèr habitô nuditatis opprobriô; curſûque, quem ad aliud littus deſtinaverat,in neceſſitatis & procellarum obſequium diflexô : nihilô trepidior aut pudibundior, in conſpectum & ſocietatem noſtram properavit. Amplectimúrque nos lembi peregrini conſortium; vel eo nomine non aſpernati : quòd, præter maritimas divitias, etiam propinquæ telluris alicujus nuntium, aut ſignificationem, portare poſſet. nec ſpes abluſit. Paullò namque pòſt,depacatâ maris ſeditione,portum,tunc quidem ignotum;ſed poſtea peropportunæ ſtationis manifeſtum, ad Margaritarum inſulam, invehimur.

SED vixdum etiam ad exſcenſum pontones ejeceramus in littus ; vix penè ſubſtrictîs velîs antennas levaveramus ; ſalutantibus lætâ conclamatione terram nautis: cùm, ecce, de nec proviſo, litteræ nobis à Prætore provi[illegible]ibanæ (quæ maris Atlantici proximo [illegible]tori, meridiem versùs , adjacet) redduntur, in hunc modum ſcriptæ.

VIRIS *fortiſſimis Hiſpanis , ſalutem. Si per hoſtem , & myoparones , ac (quod impedimenti caput eſt) per noſtrorum paucitatem licuiſſet : non vos epiſtola mea , ſed occurſus , & juncta coràm dextera, ſalutâſſent. Nec enim (ſiqua ſpecula turriq;, littoribus impoſita , fides eſt , cujus ex culmine conſpecti procul eſtis) latére nos potuiſtis : quin Hiſpani , popularéſque ; quin manu prompti , gentiſq; fortiſſima delecta pubes , ſitis. Sed occurſûs officium , mutuóſque congreſſus, intercludit, præter exiguum præſidiariorum numerum, hoſtica triremis ; in vicino circumvolitans. Piratæ ſunt hi, gente Scoti , ſectâ Calviniani ; copiâ claſſiariorum, & apparatu, quavis ad latrocinia validi. nec tamen idcirco formidabiliores. Nam & Numen (quod ſperamus) adverſum habent , propter religionem profanam : & in ipſo pæne portu quò minùs arenâ potiantur ac votô; cum ventis obluctantibus bellum gerunt , quod cum mortalibus maluiſſent ; ab infeſto turbine circumacti. Nec longè poſita rei bene gerendæ jacet occaſio. nam quintam decimam, ab noſtris navalibus, leucam, nec ultrà, diſtant. Quapropter, nolite , per Superos ! nolite tam illuſtrem , ô fortes heroës, opportunitatem deſidiâ tranſmittere. Sunt in manibus veſtris gens perfida, religionum hoſtes, pacatorum marium infeſtatores, Hiſpani nominis*

odiô

odiò feroces, & ob hoc invicem odio ſancto digni. Sunt in poteſtate noſtrâ (ſi modò viri vultis eſſe) manubiis raptóque plenæ naves, ſcaphæ, ciſtæ. Veſtras manus reſpectat, tot, per ſummam injuriam ſpoliatorum, ultio: necnon hominum noſtrorum per Indica commeantium æquora, ſalus, & in futurum ſecuritas; in præteritum tempus, vindicta fortis. Stant in arbitrio denique veſtro decus, gloria, divitiæ; quæq; copiis anteſtat omnibus, Philippi Regis, cuj virtutem veſtram approbabitis, gratia: déque roboris veſtri fama, favor, ac munifica pro meritis liberalitas. Tantùm, quæſo, tantùm veſtris in viribus animus, ac ſanguis; in dextera verò Mars, & gladius, & celeritas, ſunto. Valete, pugnate, vincite!

IX. RECITATIS hiſce litteris, nemini dubium fuit; quin tam illuſtris, rei bene gerendæ, premenda quàm primùm eſſet opportunitas. Præcipuéque duces id cenſebant; *Ioannes Aeugnias*, & *Laurentius Roas*, mihi propinquitate conjúctus. Hi duo, quidquid apud nos claſſiariorum, vectorum, remigúmque fuit, convocatos docent; Quid petat ipſa res, quid ipſis auctor ſit Prætor Caribánus. *Tot maria, pluſquam Argonauticâ generoſitate, tot ſcopulos & inſulas Cyaneas ſuperantibus, in hunc uſque diem; nulla diſſimulatione prætermittendum, nulla conſternatione pavendum, unum maris hoſtem, Scotum. Tantummodo, ſi veterem gentis Iberica virtutem ac decora cenſerent urgenda, perſuaſiſſimum haberent; in animoſa feſtinatione totum eſſe victoria momentum conſtitutum.*

Secundùm hanc incitationem, cùm omnium una vox in cœlum iret; *Dimicaturos ſe: Ducerent! quacunque Deus, & caſus, fortibus*

animis viam ſternerent; ſe nullâ ſanguinis parſimoniâ ſecuturos; benignè prolixéque Caribani Prætoris poſtulatis eſt promiſſum. Verbíſque juncta mox facta; ſingulari mentium ac manuum contentione præparatîs & expeditîs, quæcunque neceſſaria certamini viſa forent. Ac primùm omnium, de conſerendis in loco temporéque manibus, ſententias rogantibus; in commune decretum eſt: Oppeniendam noctem; & prædonum ſoporem in ſuâmmet perniciem convertendum. Opprimi poſſe de-beréque, nihil minùs ſuſpicantes, ſui ſecuros, omiſsîs armîs improvidos, ſomno ſemivigi-líve languore torpidos. & hoc potiſſimùm opus eſſe; triremis noſtræ non admodum populoſâ militiâ. Cùm igitur omnium animis hoc inſediſſet conſilium; ad arma ſtatim, & inſtrumenta prælii, decurritur. Fit Navi totâ cœtus, labor, & impetus omnium unus; hinc quidem puppim, rudentû aggeſtu, tanquam vallo propugnaculóque, communientium; illic autem proram, adversùm incurſuros Scotos, vasîs, doliis infertis, & ſarcinis conſtipatioribus, in caſtelli ritum, obſtruentiû; Aliâ parte tormenta militaria, cùm fiſtulis ac tubis æneis, diſponentium; alibi verò loricas, & thoraces chalybinos, & armorum omne genus, ſibimet cum telis & enſibus accommodantium: paſſim denique futuri conflictûs ſimulacra prælusória (tanquam in hoſtem jam ſeriò Marte moveretur) agitantiû; ut, *Quales in ipſo diſcrimine paullò pòſt forent, ex umbra diſcriminis conjectaretur. Omne tempus,* omnis hora, præcipuéque noctis adventus, *alacritati feſtinantiû annus videbatur,* & ævum;

accer-

accerſentibus importunò votò Lunam, & Heſperum, & omne ſtellarum incendium: tum ſuper hæc pulveres funéſque pyrios; & globos, ignes, gladios prætrectantibus claſſiariis: donec, propemodum ante tempus & legem (tanta, ſemel incitatæ fortitudinis, impatientia gliſcebat) cornua, buccinas, & caſtrenſia tympana, miſcerent.

ARGONAUTICÔN
AMERICANORUM,
SIVE
PERICULORUM PETRI DE VICTORIA
LIBER II.

CAPITVM BREVIARIVM.

I. *Petri Victoria, ad certamen navale, animus. Deſtinatur ab Duce Acugnia ad cuſtodiam nobilis gynacéi. Sed hujc imperio auctoritas Ducis alterius, Roa, cum minis intercedit.* Comment. pag. 8. 9. 10. & 11.

II. *Andradius, & Villandradius, unà cum ſuis, auxilio veniunt Victorianæ triremi. Milites vectoréſque denuò, ad rem fortiter contra Scotos gerendam, inflammantur ab Ducibus.* Comment. pag. 11.

III. *Congreſſus primus claſſium, Scotica & Hiſpanica. Principium pugna, animoſum, interturbat Victoriana navis magiſter. Diſcrimen ingens illius triremis, corrigitur paullò pòſt; magiſtro navis fideliore. dimicatur acriter ab utriſque: victoriaq; omen primò ſtare penès Hiſpanos incipit.* Comment. pag. 12. 13. & 14.

IV. *Petri de Victoria vicinum periculum. Andradii cognati interitus. Scotorum ingens, adversùs Hiſpanos victores, animus; propemodum eis palmam de manibus extorquet. Cæſorum numerus; a ſepultura. Victoriana Claßis, victrix, Carthagénam Americæ portum & urbem, petit, ac tenet.* Comment, pag. 15. & 16.

V. *Carthagéna Americana deſcriptio. Caniballes, ſeu Càribes, populi; quales, & quàm feri? Belluæ, & aves illius regionis. Promontorium Canéa. Accolæ fluminis S Martha. Nova Amazones. Valentiola, ſeu Venetovéla deſcribitur (in qua Welſerorum quondam procuratores) & Fluvius, cognomento Grandis.*

VI. *Victoriam, Carthagenâ ulteriùs tendere parantem, Laurentius Roas, avunculus, modis omnibus attinere conatur. Cujus rationibus, Petrus ſtudioſè occurrit; vincit, & invitiſſimo proficiſcitur.* Comment. pag. 17.

VII. *Carthagénâ in Peruvium abiturus Petrus; primò Nombrediosam urbem (Hiſpanis, Nombre de Dios, nuncupatam) navi; dein, itinere campeſtri, Pánamam pérvenit. Vrbis utriuſque ſitus generatim; nec non loci aëriſque natura, & portuum uſus, ſtrictim depingitur.* Comment. pag. 17.

VIII *Nombrediosæ urbis principia, nominiſque cauſſa, afferuntur. Inſula, circùm eam, aut ad latera ſita, attinguntur; quas inter Hiſpaniola paullò fuſiùs deſcribitur. Admirandũ in ſummis rupibus ſtagnum. Palus item in Valle, formidabilis.*

IX *Pánama urbis, ex alto repetita, origo. De Vaſco Valboâ, Duce Hiſpanæ militiæ; déque Panchiáco, Americano Regulo, & auri ſiti contemptúque, narratio & doctrina. De Caſtello Aureo.*

MIHI.

MIHI, ſub tanto certaminis apparatu, nequaquam animus infantili formidine palpitabat; quippe jam olim à teneris, & aviti ſanguinis ſpiritu, bellorum cupienti. Metus unicus impræſentiarum, fluctuantem agitabat; Nequa me ſortis invidia, tam deſideratis experiundæ virtutis caſibus ſeponeret: inexpertémque congreſsûs velut in otioſum ſpectaculum, alieno ludibrio reſervaret. Neque temerè formidabam id, in quod propè propiùs impegiſſem: niſi dedecus hoc per alienam facundiam, pertináxque patrocinium, evaſiſſem. Quod in hunc, quem memorabo, modum evénit.

Erant ſub velis noſtris, ab Hiſpaniis uſque portúque Bætis, nobiſcum Oceanum ingreſſæ, Fœminæ nobiles haud paucæ; nuptæ pariter, & nuptiis deſtinatæ. quæ partim viros, partim ſponſalitia ſecutæ pacta, pares ſpes, & æquata pericula, portabant in Americam. His adjunctus, ex more dignationéque, plebejarum grex, in famulitium & obſequia; triremis noſtræ partem non minimam impleverant, Sarcina major utique, quàm ſalus, aut neceſſitas: certè quidem Argûs illius veteris præpoſterâ (ni fallor) æmulatione; quæ Medeam & Colchicum gynæcéum non importavit Phaſidi, ſed abſtraxit. Earum igitur omnium, non modò ſecuritati, ſed etiam dignitati quietíque conſulturus Dux *Acugnias*, ac militum interim curas in id unum, quod præſens neceſſitas expoſcebat, contenturus: me cum duobus aliis coævis, & propinquitate connexis, accerſiri jubet in prætorianum

cubile. Tum introductis, præſente Roâ ſimul, avunculo meo; *Quanta res*, inquit, *ô nobiles adoleſcentes, quantúmque dimicationis periculum, cum exercitatiſſimis prædonibus immineat; ipſi iuxtà nobiſcum & auditu & (puto) creditis. In hæc diſcrimina nec ætas veſtra ſufficiet, armorum ad hoc uſque temporis inſolens, bellorum exſors, & unico ternione veſtri, non multum acceſſionis ad fortiſſimorum militum fortunam factura, vel victoriam. At è diverſo, vulneribus veſtris aut funere, neceſſitudinum veſtrarum in patria luctum quamplurimùm incendetis: ac nos, tanquam ætatulæ veſtræ crudeles productores, invidiâ, neutris utili, gravabitis. Sunt inſuper in gynæconitide mulieres, ſicut ſcitis; ingenui ſanguinis illæ quidem, ſed imbellis ac prætimidi: ſexus fractus, & ad omnem claſſici ſonitum defecturus, ad omnes tormentorum exploſiones ac flammas exclamaturus, ad quamcunque gladii ſtricturam, & cruoris conſpectum, pallore deliquióque moriturus: univerſum denique proſperæ pugnæ momentum gemitu, fletu, lamentíſque turbaturus. Virilia robora, muliebris chorus enervabit. Quare ſanè, totum hoc genus exſcendat; ac nos tantiſper turbâ tumultúque liberatos, vel exſpectet in terra, maris & hoſtium domitores; vel glorioſo functos exitu, procùl & ſecurâ næniâ deploret in portu. Vos autem, tu* VICTORIA, *comitéſque gemini; ne nihil agere videamini; Rem omnium cuſtoditu difficillimam*, Mulieres *ſervantes: præſidiis & curâ vallatas veſtrâ, nobis integras & incolumes redhibete: venturi propter idipſum in partem noſtri decoris atque laudis; ſi redeuntibus, quales eas accipitis, tales reddatis.*

HÆC ad nos *Acugnias* DUX; &, tanquam nemine

nemine contrà dicturo, conticuit; obſequium imperii ſui præſtolatus. Nos autem hac denuntiatione fulminati, tantúmque non buxô pallidiores; nec, quid agere nos, neque quid dicere conveniret, reperiebamus. Ego præ cæteris, ſaxô ſtupidior, in veſtigio ſtabam eodem: terram intuens in ipſo mari: pudoréque manifeſto labia mordens, exſpectabam, qui pro me reſpondendi partes obiret. Nec fefellit hoc Roam, mihi genere cognatum, ſed fide ſollicitudinéq; multò conjunctiorem. Is igitur, jam ſuapte ſponte conceptam iracundiam, nunc etiam meo nomine profuſiùs in Acugniam exonerat, &; *Quod ad alteros* (inquit) *hos duos ſpectat, aſſeclas* PETRI *mei; minùs equidem laboro. Pro ſe forſitan ipſi facundi fient. Cæterùm ego nepotis mei* VICTORIAE *cauſſam ago: de quo miror equidem oppidò quid in mentem tandem venire tibi potuerit, Acugnia.* NAM, *ſi Fœminarum potiſſimùm te cura tangit & , ſi meum hunc adoleſcentem earum maximè tutelæ factum natúmque cenſes: ad Terentianum potius aliquem, aut Perſarum regis, cubiculi curatorem, ſuaſiſſem ires; qui Thaidas iſtas (ſit in hoc verbo verecundia!) ſervaret. Iſſes ad Darii vel Arſacidarum Bagóas, ad thalamorum Parthicorum exſectos cuſtodias: quibus mandata dares, ne fax iſta navigii (quam honoris cauſſâ nomino) ſine janitoribus & excubiis ſuis degeret. Sin autem, in hoc mandando munere, citrà ſexûs reſpectum, tantummodo præcipuéque* VICTORIAE *noſtri commodis, & ætatis teneritudini, cupis indultum; ut, quæ per annos nondum armis habilis, ſecuritati ſeponenda ſit: quantum in prima pec-*

cares, tantundem in hoc altero deciperetis & errares. nec id adeò pro mutua, qua nos intercedit, amicitiâ; neque pro VICTORIAE *noſtri gratiâ, faceres. Quod enim ad Roam attinet, negat Roas, ſe paſſurum; ut ex ſe ſuíſve prognati, turpitudinis minimâ labeculâ proſapia gloriam contaminent: & ſcilicet vita nimio deſiderio, mortíſque muliebri fugâ, Fœminis præſideant; quaſi virilis adhuc roboris incapaces. Quin id potiùs agant, ac diſcant mei, meis inſiſtere veſtigiis; ac per maria, fluctus, pericula, pérque ferrum, mortem, & interitum; ad gloriam atque claritudinis incrementa graſſari Quod autem nominatim pertinet ad hunc* VICTORIAM*: non eſt, non hercules is eſt hic adoleſcens, quem tu qualémve tibi proponis; ut quem, necdum licèt puberem, necdum quatuordecenni grandiorem, plus juvet pugna, quàm pax; plus palma, quàm pluma: quiq; non tam annorum ſpatiô, quàm alacritate pectoris, curſum impetúmque virtutis metiatur. Sicut enim præmaturo membrorum robore, corporíſque proceritate, prævertit ætatem; ſic fortitudinis ſtudiô, longè multorum antévenit æqualium ſpiritus. Et inſtigatur ad altiora, parentum ac majorum ſuorum exemplis: memoriáq; ſeminis, longâ per æternos Heroas lineâ deſcendentis, fervet ac bullit, juvenculi ſanguis; ut, inertî trepidatione proſcriptâ, nihil ducat latebrâ probroſius, nihil illuſtrius victoriâ; quam nominis etiã & vocis ſocietate ſpirat. Quare, ſi veterem, Acugnia ſodalem: ſi Roam tuum diligis, & in amicis habes: da teſſeram amoris, in hoc adoleſcente contra piratas expediendo. vel, ſi recuſas (quod non debes) priùs, ecce, gladium hunc ſtrictũ* (& ſtringebat revera rotabátq; gladiũ) *in alterutrius,*

aut utrinſq; noſtrum pectus demerſum, circumage. Inuerit enim, hunc unà mecum potiùs è vivis, quàm de navalibus egredientem, conſpicari; faciliúſq; ſuſtinebo, belluis aquoreis, quàm ignavu portubus expoſitum, lugere. Tu quoq; (ſuperadjicit, ad me converſus) *tu,* VICTORIA, *memento, te ſanguinem meum; quantuſcunq; poteſt ab avunculo per ſororios partus in cognatum defluere. propter eáque, ſimulac cieri prælium videris, & naves navibus, manúſq; manibus conſeri; præſta tu quoq; te virum: &, ſi minùs ad te, propriúmq; tuum decus potes (cujus rudimenta nunc primùm ingrederis) at ad me ſaltem meámque dexteram reſpice, certaminibus intentam: quam equidē ad Sanctum Numen, ad Superos atq; cœli ſidus levo; conteſtatus clariſſimò jurejurando; Sicut fortitudinis tuæ remuneratricem, ſic ignaviæ, maléque geſtæ rei, vindicem extituram.*

II. ISTA Roæ, tam fortis ac vehemens declamatio, quantùm Acugniam à cœptis atq; mente prima deterruit; tantùm è diverſo nos exhilaravit. Vnde pariter, & iſte gynæcéi curam in alios tránſmovit; & nos à turpiſſimę functionis ſervitiô, velut manumiſſi, lacertos & animos armis applicabamus, nunc enſem tractando, nunc fiſtulas jaculatrices: omnia nunc deniq; facere volveréq; ſollertes & alacres, quibus non modò tiro, ſed multorū ſtipendiorum ac Veteranus miles, ſeſe duci ſuo probaret. Animavit juvenilem alacritatē, ſub eum ipſum temporis ac diſcriminis articulū, nobis addit⁹, Ioañes Villandradius, qui Margaritā inſulā Prætor obtinebat: & cū eo Lopeſius Andradius, ductore militū ejuſdē inſulę prognatus, mihíq; pręter hoc propinquitate

tate ſociatus. Horum ſuperventu, cum comi-tatu non ſpernendo, viréſque noſtras aucturo; non parùm omnium arrecti ſunt animi, reputantium: in certaminis vicinia, ne transfugia quidem, ſervitiáque, nedum auxilia ſocialia, repudianda. Sive jam de compoſito nobis acceſſerint; etiam ipſi prætoris Caribani litteris evocati: quò numerum & manus firmarent Acugnianorum; ſive, quia conſilia profectionis eorum longè diverſa, Numinis providentia verterit in ſolatiū noſtrum. Inquirere namque veras & pénitas cauſſas, alió verſis cogitationibus, tunc minùs vacavit.

Cæterùm triremi noſtræ cum ſua navi conjunctos, univerſim quidem omnes; ego vero Roáſque ſingillatim, tanquam ſanguine fœderatos officiosè conſalutavimus: tandémque curatis corporibus, ſub ipſum noctis principium, procùl portu naves in altum detorſimus.

Ac nocturnus quidem omnis nautarum remigúmque labor, abſumptus in effugiendis cotibus atque ſcopulis; & everberandis, quos Africus concitârat, fluctibus. Acugniæ verò, cæterorúmque ducum, in confirmandis claſſiariorum animis, adversùm hoſtem, magìs ac magìs jam propinquantem, ſedulitas intenta diſcurrebat. *Nunc, nunc concepti quiſque ſpiritûs, nunc ardoris proximi meminiſſent, & Hiſpani décoris: cujus curam à ſuperis ſuſcipi, vel ex ipſis hu elucere periculis ac difficultatibus; utpote quos, medias inter Scyllas & Saxa naufragiis infamia, ſalvos, & incolumi remigio, tranſportatos deductóſque, nollent in Scotos inci-*

dere

dere ſomno ſtratos, ſicut conſilium ſederat: ſed in vigiles, ac prælio paratos. Glorioſiorem Iberico nomini victoriam fore quæ non tenebris, neque dolo, vel caſui, ſed bellatorum unica dextera, poſt Numen, deberetur.

III. Adhuc loquebantur, per foros atque tranſtra, nunc milites, nunc remiges, interdum ſingulos, ſæpiùs univerſos, obeundo ſtimulandóque: cùm repentè, diſpulsô noctis opaco, diluculum pariter, & hoſtilis myoparo prægrandis, ſuper Oceanum præſtò fuerunt. Et Sol quidem, purpureô radio ſenſim magìs crebreſcens, clariùs ſuum utrique parti diſcrimen, ac, quid opus facto, commonſtrabat. Piratica verò navis, cùm, præter omnem exſpectationem, cunctis ſubſidentibus ventìs, ingratâ malaciâ ſtupens hæſiſſet: tribus omninò defixiſ anchorìs, catenatæ vinctæque ſimilis in ſalo torpebat. At jam pridem in ordines ac ſtationes ſuas diſtributi noſtri, ductorum imperia, cum novis animis, accipiebant: ad omnem ſtrenuè gerendæ rei dexteritatem intentìs mentibus. Præcipuè, quibus commiſſa puppis ac prora myoparonis fuerat, ſine diſpendio militum invadendi convellendíque; vias omnes & occaſiones juſſa faciendi ſpeculabantur. Præter hos autem, in principiis Hiſpanæ triremis collocati claſſiariorum exercitatiſſimi; fiſtulas, enſes, haſtas, præferratóſquè contos & ſariſſas, in Scotum occurſurum dirigebant. Alacerrimi verò turrim ligneam inſederant, quam ſub veſperam pridianam, opere tumultuario, ſatìs eminentem & conſpicuam eduxeramus. Hanc enim ex omni robore delectos juſſit

juſſit Acugnia dux occupare. quod illi magnis animis exſequebantur; &, conſtitutos humiliore ſitu prædones, laudabili ſuperbiâ deſpiciebant ex arduo; certiſſimi (ſicut & plerique noſtrorum) vel hoſtium potiri, vel certè mortem, alterutris inevitabilem, oppetere. Prior triremis noſtra (quoniam venti ſucciderant) remis propulſa; connitentibus indefeſſo lacertorum motu ſervitiis, Scoticam navim, ad proram illisâ prorâ, concuſſit. ad cujus afflictæ ſonitum, longè reboantem, ſecutus illico noſtrorum ingens clamor; victoriæ ſpes & augurium. Nec minor à Scotis (ne trepidationis calumniam incurrerent) adversùm nos regeſta conclamatio: tumultuante tot diverſiſſimis vocibus quaquaversùm mari; diſſonámque littoribus, & confuſione multiplicatam, echónem eminus replicantibus. Simùl ab hoſtibus anchoræ revelluntur; & navis in libertatem agitur. ſimùl arma, ſi quibus ea nondum proviſa, capiuntur: ac, nudatis enſibus, oneratíſque nitrato pulvere tormentis currilibus, dum myoparo ſe circumagit; *In Hiſpanum, Intumentes Iberos, In Philipporum tranſmarina mancipia*! minaciter ab omnibus conclamatur. nobis ſanguis, & mors, & internecinus interitus, denuntiantur. Contrà quæ, ne quid minus nos agere videremur, paribus ab noſtra parte conviciis reſponſum eſt: & mox utrimque, miſtô tympanis cornuum tubarúmque concentu, claſſicum aëris vario claróque reliſu perſonuit.

SED inter hæc navmachiæ tumultuantis tam inimica principia; res, ad noſtrorum

con-

conſternandos animos non levis, ex nobis ipſis evénit. Cùm enim, ex omni naviculariorum numero, virum exercitatiſſimum dux Acugnias ad clavum & gubernaculum delegiſſet: & ille provinciam eam, nullâ tergiverſatione ſuſceptam, ex ſpe votóque noſtro cœptâſſet; ſic, ut hujus unius dexteritati deberemus, quòd primo ſtatim concurſu proram Scoticam navis noſtræ roſtrum arietâſſet: repentè, ſubortô lituorum tentarúmque pellium fremitu, cum furibundis hoſtium occlamationibus; deſertor factus ac transfuga, qui gubernator fuerat, relictô claſſis regimine, deligatam in ſcapham ſceleſtus deſiliit: præciſóque funis nexu, ſeſe fugæ tutóque pelagi commiſit. nos autem, miniſterio deſtitutos, ultimo ſub diſcrimine reliquit. Et id quidem iniquiſſimo noſtro tempore. Namque triremis Hiſpana, poſt primam illam prædatoriæ concuſſionem innoxiam, refuga; cùm, omni remigum adniſu, mox alterum in hoſtes impetum urgeret, perruptura ſine dubio vel laceratura proram Scoticam: gubernaculô repentè manca, proditoris unius ſcelere, pro recto navis incurſu, tenuit obliquum iter; & in latus hoſticæ navis, tranſverſo triéris impulſu, violenter impegit: nullo tamen notabili Scotorum damno. Simùl celerrimo receptu, propemodum ſine myoparonis omni ſtricturâ, vacuum eſt in pelagus præterlapſa. Verùm properè correctû remigii vitium eſt: utique, poſteaquam & fugitivo gubernator ſuffectus alius, ſedulitate conniſus eſt, adprobare ſe

ducis

ducis judicio, ne delectûs pœniteret: & ipſa Navis, emendato curſu, velociſſimè reducta, tutum eſt in locum minúſque prædonibus obnoxium deducta; revolatura protinus ardentiore congreſſu; niſi, mirabili Ponti levitate, reſuſcitatus poſt diuturnam tranquillitatem Auſter, ſecundior hoſtibus, quàm nobis, affluxiſſet. Tunc enim, pede factô, diſpaſsíſque pleno ſinu velîs; piratæ ſeſe longiùs in altum abſtulerunt, ubi colligendi ſui ſpatium & animos reſumerent. Noſtram autem triremem, victoriæ jam cœptæ votîs dejectam & eluſam, inſequi ſe coëgerunt. Ceſſatum igitur ab neutris: &, ipsâ fruſtratione Martis animorum indignationem inflammante; tunc primùm, quaſi ſigno datô mappáque jactâ, certaminum exarsêre ſtudia. Tunc laxata, fomitibus admotîs, tormenta militaria: tunc, pyriô fartæ pulvere, fiſtulæ portabiles exoneratæ, tunc ſimul fulgure fulminéque, ſimul fumo, pice, ſulphure, nidoréque nitrato, cum horrendo fragorum tonitru, ruptus & confuſus aër; terrificum ſine fabula Chaos, auribus & oculis pugnantium ingerere: prorſus undæ flammis, cœlum pelago, dies nocti, vita funeri, fluctibúſque ſanguis ac cædes permiſceri. Tunc planè, *Nullam virtuti difficultatem imperviam eſſe*, monſtravit noſtrorum ad vincendum obfirmatus animus. Nam, quanquam & numero multùm inferiores Scotis noſtri (quod ſtatim patuit) & ventorum favore deſtituti, manifeſtè viderent; in lubrico præcipitíque ſui prælii fortunam ſtare; nec audaciam tamen, neque dexteras omi-

omisēre. Sed alii quidem, grandinantes inter ſclopos ac tubos, interque volitantes grandioris plumbi globos, Piraticam nihilo ſegniùs irrumpere laborabant: depulſantibus hoſtem, haud minore roboris fiduciâ, Scotis, & multo vulnere deſuper inflicto, virtutem Hiſpanicam plectentibus. Alii verò de noſtris, periculorum contemptu longiùs abrepti, propemodúmque (ſi fas eſt, contra fortes viros, confiteri verum) vincere præfeſtini; triremem adverſariam transſultu petebant. Cæterùm, fallente conatu, præcipites fluctibus hauriebantur; indeplorato quidem caſu, quia ſic ipſi voluiſſent; nec tamen idcirco ſpectantium & ſuperſtitum virtutem abſterrente. Nam hos ipſa commilitonum incruenta funera, proritabant in ſanguinem; ne ſicci perirent & invulnerati; mutuô ſemet hortatu noſtrîs exſtimulantibus; &, quod invidiâ Fortunæ non poſſent, id per obfirmatam violentiam perfringere prorſus connitentibus. Donec ad extremum Hiſpana res ſuperior fuit: utique, poſteaquā conſumptâ balliſtarum & arundinum bellicarum irâ, propiúſque ſuccedentibus Ibericis, quàm ut in eos quidquam poſſent Britonum æneæ minæ; concors in Navim prædonum inſultus eſt factus. Sed priuſquam ad hanc prælii ſummam ventum eſt; multa devoranda globorū & flammæ tempeſtas fuit. Hæc aſcendentibus in Piraticam, iter nequaquam incruentum ſtravit.

IV. STABAM inter fulminantes ac refulminantes ego quoque: ponè me verò, coævi mei, tunc primum aciem experti præliorúmque

que guſtum, adoleſcentuli. Quos inter, Lopezius Andráda, ſuprà relatus: ab inſula Margaritarum, cum Prætore Villandradio, pridie nobis adjunctus. Hunc juvenem, eádem mecum & cum fortiſſimis tentantem viris, priuſquam Prædatoriam penetrâremus, jam in fruſta globus æneus, excuſſus tubo grandiore, diſcerpſerat: plurimùm (nequid diſſimulem) dolente me cognati ſanguinis interitum: ſed oculis nihilominus ſiccis luctum premente. Nam periculum, mihi jam proximum, cogebat, ab alienis ad propria, curam & conſilia convertere.

Sed jam pridem myoparone potiti noſtri, tumultuabantur in Britannicos, indomitis impotentibúſque furiis: non cædibus, non præcipitiis, non ætati, non formæ ſexuíve parcentes; ſed uno miſcentes interitu, nullo diſtinctu, nullîs reſpectibus, ut quemque, de partibus inimicis, caſus & ſors in manum dediſſent. Et jam in diei tertiam (neqûe fallor) horam, cum diluculo cœpta, dimicatio prorogabatur: cùm penès Hiſpanicos ſinè controverſia ſtaret ſumma victoriæ. Sed tanta fuit Scotorum pertinacia, tam infracta virtus; uti ne victi quidem palmam concederent. Et, ut appareàt, *In rebus deſperatis ſolum* etiam *Animum*, cæteris amiſsis, *omnia reparare:* quanquam noſtrorum nullo Spartam ſuam deſerente; ſuperati tamen, etiam Victores, ſumus. Ac, quoniam paucitate claſſiariorum jam ab initio laborârant Acugniani; Britannicorum identidem recentium affluxu numeróque preſſi: tandem myoparonis capti poſſeſſione per vim ejicimur; na-

véſque

vſque noſtras infami natatu repetimus. *Concedendum enim eſt, etiam Hoſti, virtutis & bene geſtæ rei teſtimonium*: ut Hiſtoriæ non ſola narratio, ſed Fides quoque veritáſque conſtet. ſine quibus non ſcribentur Argonautica Chriſtiana, ſed veteres & Colchicæ fabulæ: quod ab nobis plurimùm abhorret.

Sic igitur turbatâ prælii verſâque fortunâ, prædatoria Scotica, ſecundiſſimis uſa flatibus, altóque mari decurrens, in perpetuum ſe tempus nobis eripuit. Ità tanti moliminis ac Spei res, nullâ neque ductorum noſtrorum, neque militum ignaviâ; propè propiùs in incaſſum & ventos récidit: fatorum tamen (ſicut arbitror) prudentiſſimô temperamentô; ne, geniô nationis noſtræ, ſi virtuti per omnia ſucceſſus ſuus colluſiſſet, faſtu luxuriantes & gloriæ tumore, ſuperos adverſos irritaremus. Diſceſſum igitur, æquatô pænè décore: niſi, quòd paucorum adversùs multitudinem audacia, ſuâ potiore palmâ carere non debeat; ut, quæ magìs in arduo: nec in ſua navi, ſed alienâ, non abſque prædonum notabili clade, ſteterit. Ac de cæſorum quidem & deletorum hoſtium numero (*quoniam in mare ſparſos nemo computat*) conſtare nobis non potuit. Noſtrorum autem, tam acri diuturnóque conflictu, viceni, neque plures (quod meritò mireris) cecidêre. nec vilia tamen omnia, nec illacrymata ſuis, capita. Quorum potiſſimi, Ioannes Villandradius, Margaritæ Prætor; &, modò mihi memoratus, Lopezius Andrada. Vulneribus fœdatorum, ſumma fuit major; neque ſpernendorum juvenum.

Sed

Sed nos, de purgato prædonibus Oceano, memorabilem, & Pompejanæ proximam, (ut putabamus) roſtratam coronam nacti; revinctis fronde viridi navibus, pridianum invehimur portum. Neque multò pòſt, in Vrbem, à Diva Martha nominatã, ſaucios exponimus. Amiſſis autem in conflictu, ſuprema funeris, pro rerum & apparatûs præſenti copia, perſolvimus. Nec ità multùm illic demorati; ventorum opportunitate captatâ, triremem Hiſpanicam unà nobiſcum maris alto reddimus: & in paucis diebus Carthagénam (jam olim Hiſpali nobis deſtinatam) aurâ ſub votum fluente, tenémus.

V. Est Carthagéna, portus & urbs; inter Sinum Vrabánum, & Fluvium, quem Grandem appellant, ſita: quorum illum ab occaſu reſpicit, hunc ab ortu. Nomen ſibi reperit à figuræ ſimilitudine (a) quâ Carthagenam Hiſpanicam, in Murciæ littoribus, æmulatur. Nam & hæc Inſulam habet adnexam, Codégum nomine; non ſecus, ac noſtra quondam Scombrariam, aut Heracléidem. Cæterùm accolæ multùm diſpares Europææ Carthagénæ. Sunt enim, univerſi tractûs illius non tam cultores, quàm vaſtatores, Cáribes ſeu Caníbales: gens procéro, feréque dépili corpore, colore nigredinem inter ac livorem medio, luridoque: membrorum omnium obſcœnâ nuditate, niſi quod ſexus imbellior, tegenda velet ab umbilico, genuû tenus: paucæ, de primoribus, totos pedes. Mortalium, quoſcunque Sol aſpicit, peſſimi ſunt ferociſſimíque; callidi, ſagittas ſpargere, non, ex belli more ritúque, præferratas; ſed

ſed eſſe præfixas marini cujuſdam piſcis, quem Rhangiam ipſi dicunt: & aculeis ſpiculorum, toxico nocentiſſimo delibutis, exitiales. Ludus illis & jocus eſt, humanæ carnis dapes inire: nec diſtinguunt, recentes, an ſalitas? ad ignem deſiccatas, an crudas? dummodo glutiant & vorent. Exſecrandâ quin etiam ingluvie, ſuæmet pueritiæ teneros artus & pulpas concupiſcunt. ac, propter hoc ſolum, corpora maſculorum évirant: catulorum & nefrendûm ritu; quò cæteri corpuſculi partes in teneritudinem, & delicatam mollitiem infringant. In hac Americæ totius ſolâ parte, Leones (cæteroquin illis in terris fugaces ac timidi) cum Libycis Marmaricíſque ferociâ contendunt. Putares; incolarum imitatione magiſterióque belluas etiam efferari. Pſittaci volant apud eos, vario colorum diſtinctu: Veſpertiliones quoque, coturnicum granditate. Suprà Carthagenam (libet enim tractum illius oræ totum exſequi) Canóæ promontorium ingens, Orientis ad plagas, in Oceanum excurrit. Ab hoc, littorum inæqualis ac vaſtus error curvatur: ad uſque promontorium illud, quod Velæ caput appellant. Littori medio fluvius interludit, à Diva Martha (ſicut & inſula quædam, & urbs ſuperior) nuncupatus. Regio continentis, dives auri, dives ambræ, gemmarúmque; Sapphyri verò cumprimis, Smaragdorum, & Onychis Arabicæ, quam Chalcedonium vulgus nominat: quin etiam unionum ac baccarum. Ingenium illis indigenis, non quale Canibalum; ſed placidum, & ad artis opera-

non abſurdum; æri potiſſimùm inaurando; texendis in ſtoreas tapetiáque palmis; telâ, margaritis, & aurò diſpungendâ; piſcatui denique, cum exquiſitiſſimis inſidiis, exercendo. Nec exulant, à gente cæteroquin idolorum cultrice, Chriſtianæ virtutis lineamenta quædam; ac vitiis interlucentes, bonorum picturæ morum. Namqne ſunt, nec exiguo numero: quæ cum telis & arcu Martem exerceant; nec Venerem tamen ullam nôrint: ſic, ut Amazonum gloriâ ſuperiores, inter æternas cum viris pugnas, virum & congreſſum ignorent; virginitatis ævo tam longo, quàm vitæ.

Longiùs, Orientalia radentibus littora, poſt Canóam, promontorium occurrit aliud; quadratâ quidem ipſum figurâ, ſed acumine gemino prominente. quorum id, quod objacet Occidenti, Velæ nomen; quod autem Euro perflatur, Conchibacóæ barbaram appellationem gerit. Poſterioris latus prævélant Inſulæ, quas Bacóas Americani dicunt. Eas continuò Sinus excipit, ingens in Auſtrum; & Adriatici maris quadam effigie. nam & in iſtum Flumina non pauca, nec incelebria, de montibus Andaluſiæ Novæ, ruunt; & in eo ſparſim Inſulæ, ſicut in Adria, renident. Denique, Sinûs ad finem, quà Decarráro miſcetur amni, medias inter undas rupes erigitur; ingens altitudine, conſpicuo ſitu, lato planóque vertice: cuj barbarorum induſtria, muris incinctæ, turres quondam, & urbem. ac propugnaculorum minas, impoſuit. Eam à Ferdinando (ni fallor)

dor) Corteſio, redactam in poteſtatem, auſpiciis Caroli Quinti Cæſaris, memorabant: & ab noſtris hominibus Valentiolam: quin etiam, Venetiarum honorificâ memoriâ, VENETOVELAM nuncupatam: quod illa nomen, etiam hac tempeſtate, retinet. Et hanc nos, cùm è Margarita Carthagénam peteremus, conſpeximus eminus; Velæ promontorium navigatione ſtringentes. Illic audire me memini, neſcio quem Rhæticæ gentis è Germaniis militem; ſed idiomatis Hiſpani gnarum; cùm in hunc modum narraret; *(b)*

HANC illam oportet eſſe VENETOVELAM; quam, maritimo cinctam undequaque Sinu, Carolus is, qui ſimul Hiſpaniis & Imperio Romano jura dedit, aliquamdiu præſidium & arcem eſſe voluit: continendis in obſequio gentibus, quæ Caſtiliam Auream in propinquo frequentabant. Ac videbatur hæc (ut certè fuit) inexpugnabilis. Sed poſteaquam Cæſar, acciſô bellis Germanicîs ærario, grande conflavit æs alienum; genti VVelſerorum patritiæ, quæ Vindelicorum Auguſtam nunc quoque Duumviratu moderatur, pignori dedit VENETOVELAM; in mutui ſalvam fidem. Sed VVelſeri, ſpes tam longinquas, prudenter poſt patriam habuerunt: ac, miſsis trans maria, qui procurarent, quíque dominorum interea vicem lucra tractarent; vectigales ipſi cenſus, & Auriferæ Caſtiliæ fructus, per quietem exſpectabant. At curatores, à Caribibus circumſeſſi, pro-

cùl tunc fortè (ſicut fit) Hiſpanis agentibus; ad famis ultimam neceſſitudinem redacti ſunt. Ac, niſi *fama* fallit *(quæ trans maria ſemper liberiùs narrat)* per eruptionem, an inſidias? aliquot nacti Caribas, ex his tres, poſt omnia cætera victûs abſurdi nutrimenta conſumpta, mactârunt; & in epulas verterunt. Hæc tunc Rhætus ille, gentilitiis (velut ajebat) ex Annalibus repetebat: me nec indulgenter nimis fidem accommodante narratis; nec per ſuperbam temeritatem derogante.

Poſt Carthagenam porrò, ſicut antè retuli: lævum ad latus, in Oceanum Atlanticum denatat Fluvius, cognomento GRANDIS, Amazonicus vulgò dictus. poſteri, diverſis ab repertoribus ac navarchis, alii quidem Orellánam; Maragnónum alii, nominârunt. Peruanis è montibus oriundus, ut primùm fonte ſuo digreſſus eſt; torrentibus incurſatur, & liquefactis nivibus; quæ paſſim illic, Alpeſtribus ex jugis, præcipitant. Inde, flexu ſinuatus, anguis in morem, Septentriones tandem rectiore curſu petit: & innumeris dextrâ lævâque profluentibus in conſortium admiſſis; amni quoque Decarrárô ſociatô: poſt ampliùs centena quinquagena milliaria Germanicæ dimenſionis exacta, vix tandem è regione Margaritarum & Trinitatis Inſularum, Atlantico ſe confundit æquori. Cujus immane tamen oſtium, etiam ipſum inſulis amplis interſectum eſt: ac, præter hoc, immenſo diffuſum ſpatio, diu claſſes prætervectas in dubio tenet; Fluménne tantùm, an

planè

planè jam Pelagus, navigent? & profectò, niſi dulces haurirent aquas; pro Pelago potiùs, quàm amne, pignus deponant. Adeò, littoribus adhuc procùl, & in medio flumine, circumferentibus oculos, non urbes hinc & hinc ullæ: non villæ ripis aut turres impoſitæ; non ipſi tam vaſtæ celſitudinis montes (qui fluvio Grandi prætexuntur) renſident. Cœlum duntaxat, & undæ, ſunt in conſpectu. Quibus è ſignis, certiſſimam Amnis Granditatem, citrà nominis ullam vanitatem, deprehendas. (*e*)

VI. Caeterùm Carthagénæ, ceu qualiquali profectionis tranſmarinæ repertâ metâ; comitum meorum magna pars hæſit: & in his Laurentius quoque Roas, avunculus (ut dixi) meus. Is in poſterum tempus, quoad lucri commodorúmque ſpes, & negotia ſic exigerent; conductis locatò tectis, pro Carthagenæo ſenſim inquilino ſe ferebat: Hiſpali totâ de curis & animo deletâ. Quod ipſum neque mihi penitùs moleſtum erat, primis quidem diebus; quibus, jactatione nauticâ defetiſcens corpus, in quietem componebam. poterátque, ſi Peruvium in urbe Carthagenæ præſtò fuiſſet, non eſſe prorſus inamœnum; adhærere Roæ, comitatúque pariter & convictu, ſic expetentem, frequentare; cùm præſertim cognati juris officio, me tanto viro viderem obligatum. Sed ſcilicet, *Obſequia Nulla ferunt ætatem*; *quoties exprimuntur* duntaxat, nec ſponte totâ fluunt. nam, impetu juvenili, mox vel refrigeſcunt, vel tepent; donec denique velut exſpirantia vaneſcant. *Fratrum quoque Sororúmque* (nedum

dum remotioris ſanguinis) *Amor, propriâ commodô* tandem *obruitur*; atque cedit.

Ego certè, moræ factus oſor, & navigare properus, poſt menſtruam ferè deſidiam, oblatâ triremi novâ, Roam intrepidus accedo: petóque, mihi bonâ propinqui veniâ liceat inſiſtere deſtinatis; quódque jacentis trans Oceanum Atlanticum Indiæ reliquum eſſet, id in Peruvianis præſertim luſtrandis regnis, tantâ navis opportunitate, penetrare.

Tulit indignè Roas; &, veluti plagam aliquam, ità diſceſſum à ſe meum, profundiùs, quàm unquam veritus eſſem, in pectus demiſit. Igitur primò, quaſi pro Morum præfecti jure, patruíve fronte; neque perfunctoriâ verborum ſeveritate, cœpit increpare. Mox, ut incuſſo terrore ſimùl attonaret, ſimùl proſterneret; præcisè negare: Se dimiſſurum. Sed, cùm obluctantem cerneret;ac vultum meum intelligeret,etiam adversùm minas & aſperiora duraturum; phraſibus aliquantò collectioribus, &, in rogitantis humanitatem traductâ voce, placidiùs eſt aggreſſus; nunc hortando; nunc obteſtando; ſubinde miſereſcentis quoque partes induendo. *Darem bienne, vel, ut ſummum, triennè contubernium; ſi non meiipſius tutela, ſecuritatíque: certè tamen avunculi precibus atq; ſollicitudini. darem amantiſſimæ Matris memoria, reverentia, votis; qua Filium non ſub aliis magis, quàm ſub fratris oculis, vivere quotidie deſideraret. darem Sanguinis pietati, quam, violento diſceſſu contra tot preces turbare, perfidiæ ſpeciem & partem parricidii*

futu-

futuram. Reſpicerem etiam (ſiquid apud me valere poſſet priſtinorum memoria meritorum) impenſos, jam ab incunabulis, mihi favores amoréſque; ſolius Sororis affectibus ceſſuros. Reputarem inſuper; Ecquô potiſſimùm promotore cauſſa, tam clausîs maternis auribus, iter Americanum extudiſſem & explicaſſem? Quo deductore, Batis alveum, Gades, triremem, & comites, puer vix duodecennî grandior, evolviſſem? Quis per tot Ponti diſcrimina, per Scoticos piratas, fœminina cuſtodia depulsâ turpitudine, per importuoſa Mexicani maris littora juvenculum expediſſet? Rependerem hanc itaque quantulamcunque tot benefactis gratiam: neque ſe barbaras inter gentes deſtitutum vellem, omni neceſſitudinum ſolatio cariturum. Cùm præſertim ad longè forſitan barbariores ipſa vela facturus eſſem: & utcunque tolerabili relictâ ſede, quam Carthagéna promitteret; inſequerer itinera non ferendis æſtibus ac malis aſpera: quærerémque colonias, quas forſitan, per invia pérque devia repertas, ad extremum ſolâ morte poſſeſſurus eſſem. Nunquam ſecundos eventus illis obtigiſſe, qui bene monentibus contumaces animos oppoſuiſſent: & utique Superûm iracundiâ futurum; ut, qui nunc inter mortales unum omnium benevolentiſſimum, deſertum irem: inter ignota loca deſertus aliquando, rerum vicibus immutatîs, alieniſſimorum hominum opem, lamentis nihil obtenturîs, inclamarem.

HVIC Orationi ROÆ, quæ diſceſsûs mei propoſitum tam multiplici gravabat invidiâ, par utique non fuiſſem; ſi tunc Prudentiam aliquam, ætatiſque

maturitatem in conſilium admittere potuiſſem. Sed inconſultus Adoleſcentiæ, quo tunc raptabar, impetus; & improbum PERUVII deſiderium, diurnis juxtà, nocturníſque ſtimulis (non invitis fortaſſe Fatîs meís) agitabant animum: difficultates omnes impudenti generoſitate perrupturum. Igitur avunculi, lacrymis infuſos, oculos, ſiccis ipſe luminibus ex adverſo devorans: in hæc ferè verba conciſè reſpondi: ſedentíſque ſuper lectulum complexus dexteram; *Si quid unquam* (ajo) *vel Affectus apud me, vel Sanguis, valuiſſent, in toto meo profectionis Americanæ conſilio: primas enimverò tum (nec immeritò) Genitricis ejulatibus conceſſiſſem; cùm illa me Per quidquid ſacrum profanúmque retinere niteretur. Illa me, quod tu nunc rogas, rogitabat: illa, quod tu mones, hortabatur: illa, quod tu nunc objicis, exprobrabat. Pace tua, dulcis avuncule, dixerim! Illa de me, quidquid dici tacerique poteſt, & multùm ultrà, promeruit; partu, nutritione, charitate, ſtudio, dulcedine pietatis. Neque tamen his tot nominibus, uti retineret abiturum, evicit. Injuriam itaque poſthac amabiliſſimæ matri grandem inflixero: ſi, quod à Filio non uterus, non lac, lacrymaq́; potuerunt, id os & querela Fratris eblandiantur. Plus genitrici gnatus, quàm Avunculo nepos, debeo. Fateor equidem, & ultrò præ me fero, Roa; multis obſtrictum me tibi: nec id unquam inficias ibo. Tu quoque cùm multa tua liberalitatis adversùm me promerita modò produceres; in ſermone tuo non cuncta poſuiſti. Nam plura commemoratis, ac longè grandiora, ſecum ipſa recolit, aſſiduóque celebrat,*

meæ conſcientia: quorum hoc ipſum non eſt infimum; Quòd tu me validiùs, quàm ego memet, amas: & ob hoc tam ſollicitè retentare propemodum per violentiam, conaris. Hos tuos ſummos conatus, non niſi ſummus Amor intendit. & idcirco ſanè gratiam ex me mutuam requirunt. Sed, chara mater; charus avunculus; chariſſima peregrinandi voluptas eſt. *Experiri totam, quàm latè jacet, Americam, deſtinatum ac fixum ſedet. Quòd ſiquando nihil Peruvii, nihil Americæ, ſuperfuerit: cum Rege Macedonum Novos potius mundos, aliud cælum & Soles alios, inquiram. Neque tu moleſtè tuleris hanc adoleſcentuli cupidinem, nondum in hoc propoſito turpem, nondum honeſti fines egreſſam.* HUMANAE gentis hæc indoles eſt; experiri, videre, peragrare, quidquid ipſe Sol circuit & contuetur. Nec eadem omnibus Theatra ſunt. *Me, ſpectare Peruvii plagas, urbes, ac littora, delectat: Te tua Carthagéna tenet. Si nihil rationes tuas, in hac deligenda ſede, conturbant alii; ſi tu potes, & ſoles, etiam ſuadentibus Hiſpaniam Novam & Mexicum, opponere pro ſcuto lubidinem tuam, ac dicere; Carthagéna me juvat, non aliis in terris, habitare: Carthagéna mihi, non Mexicum placet! quæ, rogo, quæ tandem tua pietatis eſt invidia: Peruvium & Cuſcum & Limam negare nepoti; qui Peruvium, Cuſcum, & Limam omni terrarum amphitheatro præhabet? Summatim igitur, ſive permittis, favore tuo; ſive reſiſtis ulteriùs, tuâ venia conceſſúque, proficiſcor: & è portu ſolvo, dulcis Roa. Cum his, vale!*

Quibus in hunc modum peroratis; ego flentis ubertim, ac verba mea ſilentio refutantis,

tantis, manum complexus, & exoſculatus; ſimul humeris ejus impreſsâ facie ſuperinjectus, animô ferreô digredior; ac, protinus auram nactus è voto, vela facio: jam alteram ac tertiam Argo mihi viſus inſcendiſſe. Roâ meo quid factum poſtea ſit; magìs non novi, quàm non inquiro.

VII. CAETERUM nos Oceano, quà (Braſiliam inter & Mexicum) in Occidentem obliquum protenditur, evecti: paucis in diebus, Portui primùm & Vrbi, quam à DEI Nomine Nombredioſam noſtri nuncupant, applicamur. Cuj non ità multùm immorati; Pánamam, urbem & portum alium, è regione Nombredioſæ ſitam ad Auſtros, itinere terreſtrî progredimur. Vrbes hæ, duobus, magnitudine diſtinctiſſimis, at loci coitu pervicinis conjunctiſque Pontis adſitæ; fauces ipſas Iſthmi ſic mœnibus obſident: ut Nombredióſa quidem Oceanum Atlanticū, Pánama verò Pelagus Zurium ſeu Pacificum, claudant; alteram altera reſpicientes. Octodecim milliariûm (quæ Magna ſeu Germanica nominamus) ſpatium inter iſthæc loca compérimus. Vrbs útraque CASTILIAM AURIFERAM, pro cujus fronte ſunt locatæ, ſimùl inchoant ab Occidente; ſimùl, ceu capita cæterarum urbiùm, nobilitant: Provinciam alioquin malè frequentem, peſſiméque noſtris ab hominibus interdum habitam; per aſſiduas injurias eam incolîs exhaurientiū. Et ea tamē, etſi concuſſiones avaræ deeſſent, in ſemetipſam recidiva marcidáque jaceret; tum aquarum putore, tum peſtilentis aëris inſalubritate. Sed hæc intemperies præ cæte-

ris

ris urbes illas, quas modò nominavimus, exercet. Ac Pánamam quidem Euri vaſtant, & Cæciæ Vulturníque venti: Nombrediosam autem Africus, Caurus, & quidquid Auſtralium Occiduorúmq; flatuum numerô cenſetur; ne Favoniis quidem, (quod mirêre) ſatìs propitiîs. Verùm parciùs Pánama, ſæviùs Nombrediosa, Libitínam ſentit; Vrbs haud aliis magìs, quàm Ibericis corporibus, funeſta, quam idcirco triſtî, ſed vero vulgatóque verbô, SEPULCRUM HISPANORUM, indigitant. Quanquam me quidem, converso fato, clementer Nombrediósa; truculenter autem Pánama, non multò pòſt, habuit: ſicut in loco referam. Hîs tamen omnibus incommodis inſupèr habitis, & hæc frequentatur, & illa: navalibus portubúſque percomodîs, & emporiis Europæ tori felicibus. Ac Pánama quidem mercibus floret Americanîs, in Orbem noſtrum tranſvehendîs. Id in hunc ferè modum fieri ſolet. Quidquid ex Chila regione, quæ trans Peruvium in Auſtros jacet, vel auri, vel opulentiæ cæterę congeritur, id ex urbis Aréquipæ portu Limam; Limano de portu, cum reliquis Peruvii mercimoniis, tardo quidem, at ſecuro littorum tractu, Pánamam navibus onerariis tranſportatur. Pánamâ verò, deoneratis navigiis, & in plauſtra tranſlatîs molibus, itinere terreſtri Nombrediosam opes; & hinc, reſumptis remigiis, Hávanam, inſulæ Cubæ nobiliſſimum Portum: ex hoc tandem, in Europam devolant. E diverſo, quidquid Europa ſuarum facultatum Americanis vendit; id Olyſippone Gadibúſve per Oceanum Atlanticum, ponè Fortu-

natas inſulas, in Canibalum & Margaritarum inſulas: ex his deinde Carthagénam ac Nombredioſam commeat. Ibi, levatîs navigiîs, onera transferuntur in axes ac rotas; quibus perve&ta Pánamam, poſtmodum in Peruvii regna velîs decurrunt; ſecundùm littora maris Pacifici. *(d)* Verùm hæc ha&tenus, de geminis Iſthmi velut portis atque cuſtodiis; propter crebram Pánamæ Nombredioſæque recurſuram mentionem, paullò diligentiùs expoſuiſſe ſufficiat. Ad ſingulas nunc adne&tere, quæ magis ex uſu cognitionéque videbuntur; non erit abs re, nec extra propoſitum.

VIII. NOMBREDIOSAE Portum, in commodiora navalia redegerunt noſtri: quibus, proceſſu temporis, paullatim & ædificia cum propugnaculis adſtruxerunt; & & muros in legitimæ formam Vrbis circumpoſuêre. Nomen autem ex DEI NOMINE mœnibus illis imponere placuit; ne Divi Pauli documentum Apoſtolicum prætererirent, quo Chriſti cultoribus imperat; A DEI NOMINE *rerum ut omnium* ac negotiorum *principia capiant:* quippeni proinde Navigationis etiam, & Exſcenſionum?

A tergo Nombredioſæ, quà reſpicit Aquilones, Cuba jacet ac Iamaica, quámq; dicunt Hiſpaniolã; celebres Inſulę. CUBAE littoribus, Trinitatis inter & Albajúmam, ad Auſtrum objacet Inſularũ innumerabilis multitudo; quas, viridanti ſemper ceſpite conſpicuas, & ſerie quadam, velut le&tulorum hortenſium, in areolas ac germina digeſtas: ISABELLAE *Reginæ* VIRIDARIUM noſtrates vocant.

IAMAI-

IAMAICA, Citria profert & Medica vulgò poma; quæ Græcis Aurea ſunt, noſtris Aurantia Nerantiáve. Goſſypium quoque gignit tenuiſſimum; & ipsâ ſui ſubtilitate validum ad telas ac pretium. Infeſtatur ſtatis turbinum furiis, quas Turacános indigenæ vocant; tam validîs, ut ſtantes in alto naves, ſuper littora ſiccúmque momentô trajiciat. HISPANIOLAM indigenæ priores Quiſquejam dixerunt; tanquam *Supra modum Amplam* (quæ vis vocis eſt) *magnificámque:* vel, ſi barbaræ pronuntiationis emphaſin in eo vocabulo plenius expendas; INCOMPARABILEM. Tenebroſis quaquaverſum denſiſque ſylvis, littorum tenus, prætexta: quæque jacent ante ſylvas, aſperis rupibus arduíſque montium prævallata jugis; eminus ad ſe tendentibus ab alto maris, ſpeciem Cimmerii cujuſdam, aut ſi quis triſtior eſt, horroris præbet. cùm interim Inſulæ penetralia, ſimulac intraveris, lætiſſimâ pulchritudine rideant. Quinque Provinciis inſignioribus unica diſtinguitur Hiſpaníola; quarum tamen ſingulis, minores inſuper aliquot regiunculæ ſubjunguntur. Longitudo, quæ protenditur ab Occaſu Solis in Orientem, quingentîs quadraginta paſſuum millibus: at latitudo, quà ſpatioſior exſiſtit, trecentîs abſolvitur. Habitatur urbibus; quibus ea, quæ Divi Dominici nomen præfert, ut caput, imperat. Montes illi, quos Cipaugos vocant, Auri ditiſſimis venis redundant. EST hæc Inſula, pleráque ſui parte, propemodum ad luxuriem, bonæ telluris, ſaluberrimi cœli, frugum tam ſponte ſuâ quàm cultu naſcentium feraciſſima. Sacchari feli-

citate proventúque tanto; nuſquam ut ge[illegible] tium ſpiſſitudo proceritáſque cannarũ Quiſquejanis certet: medullis arundinum tam confertis, ut unius alicujus fiſtulæ liquor excoctus, vicenas, nonnunquam & tricenas explere phialas memoretur. Adhæc ſaltus ingentes, lanæ ſativæ divites: arbuſta, maſtichês atque ſuccini: nemora viretáque, germinum aromaticorum omnis generis, copioſa. Ne longum faciam; non eſt calamus, non ingenium; quod hujus Terrarum partis felicitatem æquare ſcriptô vel eloquiô poſſit. Pauciſſimis, qui Boream reſpiciunt, tractibus exemptis; cæterorum Ver & Auctumnus eſt aſſiduus; continua pæne dierum noctiúmque paritas; ac, ſiquà diſcordent, non ultra menſuram horæ brevioris diſſenſus exorbitat. Quod igitur in tanta ſiderum ac terræ clementiâ conſequens eſt: æternus illic hortorum, nemorum, pratorúmque viror exſultat: nec illâ duntaxat, ad Septentriones vergente valle, quam ob amœnitatem à PARADISO nominant; ſed toto prorſus interiore telluris ſolô. Nec ullo penitùs menſe non indulgens Annus eſt, recentibus temporíque congruis fructibus; in menſas ſecundas inferundis. Intrà Lunam inchoatam & exactam, certéque tricesſimum intrà diem, à defixo ſemine, cucurbitæ, pépones, cucumeres: dimidiô verò celeriùs braſſica, lactuca, beta, naſturtium, & id genus olera cætera, vigent, & ad maturitatem perveniunt. Fidem autem pæne tranſſcendit (non item veritatem) tritici ſiliginíſque luxus; quarum frugum ſpicæ, dodrante

drante multò longiores, virilì brachiô ſpiſſiores habitioréſque; duo granorum millia perfacilè claudunt in ſiliquis. Quòd & ſi manu cultis areolis éadem fœmina depanxeris; illum ipſum, modò relatum, granorum numerum longè vincunt. & hoc (quod ſtupeas) quartum intrà menſem; quo fructum & folliculum feſtinant. Sylvarum odoratæ radices, etiam apros villaticóſque porcos, nec aliâ magis terrarum plagâ, ſaginant pariter atque condiunt; ad ventris peregrinam voluptatem, & ſaporis invidiam. Flumina quoque fontéſque ſalubritatis ſuæ mirandæ genium Auro debent; quod paſſim omnes aquæ vehunt, inexhauſtâ fulgentis ſabuli devolutione.

Talis cum tot naturæ dotibus Inſula, non mirum, ſi jam olim, & ante noſtrorum hominum appulſum, inquilinos invénit; quos deliciarum & opum amor, vel ex ipſis Romanæ majeſtatis ſedibus ac terrîs excítos, illis in agris collocavit. Cujus argumentum, Nummus eſt ex auro ſolido;cum Auguſti Cęſaris effigie laureatâ vetuſtiſſimâ, noſtrorum avorum memoriâ refoſſus. (*f*) Nec deſunt illi terrarum parti, ludentis naturæ prodigia: quibus accenſeas Montem quendam, ſexaginta circiter paſſuum millibus ab urbe Dominicæâ ſepoſitum; ingentem jugîs, & inſertâ nubibus altitudine: cæterùm, horridô rupium invióque ſuccinctu, vel inacceſſus undequaque, vel non, niſi cum ſalutis projectu, penetratus. Supremo verticis ſui ſinu ſtagnum circumplectitur, mille paſſuum ambitu; dulcibus ac piſculentis undîs.

Cir-

Circumſident hanc paludem, in coronæ civicæ vel turrigeræ Cybelês imitamentum, cautes altiores; juſtis intervallîs, pérque capitum interciſa ſurgentes. De rupium porrò fiſſuris atque rimis, toto paſſim montis circuitu, fontes ac rivi limpido procurſu gelidóque latice, prorumpunt; & introrſum, veluti lacûs conchâ quadam, coëunt. qui tamen ipſe lympharum confluxus, nuſquam exitu repertô, vel hæret ſecum, quotidianis ſolibus imminutus: vel (quod propiùs fidem) ſubsídit ac ſorbetur; voraginibus occultîs hauſtus, & indè novarum ſub rupe ſcatebrarum alimentum effectus.

Est, præter hæc, in ea, quæ Cajába dicitur, Hiſpaníolæ provinciâ, Vallis; quam triſtium undarum formidanda palus occupat. Hujus profunditas, & proximi maris ſinum, & complura præterea vaſta, naviúmque patientia, flumina deglutit. Lacus hic Caióna dicitur, ter mille paſſuum longitudine; duodecim quindecímve millium latitudine; profunditatis autem indeprehenſæ: cùm nec merſus quiſpiam, neque naufragus, unquam indè revenerit; qui periculi ſui menſuram narraret; quippe ſolitîs, ab omni retrorſum memoriâ, navibus pariter ac vectoribus, hærere fundô, quem ſemel abrepti ſubierant: nec in littus ullum (ſicut alibi) ſuetîs expelli tabulîs & oneribus: ac ne quidem cadaveribus. Nam iſta quidem Balænæ grandes, & piſcis quoddam atrox genus (Tuberónes illi dicunt) vel hiatu pleno confeſtim glutiunt; vel, dentium uno morſu tota corpora pervadente, diſcerpunt. (g)

IX. De

IX. De Nombrediosâ, proximéque ſitîs Inſulis, quibus illa fruitur,& deliciatur; per diverticulum iſta dicta ſunto. Cæterùm PANAMAE Civitatis originem, ex altiore paululùm principio repetere, non fuerit injucundum.

VASCUS quidam NUNNIUS, cognomento VALBÓA, noſtræ vir gentis: miles ingenio ſuô turbidus; at peregrinâ licentiâ, procúlque regiis oculis, inquietior: cùm in Peruviî ſteriliorìbus plagis, minorum adhuc ordinum curis, & infrà præfecturæ dignationem,alieno de nutu præſideret; *innatâ Superbiæ* omnibus *pervicaciâ,detrectare* primùm *imperia* cœpit: mox,ſeditionem exorſus,ab Anciſo Baccalaureo,Provinciæ Prætore,ſeſe,ſuorúmque gentilium complures,abrupit. Principiò Ducis, mox propemodum & Regis ipſius,ad tempus aliquod,exutô ſacramentô; nova ſibi vexilla, novas ſumpsêre ſedes; non jam per ſolum animi tumorem,ſed etiam per avaritiæ vęcordiam; quam in manipulis tam paucis nec univerſum potuit explere Peruvium. Quærentibus nova fœdera, ſicut fit in Deſperatis; non potuêre deeſſe novi conjurati: conciliante præſertim ſocietates, mentium & inquietudinis ſimilitudine. Nam erant ultra Quitum, Septentrionalis Peruvii nobilem urbem; erant extra jus & viciniam Hiſpani nominis, Reguli quidam provinciales, Iſthmum Americanum circumſidentes. Tum, præter hoc, exulceratîs invidiâ metúque cogitationibus, infeſti barbarorum primores; ex peregrinæ gentis diverſis moribus avidi, cumprimíſque nationis Hiſpanæ gliſcente

ſcente dominatu ſuſpicaces; *Qui viciniſſimo cuique ſemper nimius videtur.* Sed in iis omnibus, uti copiis, ità nexu potiſſimus, PANCHIACUS erat, Toparcha: quem tam arctè ſibi Valbóa cum ſuis omnibus devinxit; ut eoſdem pars utraque pace bellóque ſumerent amicos & hoſtes. Hunc Panchiácum Vaſcus, quà ſuaſu, quà pollicitis ac blandimentis, ad baptiſmum denique, poſt Chriſtianæ magiſteria doctrinæ, perduxit: ac, de ſalutari fonte ſuſceptum, CAROLUM nominavit. Nec immemorem beneficti ſe Regulus præſtitit. Etenim Auri gemmarúmque vim ingentem, tanquam donativum, die quodam feſtivô, Valboanis militibus ipsíque Duci, ſub epulas in medium protulit. Primæ potioréſque doni partes ad Vaſcum ſine controverſia pertinebant: quas etiam ad ſe, nullâ morâ, manus avida traxit. Inter aſſeclas, ut quiſque ſe vel Ducis, vel Reguli ferebat intimiorem; lis erat & contentio, quanta nec inter Gallos olim, captam Romam auro promercali nundinantes. Nec herculès aliter hìc, atque tunc in foro, cuj Camillus intervénit, in ſtateris ac libris bilancibus jacebat Aurum; ad ponderum leges examinandum. Iámque ventum ad rixas erat & jurgia: ſuccensíſque cupidine mentibus, Avaritia ferrum ſpectabat atque ſanguinem. cùm dirémit controverſiam PANCHIACUS, ingenuâ reprehenſionis libertate. Contractam etenim in pugnum dexteram, altéque ſublatam, furioſo cum impetu reduxit: & in bilancem, quâ theſauros ponderabant, impegit,

pegit, ictu tam valido; qui cum Smaragdis Aurum omne diſcuſſum, huc illuc pavimento toto disjiceret; *déque Congiario ſparſionem faceret.* Adjecit (frendentibus licèt illìs) cum ſtomacho; *Veſtram Fidem! Hiſpana gens! Et Chriſtiani vos eſtis, quibus Theſauros in Cœlo Deus veſter imperavit*, ac ſepoſuit? *in Terris, vetuit? Ecce, Nos* ex Gentibus Peccatores, *& ab longis tenebris, nunc demum lumine cognitionis cœleſtis aſperſi; tamen id, quod* VERUM *eſt, videmus: & hoc, quod vos* AURUM *vocatis, nos* TERRAE MASSAM *dicimus; ínque medium & commune, tanquam poſſeſſionem plebejam, projicimus. At vos, in jubare Soléque Religionis primis ab natalibus verſati; tanquam* DEAM *quandam adoratis ac rapitis, Glebam neque veſcam, neque potabilem, nec ullo modo nutrimentis humanis genitam. nam alioquin, cur abdidiſſet illam Natura, quæ vitæ totius cuncta ſubſidia ponit in propatulo? Quod amplius eſt. In me, qui ſprevi veſtras æſtimationes, qui disjeci, qui protrivi, dentes infenſos ac lividos oculos diſtringitis: indignaminíque, quòd* IDOLUM *veſtrum, noſtris illis priſcis multò damnabilius, conſpuam & proculcem. Atquin ego vos, & Numen hoc veſtrum, quod adoratis, nihilominus citò placabo; ne diutiùs in diſſidio ſimus. Ego vos (ſi Felicitatem hoc appellatis) ad ſummas ſtatim Fortunas perducam; ex quibus non tantùm manus, & ſinus, & arcas, ac triremes veſtras, & maria, terráſque; ſed, quod his omnibus vaſtius eſt & inſaturabilius (hoc eſt, Avaritiam veſtram) expleatis. Ibi, quantum poteſtis concupiſcere, tantum rapite.*

pite, trahitéque; ſed ſine rivalibus, & lite ponderationum. Vos tantummodò mihi credite; méque ſequimini. Secundùm hanc, quam retuli, Satyram Panchiácus haud aliter, atque pollicitus fuerat, fidem exſolvit. Novis etenim arrectos votîs, à mediterraneis, in quibus hucuſque militiam triverant, ad Americæ ſuperiora, Boream versùs & Iſthmum, deduxit: & ex aliis alia commenſtrando loca, foſſilis auri maſsîs aut fluidi metalli glareîs opulenta; Regnum Hiſpanis his aperuit, quod Auriferae poſtmodo Castiliae nomen eſt ſortitum. Poſtea, progreſſus ad Occiduas partes; Zurii maris portus & oſtia, ſitientibus reſeravit; ad id uſque temporis navibus Europæis inacceſſa. Præter hæc, montium Darienæ regionis latentes opes: &, quibus ex littoribus Lima, Potoſſium, Chila, cæteráque fortunatiſſimæ continentis abdita penetrarentur, retexit ac propalavit. Ne verò dictis ejus diſcors apparéret eventus; in ipſo ſtatim itinere, quod ad Iſthmum ferebat, Panchiáci Reguli ductu, Valbóa repertîs auriferis ſpecubus, obryzo copioſo militares currus & impedimenta referſit: donec ad æquoris Pacifici littus illud pervénit, quod nunc urbi Nombredioſæ ſtat oppoſitum. Illic & Portum, utcunque priùs rudem, in formam commodiorem redegit: &, partim, ut repertæ felicitatis fidem præterito firmaret; partim, ut ſpes ſubſequentium in tempus futurum vallaret; Arcem erexit, ſuper ipſum littoris marginem; cuj nomen Aureo Castello fecit. Ac, ne gratuitus eſſet tam ſpecioſus titulus: quidquid Auri priùs, ac poſtea, Valbóa congeſſit;

geſſit; id univerſum illius munitionis laquearibus intulit: non ſibi tantùm, ſed & Regi; cujus in obſequium redierat. Verùm, exempto rebus humanis Valbóa, redactíſque ſub imperium perduellibus; Regii curatores conſiderare lucrorum compendium, & ſub rationes vocare cenſus annuos exorſi, qui redundare poſſent in Philippos: Caſtello paullatim domuum frequentiam, & hinc urbem; mox turres & propugnacula, circumpórtârũt. Et hæc nunc eſt illa, toties memorata, ſæpiúſque memoranda Panama: cujus principia ſeſe debent Valboanae, velut retulimus, rebellioni: *fortunâ Regis, etiam è læſa Majeſtatis decremento, majeſtatem augente.* (h)

ARGONAUTICÔN
AMERICANORUM,
SIVE
PERICULORUM PETRI
DE VICTORIA
Liber III.
CAPITUM BREVIARIUM.

I. *Petrus Victoria, Panama navigaturus in Peruvium, primò ventis retinetur: deinde febri graviſſima, ex æſtivis caloribus. Eam Victoriæ lethiferam, Medici pronuntiant.* Commentarioli pag. 17. fin. & pag. 18.

II. *Petri dolor atque lacrymæ, ex mortis denuntiatione. Pœnitudo præteritæ vitæ; & hanc conſecuta, febris remiſſio.* Comment. pag. 18. fin. & pag. 19.

III. *Con-*

III. *Confirmatiore valetudine, Petrus tandem, cum Sociis, navem inſcendit; verùm, adverſùs tantum iter, perperam inſtructam, & imparem. Tumbeſianorum admiratio, primis Europaeorum conſpectis triremibus* Commentar. pag. 19. & 20. princ.

IV. *Ab deſtinato in Peruvium Navis curſu, ventis obliquis avelluntur procùl, in Occiduum pelagus. Legunt, invitô remigio, Nova Hiſpania, California, Quiviraq́ littora. Tatarraxi Senis Regia, & opes; ac regni prodigioſa animalia. Quadam adduntur, de Inſulis Salomonis, ac Novâ Guinéâ.*

V. *Vi procellarum, in Inſulas denique Philippinas abripiuntur. Ea deſcribuntur, cum ſuis opibus. Reſarto navigiô, ab iiſdem retrogrediuntur, in Peruvium vela facturi.* Comment. pag. 20.

VI. *Nova coorta, eâque ſæva, tempeſtate, navis Victoriana in anchoris, & vectores in formidine, fluctuant. Pace maris reddita, curſus, in Peruvium cæptus, reſumitur: qui tamen navigantes, ob nimiam longitudinem, grandi ſollicitudine affligit.* Comment. pag. 20 & 21.

VII. *Magiſtri navis, callida ad vectores oratio: qua eis, de annona in futurum ſollicitus, perſuadere nititur; ut commeatum omnem, in commune comportatum, ſibi, ceu cuſtodi & diſpenſatori, concredant, æqualiter ac viritim diſtribuendum.* Comment. pag. 22. princ.

VIII. *Vectorum, adversùs naucleri conſilium fraudulentum, queſtus, murmura, proteſtationes. Sed vincit illius prava ratio; non ſine damno, rixis, & indignatione Sociorum.* Comment. pag 21. fin. & 22.

IX.

IX. *Poſt multum temporis, Peruvium tandem aſpiciunt: ſed non agnoſcunt. Scaphâ exploratoriâ incaſſum emiſſa, Panamam versùs denuò rapiuntur ventis: & versùm Hiſpaniæ Novæ littora. Ad eam uti navem advertat, gubernatori perſuadere nituntur.* Comment. pag. 22. & 23.

X. *Pertinax adversùm ſalutaria conſilia magiſter navis; relictis utilibus Panama, Novæ Hiſpaniæ portubus, navigium procelloſo cuidam Promontorio applicat. Mox fraudulentiâ nova auctor eſt Vectoribus; ut eorum dimidium, ad levandam annonæ gravitatem, navi relicta, pedeſtri itinere procedat, ad innominatam quampiam urbeculam.* Comment. pag. 23. fin. & pag 24. ac 25.

XI. *Nauclero, fraudis ſuſpecto, & fidem apud vectores non reperienti; fidem animóſque complurium conciliat nonnemo Sociorum, per dolum aut vanitatem. Victoria ſolus unus in ſententia contraria perſiſtit.* Comment. pag. 25. & 26.

XII. *Ab hac tamen eum denique demovet, quantumcunque diſſentientem, Pediſæ cujuſdam amicitia, & importunæ preces. Vectorum ergo magna pars, & in his Victoria, ſcapha terram petunt: navim & mare relinquunt.* Comment. pag. 26. & 27.

POSTEAQUAM Pánamam pervenimus; Peruvium confeſtim, inoffenſo maris, ut ſperabamus, curſu cogitabamus. Sed ventorum torpore ſpes pariter & naves ſuſpendente (ſubſederant enim Aquilones, quorum præcipuè ſucceſſu velificandum erat) in urbe,

urbe, malè gratâ quiete, deſedimus. Et tunc æſtatis adultæ curius erat; cujus intolerandus ardor, vix aliam totius Americæ terram ſæviùs accendit, aut perſeverantiùs exurit. nam, præter ſpiſſatos directo Sole radios; æquoris inſuper reflexo fervore plaga paluſtris & uliginoſa marcet: toſtíque per immenſa littora ſabuli caloribus, corpora torquentur. Ætnæ Siculæ, Veſuviíque Campani, diceres viciniam; perpetuis ignibus flammatam. Ita non tam æſtuant illic homines, quàm aſſantur; cute ſemuſtâ puſtulîs, ac Maurico pæne nigrore rumpi ſolitâ, fœdarſque. Quare, citò viſcera penetrante ſidere, flammáque correptîs inteſtinis; morbi gliſcunt, & contagia vulgantur: inter corpora præſertim inſueta, vel alioquin ob teneritudinem fluxa. Vectorum itaq; non pauci, mari ſoléque feſſi, concepto languore, decubuêre.

Mihi moleſtius nihil erat, quàm auræ ſecundioris exſpectatio; diuturnâ ſanè, jámque ſextum in menſem effluente morâ. Cujus, dum & tædio conficior, & incertâ meliorum ſpe diſtendor: ecce! quæ tamdiu me diſtulerat intactum, in me vi totâ ruens acuta Febris incumbit; tantò gravior utique, quantò tunc alieniore meo tempore. nam, ne triremis interim curſum ſuum urgeret & expediret; metus nec immeritus erat, neque parvus. Intendebatur inter hæc morbi vis; & valetudinis moles, proſtratum ad extrema deduxerat: cùm (dictu miſerabile!) ſuper hæc omnia Medici quoque, deſperato curationis ſucceſſu, mihi ſuprema denuntiant; adjectô; *Non artu ſua, non virium & corpuſculi*

ſculi mei, tantis depaſti caloribus, eſſe poſſe, proferre vitam. Cederem itaque Numini, quod ſuum eſſet, repoſcenti: darémque manus Naturæ, pari rigore ſenium juveniléſque pedes, in conditorium citanti. Sic eſſe conſtitutum æternis legibus; ut inoffenſo paſſu procedat moriendi neceſſitas. Cuſ proinde, ſi virili fortitudine pueriles annos impénderem; dimidium mali ſuperatum fore. PRIMAM *eſſe Mortis facilitatem, non Timere Mortem: longéque negotioſiùs Pavorem interitûs, quàm ipſum interitum, exantlari.* Fulminatus ego tam tragicâ, támque præter opinionem jactâ criſi, planè peremptoriâ; ſiqua fides eſt vitę dulcedinem continuatâ felicitate quondam expertis, & mox ab hac in luctum ſempiternum deſcenſuris: dubitare mecum ipſe cœpi; veréne ſic haberent ſeſe, quæ valetudinis arbitri protuliſſent? an verò per ſoporem & delirium hæc audiſſem? Sed ſimulac, illorum abſceſſu meæque ſolitudinis ſilentiô, quies & otium fuit; cuncta per rationem meditatiùs exputandi: tunc enimverò cœpi, conſideratâ funeris propinquitate, fletibus non perfunctoriis diffundi; cubitóque ſuper pulvinum, quoad vires dabant, nixus, memetipſum hiſce ferè lamentis, ante fatum, extuli;

II. PEREUNDUM *eſt igitur? & pereundum, inter gentes non tantùm exteras, ſed etiam ultra notum Solem projectas, & omnem humanam conſuetudinem exutas? Moriendum ante diem? & hoc quidem impuberi? modò quatuordecenni? vixdum etiam delibatis vitæ dulcioris principiis? Et, nondum exactis adoleſcentiæ ſpatiis, jam tempus ego, jam ſenium explevi? Quid ergo*

nunc generis claritas? quid opulenta congeſtis copiis domus? quid latè ſparſa, per cognationes, per & affinitates nobilitas, in ſaculum aliud abituro conferunt? Fruſtra, mi VICTORIA, *fruſtra, multúmque pœnitendo, tot marium Inſularúmque circuitu; Feſſam, Marrocchium, & Mauritania decolóru extrema, Peregrinus Europaus raſiſti! Stultâ navigationis laſſitudine totum Atlanticum cucurriſti; Fortunatas luſtráſti; Margarita portus intrâſti; Carthagénam & Nombredioſam obiſti; caterósque maris importuoſi flexus & angulos pervaſiſti: quo pretio laboris? ſcilicet, ut Baticam, ut Hiſpalim, ut penates paternos, ut amabiliſſimam genitricem, fugeres! & inter tuos vivere ſecurè noluiſti; quò periculoſiùs atque turpiùs inter alienos perires! O, me calamitoſum, torviſque fatis in lucem editum! Ergò non potui Tempeſtatibus vitam ponere? non, Braſilorum Canibalúmque littora praterveƈtus, barbaricis configi telis? non piratico certamine cum Andráda Villandradióque, ſicut periculum, ità mortem, ſociare? non mille diſcriminũ ruinis, in tanta malorum fertilitate, tantá Ponti levitate, conſepeliri? Nunc denique, nunc, avuncule dileƈtiſſime, repulſa precum tuarum, quales commerui, pœnas dependo. nunc, tui contemptum pelle mea depleƈto. Tu monebas tu retinebas, tu lacrymis, minis, vaticiniis abſterrebas: nec tamen vel hilum in contumaci peƈtore proficiens, quantum mater in filio, tantundem verborum propinquus in nepote, dilapidabas. Et nunc quidem fortaſſis irridet fugitivi ſui proterviam Roas. Fortaſſis impietatem degeneris nati pia genitrix exſecratur; & inter ſolitaria viduitatis quotidiana lamenta, fletibus iſtis meis, juſtiſſimô ſuppliciô, Nemeſis aquas adfundit. Hoc*

ſcilicet,

ſcilicet, hoc nunc curioſæ pertinaciæ pretium; hunc exitum refero, non reverentis cognatum ſanguinem, temeritatis: ut Matris deſertor, Avunculi contemptor, periculorum irriſor, avi levis, conſcientiæ gravis, ſolatiorum omnium egens, Chriſtiani funeris & exſequiarum exterris; procul paternis cineribus, & tumuli communione, deputreſcam. Sed parva ſunt hæc. Ille potiùs, ille mentem meam nunc pavor lancinat; ille ſub præcordiis horror, mortis in vicinia, conſternat: Præteritorum pudibunda memoria; ſcurrilium in lubricis annis errorum recordatio; neque pauca grandiores ætate ſuâ noxa: quarum nec expers jam olim Hiſpalis fuit; & nauticus, per tot vectorum ac ſcelerum irritamenta, curſus fertiliſſimus. Nunc (eheu) deliciæ vanuerunt, animi remorſus durat: uſura flagitiorum tranſvolavit, & pœnitudo ſucceſſit: quæ Promethéo quocunque vulture crudeliùs viſcera fodicat. Peccatum peractum eſt, peccati ſuppliciū impendet. Iámque, ſimulac damnatum, VICTORIA, *ſpiritum effuderis: miniſtri, qui præſtò ſunt, Tartarei, teterrimiq; Stygis apparitores, tetrum & ſibi concolorem Reum ad Puteal raptabunt horrendū; ad Prætorem, quovis Caſſio rigidiorem, improbitatis omnis ſcopulū: ad Iudicem ac tribunal, à quo tam Neſciri malefacta capitalia, quàm poſt funus Abſolvi, nefas eſt. Sequetur reum convictum & indefenſum, inexorabile ſine fine ſupplicium: ſequetur horribilis immensâ profunditate Vallis, inextinctis Tartarorum incendiis æſtuoſa; cujus Flammas immanes, nulla Panamæa Canicula vel Sirius æſtivus æquat; nullū Atlanticum Zuriúmque Pelagus obrueret aut temperaret. Ad quæ nunc omnia (miſer* PEIRE) *cauſâ parùm præmeditatâ, nullóque patronô, feſtinas.*

QUAE cùm in hos ego, ſimiléſque plures queſtus, largiſſimis infuſus lacrymis, egeſſiſſem: revolutus in lectulum, ad CHRISTUM, Deum ac Servatorem, oculis animóque converſus; quanto potui mentis & præcordiorum dolore, rogare meorum admiſſorum veniam, omnium ſingulorúmque cœpi: non voce minùs, quàm manibus, cœlo tenſis. Vnde, quotquot domeſticorum ægri lecticam circumſiſtebant, in fletus uberes effuſi; mecum éadem orabant, ac dolebant. Viſúmque placari mox Numen. nam remiſſiore protinus æſtu, de morbi vi plurimùm deceſſit. Relevari capitis ac viſcerum ardor; minùs jam rigére lingua; meare legitimo temperamento venæ; prorſus emendari valetudo; ciborúmque patientia vitiato ſtomacho reviviſcere.

III. Non fefellit hic ipſe rei melioris rumor Medicos. Vnde, qui nuperrimè decretoriâ me cenſurâ ſepelierant, iidem ad me paul'ò pòſt, quaſi refoſſuri, concurſant: &, ſive ſincerâ gratulatione, ſive (quod familiares conjectabant) à convaleſcentis hilaritate liberalius lucrum & Soteria prolecturi; tanquam per officium frequentant. Largis interim, & ad animum recreandum quæſitiſſimis ſermonibus, primò; mox altero, tertióque, tum & pluribus diebus aggreſſi: celeriùs omnium opinione mihi ſalutis aut firmitudinem attulerunt; aut (quod idem eſt) fidem & credulitatem. *Plerumque namque, qui ſe valere putat; ille jam valet.*

Cæterùm ego Medicis non ſine luculento præmio remiſſis; cùm dilapſam jam pridem trire-

triremem tacitus dolerem: devoratis tandem animi tædiis, ad urbis Panamææ procerum nonneminem accedo; propoſitóque Peruanæ navigationis deſiderio, commeatum ab eo, ſimúlque de meliore nota commendaturas litteras, ad Proregem Limanum, extorqueo. Mox, ulterioris moræ faſtidio, quoniam triremium biremiúmve juſtarum copia non erat; navium ordinis minoris aliquam (veriùs Celocem grandiorem) inſcendo; plebejam ſanè trivialémque: prætereà nominibus aliis multis miſerabilem: quippe nec annonâ, niſi negligenter; nec armamentis ſuis aut utenſilibus, inſtructam. non illic vela, contra procellas duratura; non malus, ſuſtinendæ carbaſo firmus; non rudentes in longum ſolidi; non carina lateráve, fluctibus inſultaturis paria. Dicam ad ſummam: ne magiſter quidem navis vir gnavus aut alacer videbatur; lentiſſimíque remorum ductûs miniſtri, qui per tranſtra ſedebant: prorſus ut appareret, niſi venti nos protruderent, tertiô quoque die tres paſſus eos in Pelago promoturos; & in eorum ſocordiam meritò Bilbilitanus noſter vates, prælusiſſe credi poſſet: cùm id genus remigum, NON NAUTAS putavit eſſe, ſed ARGONAUTAS.

ET talis quidem erat ARGO *mea Quarta*, qualem depinxi modò; depingámque poſthæc ſæpius. Sed tam malè materiato vehiculo, nihilominus animam & ſpes noſtras auſi concredere CENTUM viginti quinque vectores, præter nauticam turbam, Panamæô portu ſolvimus. quos inter etiam Neſtor ille meus, facundúſque polyhiſtor, erat.

Peruvium autem omnes æquè tendebamus. Et navigationis quidem principia, ponè littora, præclarè ſe dare viſa ſunt; non tam navicularioꝛum induſtriâ, quàm cœli ſereno, ventorúmque non diu duraturâ fide: narrante præſertim ex aliis alia Neſtore; quorum tam copioſus erat, quàm aquarum mare. Sicut enim ſingula quæque rerum obviarum ſermonis anſam ei dabant; ita loquendi flumen ad ea vertebat. Cùm autem & barbaros animadverteret pro littore conſiſtentes, ac celocem noſtram non maximam, tanto cum onere, mirantes; Atquin (inquit) hæc illis pacata navigia, ſine pompa triremium, & armorum terrore, jucundiora viſu ſunt; quàm maria, Darii Xerxíſque claſſibus conſtrata. Sunt enim indigenæ partis hujus Americæ (ſicut & Peruvii) ſubtimidiores, ſuſpicaces; &, ad grandia potiſſimùm machinarum ſpectacula, formidoloſi. Certè, qui Peruanorum primi (quod Tumbeſiam incolentibus præcipuè ſignatéque memorant eveniſſe) triremes & onerarias Europæas conſpexêre, diſpaſsîs velîs antenníſque volitantes, & alternatione remorum incedentes: homines, omnium rudes, & tranſmarinorum inſoliti, quíque præter Canóas, Peraguas, & Balſas ſuas (id eſt, lembulos) nihil unquam nauticum oculis uſurpâſſent; principiò, tanquam ad prodigium quoddam, concuſſi feruntur. Avulſas ingentî terrarum tremore rupes, aut ſeminſulas, incertô ferri fluitaréque pelagô ſuſpicati: poſteaquam propiùs admotas, æquali ſemper agitatione moveri, nec uſquam impari-

ter mergi, deprehenderunt; admiratione propemodum lapideſcere. Donec ad extremum, etiam hominum formas in triremibus conſpexère; per foros, pérque malum, per prôram ac puppim, & navium marginem diſcurſantes; donec conſideravêre vultus peregrinæ frontis & oris; nec perinde, ſicut ſeipſos, inveſtes ac depiles, ſed aptiſſimis membrorum tegumentis, & cum gravitate barbæ. Tum enimverò prorſus extra ſe poſiti, *Deos! Deos! & non Mortales*, clamare, credere, venerari, ſunt orſi. *(a)*

IV. Sed jam pridem, dum nos in Neſtoreas has pluréſque ſimiles enarrationes, intenti pendemus: & ſerenitas aërem, & ventus ſecundus navim, deſtituerat; in Eurum ſubitò rapidiſſimámque procellam commutatus. Et nauclerus, nec ſcientiâ torquendi clavi, nec induſtriâ laboris, tempeſtati par; remiſsis manibus, Oceano nos permiſit, ac fortunæ fluctuantis arbitrio. Quo factum; ut ab littoribus maris Orientalibus, quæ Peruvium nos pervexiſſent, momentô celeriùs abrupti, longiſſimè raperemur in Occidentalis æquoris vaſtitatem: & inemendabili dierum aliquot noctiúmque curſu (cum Vulturni violentiſſimi nec punctum de flatu remitterent) plerumque margines Hiſpaniæ Novæ, dextrâ jacentes, legeremus. Paulò pòſt ulteriùs provecti, Californiæ, quæ ſuprà Novam Hiſpaniam ad Occaſum porrigitur, Sinus intramus. Ab his ipſis tamen mox diſpulſi, Cæciâ vento nos proturbante; tranſverſim in alta maris aliquouſque raptamur. Ibi, coortâ repentè

pentè malaciâ, dierum aliquot ingratiſſimam trahimus moram; non prorſum, non retrorſum, progrediente celoce. Poſt quæ, recrudeſcentibus Vulturnis, ad continentis Americæ Borealia, deflectere cœpimus; errore tam omnibus manifeſto (ſed quis, ventis nolentibus, corrigeret?) ut, vectorum quidam, veterî littorum peritiâ, Regiones agnoſcerent. Monſtrabatur veteranorum digitîs, eminus & in extremo maris ac terrarum angulo, QUIVIRAE Regnum; Archipelagus inter, & Anianum Fretum, medio ſitu. Qui luſtraverant olim, miranda referebant. Canes, leonum magnitudine; cæterùm tranſportandis oneribus habiles, & inſuefactos. Tatarraxi præterea Regiam; Senis, majorum noſtrorum memoriâ decantatiſſimi; quíque regio jure nominéque Quiviranis præſederat. cujus opum exciti famâ quidam noſtrorum hominū; & credulitate temerariâ certis incerta præhabentes, ſigna reliquerunt, ſub quibus ſacramento meruerant: ac, præſidiis Mexicanîs imminutîs diſceſſu ſuo; poſt iter longiſſimum, & millena pericula, Tatarraxum denique Regem invenerunt, Solio reſidentem ignobilî, ſine veſtitu, ſinéque gloria, vel apparatu, regnantibus ſueto: niſi, quòd collum ol·ibat, ære fuſilî plebejô (quod cuprum vulgus vocat) ductus plexúſque torques. Hæc erat omnis illa Midæ tranſmarini Regia: *tanta fama tam vile crepitaculum*! Celeriùs itaque deſertores illi, quàm ſpe ſibi finxerant, obſaturati; correctâ ſtultitiâ, pedibúſque reprehensîs, Americæ citeriora repetierunt, nec in Mexicum quidquam, præ-

ter

ter longinquæ fidei portenta, reportârunt: in quibus memorabant Animal quadrupes, equi formâ proceritatéque; colóre puniceo, fronte mediâ cornutâ. Quod cornu, quia ſimplex & unius ſine flexu mucronis eſt; MONOCEROTIS nomen & auctoritatem illi Belluæ conciliavit. Caput ejus propemodum cervinum, arduâ ſubrectâque cervice; pedes quoque tibiîs, caprearum in ritum teretibus, atque macrîs. Ferox aſpectu, ſævúmque feræ genus, quoties inardeſcit; præcipuéque, ſi lædas: cæterùm irâ citò deferveſcente, placabiliſque; ne quis multùm dubitet, de veritate Monocerotis. (*b*)

A QUIVIRAE deinde littoribus, interſpirante Boreâ tranſverſíſque tempeſtatibus disjecti; vela convertere cogimur in Auſtros. iterúmque, nec multò pòſt, cadentibus Aquilonibus, & Euro nos propellente, mediô decurrimus Archipelago: relictîs ad lævam (quas oſtendebant eminus periti maris illius) Inſulis Salomonæis, Nováque Guinéa.

De Salomonæis in hunc modum referebat noſter polyhiſtor. Alvarum Mendavium, Limano ſolventem portu, poſt menſium tredecim continuam, & directi curſûs, navigationem; in multas incidiſſe, permagnáſque Maris, quod à Divo Lazaro nominant, Inſulas. Eminentiorum, hac tempeſtate, nomina memorabat, Ieſum, Malayam, Malartam, Atregádam, Trium Mariarum, Divi Chriſtophori, Iacobæam, Zambámque. quarum poſtremam, affirmabat, cæteris omnibus ambitu magnitudinéque præſtare.

Sed Mendavius (inquit) priuſquam ſuis ſingulæ nominibus inſignirentur à poſteris; eas generatim, pro jure libitúque Repertoris, SALOMONIS Inſulas appellavit. An, quòd ex iſtis uſque crederet ab illo Ieroſolymorum Rege, Davidis filio, petitum & advectum Aurum Ophiræum? an potiùs fortuitô quocunque mentis luſu, vel arbitrio? Diſtare porrò dicuntur ab America leucarum ſpatiô circiter octingentarum; faciliore (quod omnes confitentur) ad eas triremium curſu, quàm ab eiſdem in Peruvium recurſu; propter ventorum & Oceani diverſos mores, non æquè recedentibus faventium, atque venientibus ad eas oras. (c)

NOVAM autem GUINEAM (ab Africanæ Guineæ quadam ſimilitudine ſic appellatam) primus omnium Villalóbus, anno Salutis CIↃ.IↃ.XLIII. cum navibus, ad indagandas Moluccas, emiſſus è recentis Hiſpaniæ regnis aperuit. & ob hoc Argonautarum Hiſpanici ſanguinis non ultimam aſſecutus eſt palmam. Incolarum nigra corpora; ſed agilitate mirandâ, non ingenii minùs, quàm membrorum, prædicantur. Sunt autem, quibus hæc GUINEA continens eſſe videatur: quíſque Salomonæas Inſulas ei per Cherſoneſum Iſthmúmve connectant. (d)

V. SED nos interim, quanquam Neſtoreis his narrationibus non indelectati, Peruvium (quod ſolum quærebamus) remìs velíſque fugiebamus; & in paucis diebus, Archipelagi quoque ſpatiô decursô, ſenſim

Ocea-

Oceanum Orientalem, & Indiam Gangetidem intrabamus, quam nunquam deſtinaveramus. Id ventorum accidit pertinaci malevolentiâ; quorum indomitis furiis ablata celox noſtra; ne Tiphyi quidem (Argûs veteris magiſtro) paruiſſet. Ità toto jactati Zurio Lazaræóque mari; Philippinis tandem Inſulis curſum advertimus: non invito ſanè nauclero noſtro; quippe cujus actuaria jam nec contra famem ſitímque, neque ſatìs adversùm tempeſtates ac fluctus inſtructa, manifeſtè fatiſcebat & peribat. Sed libet (priuſquam Philippinas ingrediamur) eas obiter deſcribere; ſicut accepimus. Sunt Inſulæ complures, ſuper æquor Divi Lazari per pelagus Indicum ſparſæ: ferúntque PHILIPPINARUM nomen, commune cunctis, ab Regum, quibus ſubſunt, nomine: cæterùm, præter hoc, diſtinctis ſingulæ nuncupationibus inter ſeſe diſcretæ. Circumluuntur ab ortu Solis eo mari, quod Archipelagus (velut dixi) nominatur. Ab occaſu, Siánis regno Chinæque parte terminantur, & Indiâ, quam Orientalem & Tranſ-Gangeticam dicimus. Ab Auſtro, Moluccis Inſulis & Borneâ ſtipantur. ad Septentriones autem Cantóne finiuntur. A viceſimo ferè cœli gradu, Boream versùs, inchoatæ; pertingunt ad quintum, ſuper Æquatorem. Inſularum porrò nominatiores ſunt: Luconia, cujus caput eſt Mánhila: tum Mindanáa, Calamiana, Vizaia, cæteræque, ſub harum claritudine latentes. Earum pleráſque MICHAEL retexit LOPIUS, cognomento LEGASPES (etiam ipſe noſtris Argonautis

inſerendus, ex merito) ſub annum reparatæ Salutis Milleſimum, quingenteſimum, quartum ac ſexageſimum. (*e*) Sed multò jam antehac in eaſdem penetrârat, Alvarus Sajavédra, nobilis Iaſon & ſimul navarchus: qui, Ferdinandi Corteſii miſſu, Cinatlâ (maris Zurii portu) ſolutâ navi, procurrit in Orientem; Moluccas Inſulas inveſtigaturus. Per eam enim occaſionem, Mindanáam quoque, Vizajam, cęterarúmque nonnullas adiit; quas deinde poſteritas appellavit Philippinas.

Porrò cauſſam tam laborioſarum navigationum (præter Regum Hiſpanorum voluntatem & mandata) ſplendidam habuêre plerique; Famam ipſam ingentium & exoticarum opum, quibus tam Philippinæ, quàm Moluccae, ferebantur affluere. nec ex vano. namque ſanè, quales rumor cantabat; tales, ut plurimùm, reperêre. Præter aurum, & aromatum copiam; etiam Margaritæ jactabantur, non cujuſmodi vulgò ſunt in cervicibus & pretio principum fœminarum; ſed, quibuſdam in Inſulis, eâ granditate, quâ turtures ova nituntur. alibi, Gallinarum etiam & anſerum partus æquare, dicebantur. Ac, ſiqua fides idoneis Annalibus; invenêre quidam uniones, quales fama cantabat, & in Europam devexerunt. (*f*) Nos margaritam, nec ad nucis avellanæ magnitudinem, uſquam locorum illorum conſpeximus: nec uno grano locupletiorem navim reduximus: quam idcirco, diebus pauculîs inſumptis, ex anchora revulſimus; & in mare priſcum propulimus,

mus. Nam, quæ nos cauſſa retineret? Non fuerat neque conſilii noſtri, neque compendii; vel Moluccas intrare, vel adeò Philippinas. Sed nempe, mille locis lacera velorum carbaſa, cæteráque navigationis inſtrumenta manca; præter aquandi, frumentandíque neceſſitatem, etiam invitos advertere telluri navim coëgerunt. Ad Palméram igitur (quæ Mindanáæ, Vizaiæque media prætenditur, folii querni ſimilitudine) deſcendimus. nam iſthæc, uti prima tractûs illius Inſularum, ſic opportunior, occurrebat. In qua tamen haud ultra biduum exegimus; ac mox antiquo curſui vela reddidimus.

VI. Caeterùm, immutata repentè maris fides, in anchoris actuariam tenére compulit; nec retrò, nec prorsùm, velificandi libertate conceſsâ, tempeſtatum culpâ. Nam, præter diſturbatum procellis aërem, & furentium Auſtrorum violentiam, ex obliquo pelagus miſcentem; etiam nubes, æſtivis incenſæ caloribus, inter ſeſe collidebantur: creberrimóque ruptæ tonitrû, fragoribus aures noſtras; tumultu Pontum ac Cœlum; fulgurum flammis oculos; ignium jactu proxima littorum; & pavore palpitantia corda, verberabant. Inſuper etiam tenebris ſuppreſſus diei nitor, nocte præpoſterâ nautarum miniſteria ſuſpenderat; nullâ regendæ navis neque ſpe relictâ, neque modo, vel adjumento. dixiſſes, in antiquum omnia revoluta chaos; quodámque mox veluti cataclyſmô ſuperfundi. Nam etiam, nequid ad malorum cumulum deeſſet, præcipiti ruinâ fracta nubila (cùm procella, quam Ecne-

phiam dicunt, nimbos impelleret) improbis imbribus deſcendebant: &, aſſiduo caſu labentia, mari veteri maria nova videbantur affundere. cùm interim & ab anchoris, ancipiti fide pendens, navigium noſtrum fluctuaretur; in momenta ſingula ruptis rudentibus: & ſævô tot fluctuum agitatu, ſaxis littoralibus celox impingeretur. Sylvæ quoque, propinquis prætentæ littoribus, mari magìs ad horrorem, quàm ad ſubſidium periclitantium, incumbebant; non frangendis ventorum incurſibus, quàm augendo terrori, validiores: inſanô mugitu tot millibus arborum inter ſeſe colliſis, & ramorum fremitu longè latéque tumultuante. Grandi quoque terroris incrementô, tempeſtati nubium, horribilis rupium atque nemorum Echo conſonabat. Iam pridem itaque tot malorum terror, ac vectorum quoque nautarúmque miſtus clamor, omnia turbaverant; exiguâ ſalutis relictâ fiduciâ: ne mihi quidem, ſicut antehac, animi robore durante. QUID *enim facilius eſt, quàm, naturâ rerum omni bellante, mente collabi?* vel, UBINAM *citiùs ac ſæpius, quàm in mari, deſperatur?* ubi, *quot fluctus in procella, tot mortes, oculis* offunduntur. Quod igitur reſtabat unicum; ad cœlum, & vota, ſupplicabundi confugimus. neque caſsâ prece. Nam, exactô continuos inter nimbos atque turbines, die gemino, totidémque noctibus; lux tandem cœlo, nubibúsq; ſilentium & concordia, rediit: ſuppreſsis etiam imbribus, & ventis tantummodo nondum plenâ pace compoſitis. Horum bonitatem dum opperimur, paucis in-

cis inſuper ad corporum curam ſumptis horis; aquam & commeatum, fluctibus deſtructum, reparamus: quæque cætera ſarciendæ navi deſiderabantur, integramus. Sed erat interim exigua ventorum emendatio: quorum, malefido licèt durante flatu, relictis à tergo PHILIPPINIS, raptam è retinaculis actuariam, iterum in Peruanum curſum impellimus; remorū improbâ contentione.

IAMQVE menſis alter & alter navigatione proceſſerant: &, quantum tempora, tantum alimenta, diffluebant: dum, prædevoratâ Peruvii ſpe propinquitatéque, nihil quiſque minùs, quàm parcimoniam, meditatur: &, abſumpto præſenti victu, ſibi cuncti futura pollicentur, ad uſque luxum & copiam; in tanta præſertim littorum feraciorum exſpectatione. Sed hæc, quantô ſperabantur, tantò fugiebant errabundos: & iter, cum tædio cunctorum, tendebatur in longinquum. Iámque vectorum pleroſque ſollicitudo torquebat proferendæ vitæ, producendíque commeatûs; maximè, tam frequenti populoſóque navigio. Nauclerus igitur, in iſtam jam pridem intentus, & nunc tam appoſitam nactus, occaſionem; vocatis ad concionem, quotquot in tabulatis & tranſtris erant; in hunc ferè modum verba facit: &;

VII. PER *aliquammultos abhinc*, inquit, *dies quiritantium voces & murmur excipio, de prorogata, præter omnium metum ac ſuſpicionem, navigationis morâ. Debet igitur hic ipſe querulorum affectus admonere nos: ut incommodis quibuſvis impendentibus remedium in tempore*

pore comparemus. Et, ſi quidem mea remigúmque tarditas incuſaretur; ſi ſcopuli, ſi Scylla mariſque Syrtes, ſi naufragia timerentur, quorum diſcrimen humana depellere valeret induſtria; totum in me meiſque crimen eſſet, & manus noſtra. ſaluti vectorum conducta, velut noxia reſpicerentur: ſi quando nos, rebus in arctis, langueremus. At nunc, incertis & nullo mortali conſilio prævertendis, conflictamur, omnes ex æquo: Fatis ſcilicet, & Futuro, quæ poſita ſunt útraque, cœleſtium in poteſtate. Numinis volâ dexteráque Venti continentur, non, arbitrio meô; qui nuper, tam ſecundi, tam fluxiles; ut etiam incogitantes nos Salomonæis ac Philippinis Inſulis impingerent: paullò poſt in contrarium converſo ſucceſſu, nunc pluſquam bimeſtri tarditate nos affligunt. Iidem ipſi quoque, qui nunc pravi ſunt, in deterius variato flatu, fieri praviores poſſunt: turbinúmque mobilitate (quod Superi tamen avertant omen!) forſitan in Auſtralis Oceani, vel Archipelagi Septentrionalis diſtantiſſima littora, navim diſjicere. Non inſueta (mediuſfidius!) nec ab humanis maritimíſq; caſibus aliena, loquor. Poſſunt iſta, ſoléntque contingere, graviùs, leniùs; prout Superis cordi ſumus: &, ſi (quod procùl ſit!) contigerint, interrogo; Quid facturi tunc ſimus? Equidem, quod mearum fuit partium, ad hanc uſque diem cum fide præſtiti Pánamâ navim eduxi, laceratam æquoris injuriâ, velis, malo, rudentibus, antemnis, remis, inſtauravi. penuriâ preſſam potabilis aquæ, tum & quibuſdam utenſilibus imminutam, ſupra neceſſitatis leges inſtruxi. Vitæ cætera ſubſidia, quorum uſus indigebat, importavi. Nihil horum omnium facilè deinceps, ne productâ quidem

dem in quartum quintúmve menſem profectione, deſieri poteſt. Soli victui (vectores mei) ſoli diario, periculum ex futuris eventibus, ſemper, & in omni Ponto, ſub omni navis rectore, poteſt ingruere. Quis enim gubernatorum ventos unquam? quis Oceani fidem, in capiſtro tenuit? Aut quanam res eſt ad obſequium minùs nata, quàm procella, vel aura? Quantùm tempeſtates, tantùm extendi navigationis mora, poteſt. & tunc (ut oraculô quàm clementiſſimô vaticiner) nos famebimus. tunc inopia ſuccumbemus, qui ferociæ maris non ceſſimus. Certum hoc eſt, & extra controverſiam, periculum: niſi paucis in diebus, Peruvii littora teneamus. Fingamus tamen curſûs noſtri, vel unicam adhuc, & menſtruam duntaxat moram. quot turbela tantiſper? quot caſus agitare puppim hanc poſſunt? Et tunc vos (utcunque proviſum mihi meiſque ſit) ex penuria languebitis; ex languore, ſuccumbetis. Toties annona ſolet incendi, quoties fervere mare: nec ulla (quod ſcitis) in Oceano ſegetes, nulla fruges, ut in continenti ſiccóve, ſurgunt. granaria procùl hinc, & horrea. Quapropter, ut ad conſilii mei caput aliquando veniam, ô vectores: Siquid experto præteritorum, ſiquid venturorum præſago viro, creditis; jam nunc in medium, quidquid apud vos copiæ, quidquid annonæ deſidet, conferte. Communis omnium veſtrum nauclerus, communis etiam diſpenſator ero: commune, faxo, ſit omnium noſtrum promptuarium; & penus in navi, meâ fide clavibúſque, claudenda vobis; &, quoties res poſcet, reſeranda. Nemo providentiam cujus nunc auctor ego ſum, damnet: nemo ſibimetipſi plus in inopiæ diſcrimine, quàm publico curatori, fidat. Quoties enim in lon-

in longum navigatio tenditur ; improvidè ſibi quiſque, gulâ ſtimulante, conſulit : & quantum appetit, tantum abſumit. in diem, ſine futuri curâ, vivit; & ante diem rapitur, frigoribus, nauſeâ, ſtomachi doloribus : qui primùm ex ingluvie ; poſtea ſenſim ex penuriâ, gliſcunt. Tunc igitur promuſcondus optimus is eſt ; qui providentiâ modiô victum diſpenſat. Suâ cuique diætâ, ſuo cánone, deinceps vivitor. non ad cujuſque libidinem (quæ ventribus rabidè famelicis, inexplebilis eſſe ſolet) ſed ad rationis medimnum, frumentum deſignator : nec aliâ menſurâ, quàm ad Oceani latitudinem, commeatus exigitor; ut, quoad Ponti curſus, tantùm uniuſcujuſque victus & vita, porrigantur.

VIII. NON feſellit nauclerus, privato magìs ſuóque queſtui, quàm communi noſtrum commodo, diſertus eſſe. quem contra plerique muſſitabant; *Enimvero non gratìs tam ab alto repetitam orationem, huc demum evaſiſſe; Panarium ut ſibi, remigibúſque menſam, actuaria præclarus rector quæreret. In hoc ergò ſtudium productas congeſtáſque reſuti navigii laudes? Cur igitur non ſimili ſermonis crepitaculò celebratam gubernantis inſcitiam, velorum pannucias, mali fragmenta, laterum atque tabularum infirmitatem, pudendos per vaſtum æquor errores, & invitiſſimis obtruſas Philippinas, fœdéque fluctuantem ex ipſis anchoris celocem? Cur autem non ab ipſo confeſtim navigationis exordio, propoſitam profecturis tam infantilem comportandi commeatûs conditionẽ? Tunc certè neminem unius alicujus fuiſſe navarchi remis ac rudentibus illigatum; ut non vel alium reperturus fuiſſet, in ſuas leges & commoda, vel*

mari-

maritimum iter in tempora rectiora dilaturus. Sed ſcilicet haud id agi, ne vectores egeant; quorum nemo non ſuas neceſſitates, (antequam alto ſeſe committeret) in conſilium vocarit: ſed id quæri, ne probroſæ mendicitatis rector, ne navicularia mancipia, fameant, homines mortalium omnium exhauſtiſſimi, pumicéque jam dudum aridiores, ac ventorum vacuô paſci conſueti. Miſerum ipſum, obaratum, capite cenſum, animæq́ ſuæ debitorem; poſteaquam domi ſua conturbarit, nunc, incitis urgentibus, foris naviculariam factitare cœpiſſe; nulliſque, ne triduanis quidem, repertis futuri ſubſidiis, ventrem famelicum, & operas jejunas, in navim importaſſe. Conſumptis nucum & amygdalorum corticibus, quos in angulo navigii roſiſſent, nunc ad mendicationes confugere, ſubdolô Communis Neceſſitatis prætextu palliatas. Ergóne, qui ſibimet frugi non fuiſſet, alienis jam malis (quæ fingeret) obviam iturum? An autem alienas cuique curas largiùs, quàm proprias, eſſe conſulturas? Cur diuturnæ navigationis moras, quas ille nobis metueret, non induſtriâ potiùs ſuccideret; quàm ignaviâ ſuâ mendaciiſque prorogaret? Poneret tamen, & de compoſito texeret, longos curſus, navis interitum, ejectionem in Inſulas ignotas, & humanis cultûs expertes. Nempe, tali quoque rerum eventu, ſibi noſtrûm unumquemque navigaturum, ſibi victurum eundem ac moriturum; potiùs, quàm circumſcriptori nauclero remorúmque motoribus, in prædam ac direptionem cederet.

ISTA clanculùm principiò; mox valentiùs, & pæne cum clamoſa rebellione, dicebantur. Tamen, omnibus denique penſitatis; ac maxi-

maximè detrimento periculóque, quod ex rectoris contemptu repulſâque creari nobis poſſet (nam, cuj parcerent, oblatâ frangendæ navis occaſione, viles ac venditæ remigum animæ?) tandem in vota gubernatoris deſcendimus: & , ad præſcriptum, annonam unà cum clavibus comportavimus.

Verùm illicò fraudis exitus in aperto fuit, iniquiſſimâ diariorum diſpenſatione: cùm, qui quàm plurimum contuliſſent in publicum, minimô fruerentur; & è diverſo, potiſſimam victûs portionē ad ſe nauclerus ſuóſque ſervos traheret; qui tamen omnes ſimul, nec ſemodium attuliſſent. Indè rixæ ferè quotidianæ; clamores diſſoni; mentes averſæ; litigiorúmque minacium acrimoniâ, tantùm non bellum denique nauticum, mali conſilii peſſimum excrementum.

IX. INTER hæc tamen, emendatîs utcunque ventîs, navigatio promovebat. Iámque dies, ex quo Philippinas reliqueramus, diluxerat quintus & octogeſimus: cùm ad primos Auroræ radios, nihil jam pridem extra Pontum & nubes aſpicere ſolitis, regio quædam ſeſe procùl oſtentare cœpit. Neque tamen, cujus nominis aut terrarum hæc eſſet, pro comperto tenebamus; nebularum denſitate, locorum cognitionem diſcriménque conturbante: cùm revera PERUVIUM id eſſet. Hujus ignoratione, quoad exploratiora deprehenderemus, in altum converſo detortóque curſu; maluimus pleno nos æquori, quàm ignotarū gentium littoribus, committere. Ne tamen in inſcitia diuturniore nautæ perſeverarent; dromadem, phaſelo noſtro

ſtro connexam, vulgóque Gorgonellam dictam, expedire viſum eſt: ad Orientales plagas directô curſu, certiora cognituram. quæ tamen, profugarum more, nunquam deinceps ad matrem, & ſcilicet actuariam noſtrã, revertit. Tantò pejùs actuariæ conſultum, in maris medio fluctanti; nec ullum, cui ſe tutò crederet, oræ maritimæ locum reperienti: quippe, ſcaphis jam nullis ad explorandum relictis. Inexploratis autem regionibus inſulíſve, quis navim appelleret; in tanta littorum importuoſorum iniquitate? Cùm præſertim, ſuper hæc, ingens quoddam illius tractûs Promontorium, in Oceanum imenſo procurſu ſic exeat, in cuſpidis ritum & acumen; ut incredibilis ſpatii ſinum, moleſtiſſimô navigantium circuitu, conficiat. Illic, vorticosô pæne turbine gyratum mare, naves (etiam è remoto propinquantes) impetu violento trahit, ac raptat. Cujus inſanâ proinde vi, noſtra quoque Liburnica tandem abrepta, nec contra ventos quidquam, neque contra Typhonem, potuit. Ergò nec volentes, neque cogitantes, Pánamæ quondam relictæ, rurſus finibus influebamus; volantibus ſimiliores, quàm navigantibus: velocitate tantâ puppi veliſque raptis, uti nec ad anchoras quidem jaciendas, aut ad retinacula defigenda, ſpatium ſupereſſet, ac tempus.

In hac igitur fortunæ malevolentiâ deprehenſi, conſilium ponere cœpimus: Panamámne rurſus Vrbem, (cujus in conſpectu pæne portúque conſiſteremus) an æquoris immenſum, peteremus? *Poſſe Pánama, quidquid erroribus nauticis peccatum eſſet, recompenſi:*

poni. poſſe commeatibus vectores, conſiliis nauclerum & nautas inſtrui: navimque tum denique, veluti reſumpto ſpiritu, curſuram acrius & ſecundius; in loca regnáque deſtinata. Nemini ſententia tam compendioſa, præterquam magiſtro navis, diſplicuit. Hic enim, remis velíſque Panamam fugitans, Suaſoriam noſtram ne quidem ad aures admiſit; *Scelerati* (ſicut ipſe loquebatur) *& æſtuoſi Portûs* exſecratione: quippe qui calore ſuo peſtifero ſanam adhuc, & morbis intactam, actuariam incendere lue poſſet. Revera tamen, ſapienter rem æſtimantibus, manifeſtus erat; inopiæ ſuæ mendicitatíſque conſcientiâ meliora conſilia reſpuere: Vir utique triobularis, quíſque probè nôſſet; fortunæ tenuitate, vix in Panamæo littore cum unius impendio teruntii ſe cœnaturum; nedum in remotas PERUVII plagas, juſtis ſumptibus, biremem aut triremem expediturum. Tantum *impedit commune juſtitiæ bonum privati diſpendii formido!*

RESTABAT nihilominus, poſteaquam adversùs prima conſilia præfractum invénimus: ſecunda, boníſque proxima, ſuadere. *Sitam eſſe non ità procul, & ex latere ſiniſtro nobis opponi,* NOVAM HISPANIAM: *Americæ Septentrionalis regionem ampliſſimam feliciſſimámque, ſalubrem, perhoſpitam. noſtrum pleroſque quietis & fomentorum corporis indigos; illic maritimæ jactationis laſſitudinem depoſituros. Interjunctione tam brevi (quæ tamen ad affectorum reſpiramen eſſet valitura) non retardatum iri nauticum iter: ſed, interpolatum potiùs, ſtimulos nacturum. Reſpiceret*

ueret regionis montana, cultiſſimarúmque turres urbium, eminus renidentes! aſpiceret terræ viridis amœnitatem; quæ fertilitatis ſuæ tantùm non loquacibus illecebris, proliceret Hiſpanos in cognominem ſibi provinciam. Quin, ſi cætera cuncta tam ſalutaris diverticuli momenta deeſſent; nónne ventos ipſos, eò rectà nunc fluentes ac ferentes (& profectò tunc Ortûs hiberni flamen, Vulturnus, ſpirabat) *ſucceſſibus perquam commodis, invitare pariter & impellere?*

X. SUGGEREBANTUR iſta: ſed non fiebant; *Minimè gentium*, clamante nauclero. qui ſcilicet, non minoris incommodi, quàm, quòd in priore conſilio fugerat, metu (licèt idipſum gnaviter diſſimularet) explodebat, quidquid in medium omnes ſuadebant: ac pertinaciam ſuam, tanquam oraculum & adorabat ipſemet; &, ut idolum, adorari volebat à nobis.

Ergò longi Senatuſconſulti ſumma denique fuit hæc, & decretum; Ad illud ipſum Promontorium, quod ante nos ſitum eſſet, ut appelleremus: ventis licèt, inter littorum rupes atq; flexuras, reluctantibus: & omni ratione, Prudentiáque, reclamante. Quibus malis ingens acceſſit, ad irritandos vectorum animos, incrementũ: æquoris videlicet, tanquam in arcto deprehenſi, continuus quidã, in Euripi morem, acceſſus receſſúſque: moleſtiſſimâ vicis alternatione reciprocus. Has tales Symplegadas atq; Scyllas, hujc tali Tiphyi Palinuróq; debebamus. Quatriduúmq; ſolidũ illa navis ignavæ tenuit agitatio; perpportunũ *navarcho* (quem ſe dici volebat ac gaude-

gaudebat) ſpatium,ad novam fraudulentiam excoquendam. Eam, ſimulac ſuis omnibus numeris vertebríſque conſtare vidit: non diſtulit, nobis,longam deſidiam pertæſis,proponere; fronte (quod exercitatæ fallaciæ, præfidentéſque nebulones ſolent) inter conſilium imperiúmque mediâ. REPERISSE ſe, *dum veteres per hoc otium navigationes, & loca nota recoleret; reperiſſe tandem itineris finiendi ſalubre conſilium: & ex omni voto compendium: eorum maximè bonô, qui tardas exoſi vecturas, Peruanæ regionis aditum per viarum breviaria, feſtinarent. Ad hanc tamen tam inſperatam felicitatem, opus fore vectorũ aliquot ad breve tempus, divortio. nec dubiũ, quin nonnullis luctuoſum id,acerbúmq; charorum diſceſſu ſodalium & amicorum divulſione ſit caſurum. Sed meminiſſe tamen utroſque debere; Niſi per acerba nunquam ad dulcia perveniri. Solatium autem hauriri poſſe non minimum; partim ex abſentiæ brevitate: partim ex utilitatis, indè proventuræ, voluptate. Navigium, utique centum ac viginti quinque vectoribus gravatum, pondus ſuſtinere, ſuis tabulis & lateribus impar; longéque majus. Indè celeritati curſûs (quam omnes exoptarent) remoras enaſci. Caterùm, cùm in hac ſententia nihil non expeditum ac facilè futurum eſſet: illam tantummodo difficultatem nonnullámque litem fore, quæ vectorum pars naviget? quæ verò navim relinquat? Eam tamen omnem controverſiam (ſi ſe, rerum expertum,attendant) finitum iri profectò priùs,quàm cœptetur Nam, & illos, qui remanerent, quietius quidem ſeſſuros; ſed tardiùs periculoſiúſque portum nacturos: & illos, qui deſcenſionem prætulerint (inter quos, niſi*

tiiſ quòd rectore ſuo navis carere nequiret, ſe certè primum ac ducem futurum) aliquantulum quidem ex itinere terreſtri moleſtiæ: ſed diſcriminis nihil, & contrà, lucri plurimum capturos. Abeſſe, circuitu littorum haud adeò negotioſo, Portum, Mantæ cognomine celebratum: iter, propter regionis ſitum, & dulcium aquarum occurſum, tum amœnum, tum breve ſuccinctúmque. Portu Mantæo, coituros rurſus in amplexū, & eos, qui navigii moleſtias retinuiſſent; & illos, qui profectione terreſtri nonnihil pedes exercitaſſent. Hujus conſilii temperie, minùs poſthac, etiam cum inopia, conflictaturam actuariam, convictorum multitudine ſuccisâ. Seceſſuris contrà, rerum omnium cornucopias, ex continentis fructibus & mercatu, praſtò fore. Quòd ſiquos ipſorum, ceu maritimi victûs faſtidiô fatigatos, oppidanæ potiùs deliciæ, vel dapes exquiſitiores ſollicitarent: diſtare non procul ab hoc ipſo cui tunc adhæreremus, Promontorio, municipium & urbeculam; ab Hiſpanis olim exſtructam, profeſſionis Chriſtianæ, juris Caſtellani: digniſſimámque, propter civium liberalem indolem, quæ vulgò noteſceret. Sed huius quidem, per temporis, ex quo divertiſſet in ea, longinquitatem effluxiſſe ſibi nomen. Ab quovis tamen, etiam barbaræ gentis, obvio viatore monſtratum iri; dummodo ſeceſsûs ab littore permodici neminem pœniteret pigerétve. Sed inter hæc præmonere ſe nihiloſecius; ne, locorum amœnitate capti, moræ vel digreſſibus nimiò plus indulgerent: néve Mantæ portum oblivione vel incuria neglectum irent. Præ cæteris autem illi, quibus nec urbecula multùm cordi foret, nec pes ad ambulandum durabilis; oram mariti-

mam perpetuò ſtringere meminiſſent; ut recipi, quoties poſtularet uſus ac permutari poſſent; per vices aliis aliiſque navim relicturis, & relictam denuo reſumpturis. Ejus rei gratiâ, ſe, paullò cunctantiùs meditatiùſque factis velis; de compoſito ſemper littoris margines raſurum: ut, clamore ſublato teſſeráve, quacunque nobis collibuiſſet, pariter edita, navigium ipſe confeſtim ad nos adverteret; nos autem nullâ morâ conſcenderemus. Quod bonum igitur, quod felix *eſſet* & auſpicatum! *Vectorum dimidium in ſcapham* (quam per quatriduanum otium ex tabulis, & naufragiorum reliquiis, ad promontorium hærentibus, compegerant) *ſeſe dimitteret, terras petiturum: dimidium autem turba reſiduum, navigationis ſolita compertáque mala, tolerare fortiter inſiſteret. Sic ſentire ſe, ſic velle.*

XI. NEMO ſecundis auribus, neque ſine doli mali vaniloquentiæque ſuſpicione, gubernatoris ſermonem excepit: palàm etiam pleriſque frementibus; *Commeatu per ſummam fraudem circumſcriptos, nunc novas inſidias tendi: nunc mentes ipſas & animas & Salutem oppugnari.* Quidam etiam clariſſimô convitiô barbam & os hominis inceſſere; N**IHIL** *eſſe Nautis & nunciis ſubleſtius: nihil eorum narrationibus contaminatius, in verba ſingula fumos & mendacia venditantium. Semper ab illis adferri Peregrina; tot decipulis inſidioſa, quot ſimplices aures nacta ſint: his præſertim moribus, quibus receptum jam publico dicto ſit;* MUNDUM *velle Decipi.* Perſtitit ille nihilo ſecius in aſſeveratione, frontis oríſque ferreâ contumaciâ; conteſtatus fre-

queu-

quenter omnia Sacra Profanáque: jurans inſuper ac dejerans tertio quoque verbo Fidem ſuam. Quibus tamen omnibus, pondus ſanè nullum inveniſſet; niſi perjurio ſuo NUMEN etiam ac Superos involviſſet. Tunc enimverò labare nonnullorum conſtantia; flectíque; lentè primùm, ut aſſolet: mox, tanquam excantatis animis, pronô per præcipitium aſſenſu, compluriúmque ſuffragiô. Cauſſa ſtolidæ credulitatis acceſſit nova, Vectorum nonnemo, terræ filius; & in quamvis adulationem mendaciúmque venalis. Hic diſſenſu primùm ſimulato, ne ſubornatus pateſceret; deinde ſenſim, quaſi rationum naucleri congerie victus & immutatus; ad extremum in impoſtoris ſententiam pedibus, ac propalam, conceſſit; auſus inſuper (facundiâ ſine dubio conductâ) multò diſertiùs copioſiúſque ſingula confirmare, quæ magiſter navis confinxerat. Pedeſtris viæ commoda, maris tædia, littorum valliúmque Tempe; cætera præterea quàm plurima, commentis expingere: nec appellatione quidem urbeculæ, quam alter amiſerat, prætermiſsâ; cùm Thalaſſiam eam nominaret. Neque ſimplici nequitiâ contentus: necuj parùm comperta celebrare videretur; Se verò (retulit) viſa ſuiſmet oculis, non audita duntaxat lectáve memorare. Luſtrâſſe quondam oram illam maritimam univerſam; neque ſine lucris. Vtque plurimùm crederemus; ſe referebat, quanquam ſtómachi languore confiictaretur, etiam nunc in comitatu cæterorum, eádem loca denuò luſtraturum.

Valuit & affirmatio tam audax, & exempli proprii promiſſum nequam; multorum ad corruptelam potens. Clamare plerique jam, etiam eorum, qui contentiſſimè priùs reſtiterant; *Concederet Scapham! præcideret vinculum ac funem! valeret tarda moleſtáque navis! Se vero pedibus itineris reliquum exacturos. Tantummodo Mantam, ex condicto (flammarum nempe ſignificatione nocturnâ, diurnâ vero Divi* IACOBI *teſſerâ) pars utraque convenirent, ac, quoties navim reſumi poſtularet uſus. Et hoc, Ex animi ſententia, fideq; conſtanter inconcuſſa.* Quæ cùm fierent omnia diceren-túrque: nihil tamen, ne tum quidem, ab animi firmitate demotus ego, ſtabam petrâ quavis inconcuſſior: & partim mendaciis indignabar, impudentiſſimè comminiſcentium, ut navigio nos dejicerent, ac ſpoliis ipſi noſtris potirentur: partim ſtoliditatem ſubſannabam cæterorum, qui certa dimitterent: & incertiſſima ſequerentur. *Sic ergò notum Vlyſſem? An in ſola continenti pradones impoſtoréſque, verborum largos eſſe; promiſſorum falſos? In Oceano ſcilicet nullam fluctuare fidē? Non hoc ſuperi* (dicebam) *non Numen, neque ratio ſiverint; ut veteri deceptori, novam, & priſtinis omnibus pernicioſiorem, ad fraudem pateam. Ex hoc enimvero loco, quem naulo meo teneo, nemo me, niſi vel viribus expellet, vel naufragio.* Dicebam hæc, & mihi conſtabam; etiam adversùs torrentem, & omnium ſententiam, iturus. SED, *mirum* ſanè dictu; *Quantum in Amicitia molis ſit* & ponderis, *ad conſtantiam labefactandam?*

XII. ERAT in navi Ioannes quidam, cogno-

gnomentô PEDIOSA; nôn modò patriâ mihi, ſed ſanguine quoq; propinquô junctus:tum, præter hæc, vinculis fortioribus educationis ac condiſcipulatûs, planiſſimè concretus. Cujus juvenis amori, mihi tam firmè jam à teneris hærenti; ſicut charitatem nullam facilè præferebam componebámve: ſic eundē nullius poſtulati repulsâ temerè lædendum exiſtimabam. Is, principiò naucleri fallacis nugas animoſo contemptu rejecerat, & exſibilârat: auſus etiam, clarâ conteſtatione, peracriter adversùs væcordiam promiſſorum illius,& vocem & manum extollere. Paullatim deinde,tot aſſeverationibus ac juramentis,& mercato præcipuè teſte, quem dixi,debilitatus: ad extremum fractus ac proſtratus,manus mendacio dedit;adversùm rationis evidentiſſimam lucem. Et hic, ne ſibi ſoli deſiperet, in partes ſuas me quoque pertrahere connixus; cùm argumentorū momentîs parùm promoveret; tandem precibus, & Amicitiæ ſacroſanctîs fœderibus, quæ crebrò commemorabat, aggreſſus eſt: iîs ſolîs, tanquam Hectore fortiſſimo,pugnans in ſuā VICTORIAM. Ità, cæterà firmum & inflexilem, Affectu denique (fateor) & obteſtationum improbitate, ſuas in leges ac vota perduxit. Sic, *Amicam veritatem amiciore Platone triumphante*; cauſſam optimam tandem, & cum cauſſa navim, deſerui: tantummodo ne deſeruiſſe Sodalem viderer. In ſcapham itaque, conſtantiæ transfuga, pediſequus amicitiæ, me cum cæteris demiſi, quinquaginta circiter comitibus. Cum iis in terram, ad lævum pelagi latus procumbentem, ex-

ſcendi : Neſtore meo, cujus tot quondam narrationibus oblectabar, prudentiam ſimul & celocem ſuam retinente. Quo factum, ut & aurium mihi voluptas, & diſciplinę fructus, unius abſentiâ capitis intercciderent. Nos porrò littore, poſt longum Oceani tædium, alacres potiti; ne, ſine ductu, belluarum in morem, ageremus: univerſo de numero, profectionis rectorem & itinerũ velut modimperatorem, deligimus. Hujus in verba placitáque, quoad Mantæ portus in conſpectum veniret; corpóra ſimul & voluntates (citra ſacramenti tamen religionem) oppigneramus.

ARGONAUTICÔN AMERICANORUM,

SIVE

PERICULORUM PETRI DE VICTORIA

LIBER IV.

CAPITUM BREVIARIUM.

I. *Lectori ſe purgat Victoria; quòd per aliquot deinceps libros, regionibus ac locis propria ſua nomina non ſit aſſignaturus; notitiâ eorum deſtitutus.*

II. *Expoſitis in terram Sociis pedariis; Victoria, dum in nemore fontanam inquirit, in caſulam incidit, crocodili pelle contectam. Reverſus autem, Sociorum non paucos invenit repentinis torminibus ſtratos, & quiritantes.* Comment. pag. 26. fin. & pag. 27.

III. Æ-

III. *Ægritudinis ſociorum cauſſam docetur: quam, inconſultò devorata, poma venenoſa præbuerant. Remittuntur ad navim agri.* Comment. pag. 27. & 28.

IV. *Cæteri progrediuntur itineribus, propter promontoria, difficillimis. Fontem, dudum indagatum, denique reperiunt; repertóque fruuntur.* Comment. pag. 28. & 29.

V. *Victoria, contra votum pervigil, ſecum adversùs inſtantia mala (renitente licèt ſemper timore, & prævalente) philoſophatur: atq; in omnẽ ſe fortunam obarmat.* Comment. pag. 29.

VI. *Viarum in progreſſu locorúmque, amœnitati permiſta, aſperitas. Calor, Situ, refrigeria. Rivus (ac mox amnis) è rupe geminus, & admirandus. Occurſus torrentium fluminúmque creber & permoleſtus: quónam pacto à viatoribus ſuperatus?* Comment. pag. 29. 31. & 32.

VII. *Creſcentem, cum itineris duritiâ, famem, viatores ſpe promiſſi ab nauclero oppiduli conſolantur; verùm irriti. Victoria interim, ac de Sociis nonnemo, pæne depoſiti, ſeipſos animi magnitudine erigunt. Via tædio, plerique optant ac ſuadent navim, imprudenter relictam; & tunc aliquoties oculis oblatã.* Comẽnt. pag. 32. & 33.

VIII. *Aliis tamen ſuperbè contrà ſentientibus, in itinere pedeſtri perſiſtitur. Famem, radicibus arborum, cancríſque, mitigant. Laſſitudine plerique franguntur. Problema; Cur viatores, à quiete interpoſitâ, ad iter continuandum agriùs reſurgant, ac pergant?* Comẽnt. pag. 34. & 35.

IX. *Spatioſo flumini trajiciendo, tumultuariam ratem apparant: &, qui priores, quiq; poſteriùs tranſportentur, ſorte deſignant. Relictorum in ripa, ſuperflua, fatuáque cautio, eventilatur.* Comẽnt. pag. 35. 36. & 37.

X. *Balbóas, unus è ſociis Victoria, in fluminis tranſitu, loco vadoſo, ſubmergitur.* Comment. pag. 37. & 38.

XI. *Balbóa ſubmerſi vita, moréſque; quibus tam lugubre exitium viſus commeruiſſe.* Comment. pag. 36. & 38.

PROXIMUM fuit; ſemel ſtultè navim egreſſis, ſemper, & in immenſum, errare: neque loca tantummodo (quod in ſolo peregrino ferè neceſſarium) ſed nomina quoque regionum ac populorū, ignorare; quippe, ſine ductore gnaro vagantibus. Tantó magis ego, jam nunc in anteceſſum, iſthæc Argonautica mea lecturis, me cupio purgatum; ſi non, ut hucuſque ferè, ſic etiam in poſterum, ſuis quæque nuncupationibus, Europæis exoticíſve, conſignavero. Nam priùs, quàm in hanc malorum neceſſitudinem induti ſumus; ab uſque Bætica, familiaria nos nomina comitabantur & ducebant, per geſtorum ordinem ac denarrationē. Hiſpalis, Gades, Pontus Atlanticus, Africana littora, memorabantur. Præter hæc, Canariæ, Mantinina, Margarita; necnon urbes, Carthagéna, Nombrediosa, Pánama, cum inſulis Salomonæis & Philippinis. tum cæteræ portuum ac regionum Inſularúmque, ſub propriis appellationibus, deſcriptiones; nautis vectoribúſque per quotidianum uſum extritæ.

SED poſtea, quàm invidiâ fortunæ, naucleríque Panamæi perfidiâ, recto maris ac littorum tramite ſumus excuſſi: tunc enimverò

verò fúgere miſeros ipſa rerum natura, ſimul cum ſui notitiâ, cœpit. mortales, quorũ ore, digitóve certa diſceremus, vel penitùs nulli; vel, ſiqui rariſſimi ſub-conſpectum veniſſent noſtrum, immanes atque barbari: quorum tu non linguam ſolùm ignotam; ſed perinde fidem omnem, & indicium, ſuſpecta duceres. Nobis igitur abundè fuerit; locorum intractabilem genium, & horrida regionum expertos eſſe Nec quiſquam ſuper hæc (tanquam alioquin vacillaturâ narrationum veritate) nomina, quaſi ſub teſtimoniis juratis, quærat. Fatemur enim ingenuô candore; nos hæc ut plurimùm ignorare. Cæterùm eâ ſtyli ſollertiâ nihilominus flumina, ſolitudines, montes, Promontoria; quin & ſaltus, præcipitia, portuum flexus, ac ſiqua prætereà viarum erroribus annexa ſunt, exſequemur; ut, etiam prætermiſsâ nuncupatione, gentes illæ (ſiquid Europæè Romanéve nôſſent) ſua ſingulæ loca, ſuas colonias viciniáſque deſignari, ſine dubitatione recognoſcerent. Id, quod, in tanta nominum verorum nocte ſatìs eſſe debet, ad Hiſtoriæ retinendam digni-tatem. Sed jam tempus, ad incepta remeandi; geſtorúmque ſeriem, per itineris & calamitatum ingens æquor deducendi. quibus lectitandis, ipſa (quod ſperare videor) occurrentium rerum varietas, quanquam in tenui ſæpe, non tenue tamẽ levamentum aſperget.

II. POSTEAQVAM igitur ſcaphâ (ſicut expoſitum eſt) cum ſociis proximo littori ſubductus, arenam atq; continentem tenui; ſtatim, ut è mari vehementer accensô, ſabulóque ſolaribus radiis exuſtô, ſitire moleſtè

 cœpi.

cœpi. neque labor alius prior cupidinem inſedit, quàm fontis indagandi fluminíſve; cujus hauſtu dulci calentia viſcera refrigerarem. Dum igitur in his curis, & undarum deſiderio, cæterorum immemor omnium, incedo; divulſus paullatim à contubernio reliquorum, in loca ſolitaria, clauſáque ſylvis, incido. quibus, dum palabundus hàc illàc inerro: repentè caſulam reperio, perexiguam, fabricâ materiâque plebejâ ſtructam; pedes longam novenos, nec ampliùs ſeptenos in altum eductam. Ac latera quidem & parietes, non diſſidebant ab Americana conſuetudine. neque tectum aliter, niſi gentium illarum ad regulam. Cæterùm tegumentum tecti novum, nec unquam ad id temporis à me conſpectum, CROCODILI maculoſâ prælongáque pelle refulgebat: quam, quiſquis architectus fuit, compoſitè, pérque conſpicuam artem, ſuperextenderat. At ſuper has exuvias, pari miraculo, clypeus jacebat ingens. Is, nequà dilaberetur, neu' ventis aut rapinæ pronus eſſet: circumfixis ad tecti margines *vexuris*, quaſi denſâ tutiſſimáque ſepe, diligenter incingebatur. VEXÚROS Americani vocant, junci quoddam arundinìſve genus, ſine nodo; quod ab radice paullò craſſius, deinde ſenſim cacuminatur in cuſpidem, altitudine ſcipionum; contrectatu glabrum planúmque, pondere veluti palearum aut acerum: ut aërem te portare credas aut plumã; non baculum, aut juncum, cannámve. Cæterùm firmitudine conſtat ſuprà ferri robur infractâ durabilíque. Quod equidem non conjecturâ ſcribo, ſed experimentô damni;

quippe

quippe vulnere ſauciatus non perfunctoriò: poſteaquam, velut in ſtipulæ levitate nugaturus, temerariam volam, per luſum & jocum, in culmi verticem violenter impegi; ſed mox altâ, verâ, ſanguinolentâq; plagâ perforavi. Perrupi nihilominus (irâ cruoríſque conſpectu dolorem ſtimulante) noxium ſeptum: &, indimotô Crocodili coriô, (nam & clavis infixum erat) Scutum tamen deripui: ſuppoſitô pedibus arboreô truncô, qui jacebat in proximo, ſaxorúmque congerie. quorum omniū ſubſidiô, nullâ mole, ſublatus ſum in gurguſtii faſtigium. Videbatur Barbari cujuſdam ſive Ducis Heroíſvè, ſive Prædonis, confectâ victoriâ, monimentum eſſe trophæúmque; quod, ſtratô vicinis in littoribus hoſte, fluviatilíve monſtro, ſibi debellator ipſe ſtatuiſſet. Ea nunc rapina, nullo ſacrilegii metu ſcrupulóve, mihi verterat in corporis mei munimentum. Ergò ſolô vulnere mœſtior, cæterà lætus & novitate rerum alacer, abibam; ſimùl in exſpectationem intentus feliciter aquandi, ſimùl mapalis inventi faciem & monſtra mecum expendens. Ac fluvium quidem fontanámque, poſt diuturnam & laborioſam indaginem, reperi nuſquam: ad locum autem, unde digreſſus principiò fueram, relictîs viæ prioris veſtigiis, reverſus; ſocios tandem renactus ſum: unâ quidem omnes infelicitate, cæterùm diverſo malorum habitu ſenſúque, conflictantes. Nam alios quidem cœli violentus calor, & intoleranda ſitis ſtraverat, marcido languore terræ defixos, vel arborum radicibus applicitos; tanquam in mortis

viciniam. Alios verò deprehendebam, velut ipſo cum funere jam luctantes; humíque ſparſim, furentium ritu ſupinatóque corpore, volutatos: non ſine clamorum & ejulatûs inſaniâ. Nec apparebat, procùl propiúſque ſpectanti; *quâ cauſâ novâ, velut Ulyſſis quondam comites à Circe furiatis, grunnirent? niſi fortè, (quod tunc ſuſpicabar) venenô vitalibus imprudenter ingeſtô, vel toxico noxiíve germinis cicutâ per errorem abſumptâ, bacchárentur.*

III. Errabam itaque jam pridem, ſine voce; non tamen ſine lacrymis, & in miſericordiam attonito vultu; neque, quid id tandem eſſet, aſſecutus, interrogabam meipſum tacitâ diſputatione; *Meos, an alienos, an denique ſpectra quadam & lemures, aſpicerem?* Donec ex amicorum nonnemine (quẽ & ipſum ſitis torpor & impatientia vix ſinebat in verba conſurgere) quid eſſet, didici. Nam is, ſimulac me conſpexit: ratus id, quod erat, à dulcis aquæ veſtigatione regredi; quanquam Clypeum videret ignotum, de Clypeo rogare ſuperſedit: ſed confeſtim, vehementer appetentium more, verſus ad id, quod ſolum expetebat; Et quid tu, Petre? quid? inquit: aut ubi fontem rivúmque reliquiſti? Nam me quidem herculè, niſi, te monſtrante, fontanam hauſero jam, fugiens extremis è labris, anima deficiet. Cùm ego negarem, poſt ſedulam ſcrutationem, vel guſtulum aquæ, vel guttam nactum; & hoc, tardiſſimè credenti, vix tandem aſſeveratione graviori perſuaderẽ: in impatientiæ delenimentum ei ſum orſus exponere reperti

mapa-

mapalis, & Corii crocodilæi, clypeſque miraculum. Deinde; Sed interim hi, qui ſic miſerabiliter volutantur, quid? (inquam) aut ex quo fonte biberunt? quánam Medeâ phrenetici Iaſones potionati ſunt? Tum ille; De fonte nihil (infit) neque de Colchica ſagâ, libârunt. Vtinam eádem parcimoniâ cibos quoque vitâſſent! Quid igitur? (inquam ego) num magicam quampiam, aut aliter ſceleratam herbam, momorderunt? Immò, reſpondit ille; Non herbam, nec folium: ſed ipſam arborem, ac peſte contactos fructus. Cùm enim per *littoralis hujuſce* ſaltûs (ut fit) avia deviáque, parùm certi vagarentur; & alius quidem ſcatebras humectando gutturi perſequeretur; alius autem diverſis deſideriis quia liquorem jam deſperaveramus, poma prunáve ſuſpitaret; quorum ſucco linctúque, viſcerum ardorem commitigaret: infeliciſſimo tandem & verè malevolo Fortunæ favore, ſimul plures in frugiferam hujus ſylvæ particulam incidimus. Erat in hac arbuſtum, pomîs (ut æſtate, jam in Auctumnum vergente) gravidum. Et erant mala, cujuſmodi totam Aſphaltici lacûs crepidinem in Palęſtina prętexunt; colore vivida, carptu prompta, contactu mitia, guſtatúque non inſuavia. Sodomę fœtus eſſe quamquam in orbe longiſſimè diſſitô, facilè conjectâſſent niſi *rabida cupiditas nec modum adhiberet, nec conſilium & oculos* Carpſerunt igitur; & in decerptos fructus, nullo prohibente cuncti, quos cruciari nunc cernis, præfeſtinis morſibus involârunt; veſcos illos quidem ac prædulces, cæterùm intrinſecus nativâ refertos peſte. Nec

poterat, priuſquam bolum totum glutirent, inter ipſam vorandi moram, eos ex toto fallere latens pernicies. Sed ſcilicet, *Indomabilius nihil eſt ventris impetu: qui*, gulæ pravâ ſuaſione, dummodo ſenſum & aviditatem expleat, *inter ſalutaria noxiáque non diſtinguit*; ac, deprehensâ quoque fraude, cœptæ voracitatis inſaniam abſolvit. Et hoc eſt (inquit) peccatum illud, hæc illa Circe Medeáque; quam nunc tantô viſcerum tormentô malè conſulti luunt.

Secundùm hanc amici narrationem, ego, meúſque Pedіosa, non magìs jam miſericordiâ, quàm futurorum metu, molles; ſuadere miſeris cœpimus (accedente tandem cæterorum quoque conſiliô, qui ſani remanſerant) ut deſertam modò navim, quantâ poſſent, feſtinatione repeterent. diſpulſuri venenum per opportuna pharmaca: quæ facilè vel Neſtor illis, vel quivis inſtructiorum vectorum, ſuppeditaturus eſſet. hîc enim quid eſſe tandem: niſi vel rerum omnium penuriam? vel, quod penuriâ deterius, pro medicina luem? Pro nobis autem ex animo ſolliciti, verebamur & præſagiebamus; Quoniam tam funeſtè noſtrum iter, in ipſis ſtatim exordiis, initiatum eſſet: ne pejore deinceps progreſſu claudicaret: & ad extremum lapſu peſſimo præcipitaretur. Diſſimulavimus tamen, quoad licuit: &, contra mentis ſenſum, *Bona verba* præfati; Superûm illis favorem, omniáque ſecunda precamur: ac dividimur.

IV. Et languentes quidem, quo potuêre greſſu, dolorem inter & neceſſitatē luctantes, perfidum

perfidum gubernatorem, ac mare, repetiĕre: ſucceſſu nunquam poſtea nobis compertô. Nos verò, quos corporum aliquantò major firmitas, in delecti ducis auctoritate retinuerat; mutuis accenſi ſermonum incitamentis, inſidioſo nemore digredimur: atque littoris propinquiora ſtringimus. Et, quanquam jam in noctem veſperâ vergente, per æqua tamen & iniqua, feréque per ſalebroſa loca progreſſi: ſub crepuſculum denique, quandam in convallem deferimur, anguſtam, prælongámque: cujus mons alter editior, horridóque devexus ſitu, latus omne ſylvis, deſupèr incumbentibus, intexerat. Erátque ſanè, præter arcti tramitis moleſtias, iter illud tum opacô montium, tum depreſſu vallis; ac, præter hæc, ſqualore peregrinarum frondium, & tenuitate fulgentium ſiderum, cumprimis inamœnum. Succeſſit, etiam evictis jam confragis, labor atrocior; Mons novus, in immenſum elatus, & acceſſu prægravis; tametſi pedes etiam recentes & integros accepiſſet. quantô difficilior ergò noſtris, jam prælaſſatis? Eo namque loco (ſicut per pleraque Septentrionalis Americæ littora) Promontorium à continenti cœptum, aſperis, præruptis, jugoſíſque verticibus exſurgens; primùm quidem commodiores maris oras viatoribus ſubducit. deinde, non ſenſim, ſed manifeſtâ ſtatim præciſione, vaſtum & editum; in mare ſubjectum propendet. Vnde fit, ut neque terram ab læva, vel arenas, indulgeat humanis pedibus: & à dextero látere, navigantibus ex adverſo portum ac navalia præſe-

præſecet; propter immanem cautium celſi-tudinem. Cum hac nos tamen locorum atque temporis inclementiâ conflictati (quanquam profundô noctis, & increſcentibus cum horrore tenebrîs) omnium incerti paſſuum ſubingrediebamur; triſtî ſilentiô compoſiti. Iámque laboris dimidium exactum erat; ſuperatô, ſummas inter difficultates, Promontorio. quam rupium victoriam ingenti beneficio natura parens coronâſſet in nobis; ſi ſupremis in verticibus vivas undas, è fragore fontis alicujus, promiſiſſent. Sed videbatur *ad omnia vota* noſtra *Felicitas* eſſe *ſurda.* nóſque ſitis impotentiâ moriebamur; propterea, quòd ſuper aſſiduam laſſitudinem, ſudoríſque fluxum, etiam æſtivæ noctis languor, deſideria potûs accenderet. Iámque ferè tolerantiæ minimum erat, aſcendere; fatigari; cum prominentibus ſaxis luctari; pérque tenebrarum ambigua pedes ad ſcopulos cruentare. Prægravabat enim undarum abſentium impatientia. quarum ut potiri tandem aliquando contingeret; neminem noſtrum piguit, etiam montis alterum latus, quantumvis per præcipitia deruptû ac lubricum, emetiri: non abſque deſcensûs nocturni manifeſto diſcrimine. Sed difficultates omnes, uti cæteris in deſideriis · ita fontium in cupiditate, vehemens amor deglutiebat.

Sic haud ita multò poſt noctis medium, ſuperatum Promontorium eſt. Et, quia paullatim etiam aſtra, Lunæque nitor ſe, purgatîs nubibus, exſeruerant; tantô leviore negotiô planitiem littoris; apertô cœli ſplendore, contigimus. Quò ſimul ventum eſt; ecce, fonticulus

ticulus! incerto primùm ſonitu, velut è longinquo ſtrepens, repentè noſtros ante pedes, gratiſſimô ſpectaculô, procubuit. Ejus ſcaturigo, de ſcopulo propinquo, modeſtis deſultibus prorumpens; in ſubjectam ſcrobem, conchæ ſimillimam, effundebatur: elegantiâ naturæ mirabili, tanquam artis ingeniô, marginatam. Hujus crepido, floſculîs circumquaque variata, vivóque gramine; ſimùl arborum frondibus impendentibus, amœniſſimum frigus, cum umbrîs & odoribus, ſpargebat. Fuiſſet animus, ad ſubluſtre cœlum; hôc ludentis naturæ ſpectaculô, primùm omnium oculos paſcere. Sed impotens venter extinxit hanc cupiditatem; & ante cuncta cætera deſideria fuit. Ergò, fontis circùm oram, omnes in orbem & coronam ſtrati; quanquam necdum exterſo ſudore, nullâ ſalubritatis curâ, largiter omnes haurimus; ac per vices, inter ſe ſibi ſuccedentium recedentiúmque, frigidæ ductibus ad ſatietatem indulgemus; tantò bibaciores, quantò per tot jam horas ad reperiendum laticem intentiores. Indaginis itaque tædium, potiûs copia, quaſi fœnoris quadam exactione, penſabat: avarâ voluptate, neminſque non ignoſcendâ; tantâ præſertim liquoris fluentis illecebrâ. Nec enim calamus eſt, neque ſermo, qui poſſit illius omnia bona comprehendere; non perſpicuum aquæ nitorem, cryſtallo quovis & adamante tralucidiorem: non influentis in guttura lenitatem; non hauſtûs dulciſſimum ſaporem; non frigoris blandam temperiem; non denique, commendatam eventu, ſalubritatem. Vt taceam ipſius,

ipſius, quo fons concipitur, receptaculi ſpeciem & amœnitatem; quam non eloquiô Demoſthenes, non calamô Xenophon, non penicillô Parrhaſius, adſequantur. Et cæteri quidem ſociorum, ſatis habuêre, fontis hujus uſuram hauſtu nudô jejunóque capere; quippe, qui præter bibendi cupidinem, & os ſitî diſtentum, nihil ſecum attuliſſent; non coctum, non crudum. At me, Pediosamque meum, futurorum providos; humanorum caſuum & viarum incerti ſucceſſus, admonuerant: uti viatico cibario ſuam quiſque manticam impleremus. Quod nos, dum navigio digredimur, non perfunctoriè fecimus. Hujus itaque ſollertiæ tunc fructum cepimus: cùm, eſuriente comitatu toto, nos ſoli, poſt largum potum, ſub arbore ſepoſitâ jentavimus; quantum viſum eſt.

V. Sub hæc, peractis munifico Numini gratiis; quoniam noctis aliquantillum ſupererat, priuſquam Aurora promicaret, dormitum pariter omnes concedimus. ſtratis ſub arbuſto fontano corporibus, bini ternive ſomnum inimus; ſed ſomnum plerique, præter me Pedioſámque, planè famelicum: & idcirco (quod Phyſici quidam opinantur) expeditiorem ac pinguiorem. Me verò non tam ventris ſatietas, quàm curarum intemperies, inſomniâ multavit; reputantem, intempeſtivâ futurorum imaginatione; *Quantum certæ felicitatis in Bætica reliquiſſem? quàm incertam ſortem in America regnis perſequerer? per quot curas, labores, vexationes, mortes? An verò, ſi vel aurei montes, & omnes Peruanorum theſauri, ſine ſcoria fraudéque, certò tandem affluerent; parem fere tam imbecillam adoleſcentiæ ætatem ac*

vires,

vires, in tot caſus? At nunc, dum opes peregrinæ (mendaciſſimâ fortaſſis expectatione) per mille barbaras manus, atque tela, per inhoſpitas ſolitudines atque ſaxa quaeritantur; uno temporis puncto cuncta diſturbatum iri. Limam, Cuſcum, Quitum, & neſcio quas Peruvii regias inquiri; quas fortaſſe nuſquam gentium, aut, non niſi per ſepulchrum, invenias. Quòd ſi tam prona repertu ſint tranſmarina loca, procúlque diſſita; quid ità non tam facilè deprehendi, quæ propinquiora ſint? Manta portum? oppidulum Thalaſſiæ? limitem Peruvianæ navigationis? Nempe, toto ſanguine, totóque ſpiritûs impendiô (niſi me conjectura malorum malè falleret) nihil aliud denique, quàm inania fumóſque quæri; nec aliud, quàm fumos & inania, repertum iri: cùm Mortalium cuncta ſiuxa ſint, & ventus, ac vapor; & (ſi verum audire poſſumus, ex ore Sapientiſſimo) VANITAS VANITATUM!

Talibus, & harum ſimilibus imaginibus, inquietabam diluculum meum: &, inter moleſtas animi diſputationes, lævorſum dextrorſúmque corpus agitabam. donec per injuriam fugatus ſopor, pertinaciter abſcederet; nunquam eô manè rediturus. Ego quoque, neceſſitatem in conſtantiam vertens; vigiliam tandem obfirmavi. mox, timiditatis meæ pudore, memetipſum & ignaviam præteritam execratus; *Quid autem* (inquam) *ego, parùm virili robore, cum venturis terrâ maríque malis, muliebriter litigo; priuſquam hæc in nos incurrant? Quid igitur tunc agam; cùm incommoda præſentia præſentem obruerint? Quem tum, qualémve, me geram? Non ità,* VICTORIA, *non ità! Tuum te nomen, & omnis retrò ſanguinis tui generoſitas, ad fortiora ſtimulet;*

ſimulet; ad adverſorum tolerantiam adhortetur. Quid, quòd hæc ipſa, quæ tutè tibi (vates importunus) incommoda pracinis; aut nunquam in univerſum, aut etiam in proſperius, evenire poſſunt? Nos quidem certè, vano ſæpiſſimè timore paratragœdiamur illic; ubi latiſſimum epilogum fortuna ſcena dabit. nos intempeſtivo pavore quàm plurima pingimus, in mentis phantaſmate; quorum nec umbram quidem in ſuo tabulario Divina Providentia praſcripſit. Ad ſummam! MALUMUS *interdum timore Fatorum mori; quàm ipsô Fatô.*

Dicebam hæc ipſe mecum; & diffidentem animum, verbis in hunc modum fortibus, ſeu firmabam, ſeu circumſcribebam; nonnullo philoſophiæ fructu. nam fluctus certè curarum inutilium, utcunque tunc, conquievit. Nec tamen ideò ſecundiore fluxu ſomnus ſucceſſit; ut ego reor, *præterlapsâ jam horâ cupidinéque, quam dormituris natura lex præfinivit; quáque ſemel neglectâ, fruſtra poſthac ad ſolium arbitrii tui libidinem ſtertere coneris.* Igitur quietis & ego tandem aſpernator; ut primùm rubeſcentis auroræ jubar notavi, corripio cubitu membra; paullúmque pandiculatus, & mox alacres in pedes erectus; AUT (inquam) *illa, quæ metuis, Petre, ſic accident; uti mente fingis: & ità ſupplicium tibi ſtruis, ante ſupplicium. Aut irritus pavor irridet ſuſpenſum animum: &, ecce, carnificinam, à nullo juſſam, ſpontaneâ ſtoliditate ſubis. Quin ergò potius, quidquid illud eſt, ſub Deo, cœlóque, Superûm in manibus relinquis? tu verò lætus & hilaris, vivis atque pergis?*

Hac ſententiâ, tanquam ipſe mihi Cato meus,

meus, aut Cordubenſis Stoicus, animum armabam: & hiſcentem, velut ſopitiunculis papavere ſparſis, in quietem quandam componebam. Sed, ut opinor ego: NULLIS *Artibus mens invita cogitur, ut id velit, quod non vult; & hoc deſpiciat, quod form dat. In univerſum; ipſam potiùs evertas, neceſſe ſit: aut certè pericula, quibus angitur, media perrumpas: vel denique, neſcio quo ſtupore dementia, cæcorum more, neque ſentias neque videas; etiam ea, quæ ſentis, ac vides. Nam, etiam ad Sapientiæ leges intellectu jam perductô domitóque; magna tamen adhuc vis & imperium eſt phantaſmatum. Eſt quædam (neſcio quæ) tyrannis illarum, quæ cerebrum infeſtant, impreſſionum: quas, cum importunitate tumultuantes, & more muſcarum impudentium advolitantes; quanquam ſæpe rejeceris, ſæpius ſæpiùſque rejicere cogaris: fatigatione, nihil profuturâ.* Certè quidem ego, noctis propemodum totius diſſertatione, velut Platone quodam, Academiâque præparatus; & adversùm imminentia caſuum, ſuper omnes Epicuros in Phalaridis taurum, ut putabam, animoſus: Socios, adhuc altô ſomnô ſtratos, expergefacio; tardiúſque dicto (ſicut fit in ſemiſopitis) audientes, clamoribus increpito. Vix tandem in viam matutinam accinctos, ultrò ſermonum hilaritate (non minùs ac pedibus) antegredior. Neque tamen adhuc, inter tot pectoris excitamenta, latrantes in præcordiis ſollicitudines ſatis conſopio. Dicebam ſæpe quidem ipſe mihi; *Macte virtute*, VICTORIA! *macte robore! papæ! quid inani lanienâ juvenile cor fodicas? quid vulturem non neceſſarium, Prometheô tuimet odiô paſcis?*

ſcis? cur toties ipſi tibi non conſtas? ubi nunc ille, modò conceptus, vigor tuus? ubi meditationis antelucanæ decretum? Nempe, priſtinos in fluctus, animiq; tempeſtates refluus; ignavus & variabilis tuimetipſius gubernator! Quin tandem obfirmas? & indivulsò fortitudinis arrepto clavò, curſum, quem inchoâſti, corripis, portûsq; ſalutiſq; tuæ ſecurus? Aude ſaltem, aude nunc tandẽ: & aliquando victa deſperatione, quod tibi non credis, Deo Providentiæq; crede. vultum ſereniorem, ſi tibi non potes, at Sociis adorna. SAEPE, qui finxit hilaritatem, is induit: *& gaudii commentò, veriſſimè mœſtitiam extinxit.* Hæc mihi, ſimiliáque cùm itinere dicerem universô: jámque probè (ſicut opinabar) animi mollitiem duraviſſem; poſt multa tamen eodem relabebar; garriente ſemper, in penetralibus curarum, interrogatione primi pavoris; *Quid autem? quid in poſterum fiet?* Sed comitum nemo cogitationum mearum rixas audiebat; alternante ſemper ſpe metúque cordis: & idcirco, totius oris habitu, ſolutiorem in vultum diffictô; quem & jocis interdum, ac fabularum mixturis, diffundebam.

VI. ADJUVABAT autem non parùm ſermonum lepôrem (quaſi ſuggeſtâ colloquiorum farragine) regionis ipſe ſitus, per quam tunc progrediebamur: aperiente ſuprà nos quidem cœlô pulcherrimæ ſerenitatis faciem; ſine nubibus ullis, & adhuc clementer radiante Sole: ponè nos autem, dextrâ læváque, jucundiſſimum maris ac terrarum amphitheatrum expandente viâ. Dextrorſum quippe, littoris ingens ſpatioſitas oſtentabat nobis ignota portuum, rupium, atque pro-

promontoriorum; cum infinito Pacifici maris excurſu: certantibus vivaciſſimâ colorum varietate, cum vitrei viroris fluctibus, ſolari radiò, confuſiſque ſplendoris purpurâ. Lævorſum verò non invenuſtius ſpectaculum, pulcherrimarum arborum ſylva capitibus impendens, relevabat ambulantes umbræ projectu: cantúque volucrum aures, & aſpectu ramorum oculos, oblectabat. Nec deerant ex obliquo ſpirantes Zephyrónoti; qui leniter concuſsis agitatíſque ſtirpium foliis, diem & ardorem temperarent: gratiſſimóque ſuſurri fremitu, confabulantium attentionem interluderent.

Valuerunt iſta nonnihil ad angorum laxamentum; qui, per intervalla recurrentes, identidem pectus lancinabant. Sed non perinde valuerunt ad corporum refrigerium; æſtu ſenſim, & meridiani fervoris incrementò, fluentium. Etenim, ſubſidentibus Favoniorum auris, diéque crebeſcente; calor (ut in plaga regionis flagrantiſſimâ)cœlíque vapor intolerandus, languore ſimùl & fatigatione, pæne ſpiritum & animam intercep-erant. Nec jam ullum erat intemperantiæ mali ſolatium; præter ſpem Vrbeculæ: quam pridie navarchus, digredientium credulitati deſcripſerat. Hoc igitur ſolum jam, omnis moleſtiæ refrigerium, oculis inconnivîs requirebamus: ad oppiduli mentionem & memoriam (ut *impatiens eſt omnis exſpectatio*) non ſine murmure, plerique ſuſpirabamus; ne ſalivâ quidem dentium inhibitâ, tanquam proximo ſtatim votorum fine. Quoties igitur aut ſaltus, receſſu nemorum interciſus,

vacuum

vacuum intuentibus ſpatium aperuiſſet; aut eminus renidens aliqua rupes, ſcopulorum inæquali conciſione, caſtelli pinnarúmque ſimulacrum expreſſerat; vel quodcunque denique ſpectaculum nitidius obſcuriúſve procul refulſiſſet: id nos THALASSIAM urbeculam ſuſpicabamur, ad illius conſpectum manus pariter & clamorem tollebamus: donec, poſt innumeras fruſtrationes, conſumptâ jam omni ſylvâ, nullóque reperto municipiô, *miſerorum ſpes omnis in aquas ac flumina recidit*.

Ecce namque! dum omnium inopes irritíque, cum Solis ardoribus, atque vitæ tædiis luctamur; repentè poſt ſylvas, ad itineris noſtri ſiniſtrum latus, clivoſior terra primùm in montes; paullatim deinde, celſiùs aſperiúſque ſaxoſas in Alpes exſurgere: tum longiſſimô rupium dorſo procurſans, cœpit undequaque fontibus & undarum delapſu ſcaturire.

Temperamentum id fuit, in tempore conceſſum deſperationi noſtræ, jam ſiti ſuccumbentium. Neque corporum id duntaxat & gutturis refectioni valuit; ſed etiam ad mentis & oculorum remiſſionem. nam tanto ſubinde ludebat artificio fluviorum nativitas & ſcatebrarum origo; prorſus ut dubium eſſet; manúne ſic, an venarum ſuarum ſponte, proſilirent? Sed unus, præ cæteris omnibus, rivus, admiratione multâ cunctos ſuſpenderat. Is, è ſcopulo præcellentis altitudinis exortus, latice copioſo primùm ipſius ſaxi planitiem inundat. Ab hac deinde, per abſciſſa penitúſque derupta præcipitia dejectus; in

petram

petram aliam priori petræ ſubjunctam; non aliter atque conſultò præparatum in cratérem, coit. Indè tertiam in rupem, ſuperioribus longè depreſſiorem, collectus, in ſaxoſam latitudinem, menſæ ritu conſtratam, diffunditur. Idem autem, poſteaquam ſtagnante vado deſedit; extra crepidines, quidquid redundat, molliter egerit: ínque canalem lapideum geminum, bipartitîs lapſibus, evolvit. Eorum canalium alter laxus ac ſpatioſus; poſteaquam longô ſulci tractu, per cava rupis, aquas inoffenſas devexit: ſub ipſum finem denique, ſeipſo celſiùs exſurgens, & cuſpidatim in puppis morem ſeſe ſurrigens, violentiſſimo cursûs propulſu, vacuum in aërem erumpit; ac figurâ quadam cœleſtis Arcûs exſilit. Nam, præterquam, quòd etiam in hujus pellucida lymphâ colores ludunt, fulgore Solis incenſi; fornix hic aquaticus primam ſui partem, velut Iridis pedem, in ſcopuli fine defigit. Alterâ verò ſui parte, peractô jam hemícycló, ripis ſummontanis incidit; ibíque profluentem orditur. Eſſet itaque tam gratioſi ſpectaculi voluptas inſatiabilis; niſi ſubinde *turbinum impetus (ſemper aquis infidus)* exultantis rivi curvamen aut conturbaret, aut abrumperet: nonnunquam autem, majorî ferociâ, tenuiſſimum in rorem diſpergeret.

At Aquæductus alter, canalis titulo ſpatióque grandior; & jam pæne fluvii capax; per lata præcipitia, vaſto cum fragore dejectis undis, cadentium impetu tumultúque (nam collectim deruunt) Nili fluminis Catadúpas aſſimilat. ac, jam tum à petræ ſuæ ra-

dicibus inchoato torrente; Mare Zurium inquieto rapidóque procurſu, ſub legitimi fluminis ripis, ingreditur.

Horum,& his non abſimilium naturæ luſuum erat abundè. quorum ſpectaculó nos Thalaſſiæ,quam inquirebamus,deſideria mitigâſſemus. Verùm,ut VOLUPTAS *in terris nulla ſine facibus ſuis fluit*; NEC *ullum facilè commodum oneris adjuncti vacuum eſt:* ſic iſta quoq; nobis tantilla refrigeria,nõ citra multos curarum æſtus ſteterunt. Nam cùm in eum,quem dixi, modum plurimi paſſim fontes, & ex fontibus alvei, rivorúmque decurſus, occurrerent; ipsâ ſui multitudine,quantum ex aſpectu delectationis, tantum in tranſitu moleſtiæ creabant: dum itinerum progreſſus retardant. Augebantúrque, cum ipſis deliciarum incrementis, incommoda vadandi. Cùm enim, qui rivuli principiò fuerant, paullatim deinceps amnes, & ex amnibus juſta flumina, fierent: evenire neceſſum erat, ut, quas undarum ſcaturigines, olim ſaltu pedíſve paſſu trajeceramus; eas deinde, proceſſu fluxûs, ſuperare pontibus aut navigiis cogeremur. Nec unumquodque fluminum ſemel duntaxat vincendum occurrebat: ſed ter ſubinde, quater, aut ſæpius; quoniam flexibus in Mæandri ritùm gyratis recurrebant; & in ſemet implicabantur. Subſidiorum interim, nec à ſubliciis, nec à coriaceis pontibus, ac nec à lembis ferè; quidquam ad manum erat. Quare,quod unicum nobis adjumentum, in arcto deprehenſa neceſſitas reliquerat; detractis corporum inferioribus tegumentis,ad lumbos uſque,gur-

gitibus

gitibus ac vadorum incerto nos committebamus. Id autem fieri non poterat, abſque temporis ac profectionis gravi diſpendiô. quam moleſtiã augebant ſæpe fluctuantis vitæ pericula. Nam, quòd amnium plerique, qui ſeſe progredientibus objecerant, latitudine pedes ut minimùm duodenos; profunditate, ternos plus minùs æquarent; ultra vires & audaciam humanam erat, ſingillatim eos viritímque perrumpere. cùm præſertim catarrhactam undarum, ripîs incluſam, ſuâque ſponte jam incitatam, inſuper alluviones novæ, de rupibus ruentes, impellerent. In vadorum itaque trajectu, connectebamur terni ferè, quaternívè; conſertîs indivulsâ fide manibus ac digitîs. Ità, veluti copulâ catenave colligati; ne contrà rectâ gradientes flumen invaleſceret, progreſſu ſurſum obliquatô, pervadebamus. Nec enim nos fallebat; eos, qui rapidè defluentes aquas ſecundo pede ſequerentur, ſimul cum illis abripi; qui verò ruentibus adversùm irent, vincere faciliùs & perrumpere. Multum nihilominus, antequam riparum potiremur, luctæ; plurimum formidinis exhauriendum erat, torrentes ingreſſis: ut, quibus ne ſic quidem conſertis conſtrictíſque, penitùs profluentes parcerent. Nam & in ſaxorum occurrentium gaſtras impingebamus: &, in ſabuli lubrico ſidum defigere veſtigium, magni moliminis erat, inſidiarúmque pleniſſimum; trahentibus ad ima graves pedes levibus arenis. Inter mutuos itaque nexus pariter vadantium, nunc hunc, nunc illum inſani gurgites ſubruebant; aut in gyrum vortices circumagebant.

bant. Quòd ſiquis, miſericordià ſuadente, fluitanti manum injiceret; aut, conniſu corporis, allevatum iret periclitantem: copulatione diſſutâ, cæteros omnes efficiebat ad progreſſum imbelliores; & ipſe, cum ſarcinæ ſuæ jactura, diſcrimini pariter involvebatur.

VII. Primis tamen diebus, beneficiô Numinis, perruptæ difficultates omnes, & ſuperata flumina; ſociorum nullo deſiderato. Sed, quanquam inter hæc aquarum áffatim eſſet, nec ulla ſitis corpora, ſemper madentia, torqueret; in immenſum tamen fames invaluerat: cibîs in viaticum aut nullîs; aut, ſiquis unà portaſſet, flumine corruptîs, ipſáque morâ. Nam plusquam ſeptimum *jam* diem extra navim agebamus. Quæ, gravia licèt ac deſperationi proxima; tamen geminô ſolatio tolerabiliora fiebant. Nam & Thalaſſiam, toties memoratam, expectabamus in ſingula momenta; *creſcentibus inter ipſos pedes, ſpe, deſiderióque* venalium opſoniorum, quibus reficeremur. Præter hoc (niſi malè nos oculi noſtri, præſtigiæve magicæ dementabant) Actuaria ſubinde, quam reliqueramus, à dextra ſe nobis oſtentabat: quanquam interdiu duntaxat; & idipſum rariùs, atque longinquiùs. Suſpicarêris, non tam juvandæ, quàm irritandæ cupiditati noſtræ, per deridiculum adnavigare; rurſúmque ſeſe proripere. nec perperam Hirundini navîm eam comparâſſes, celeriter portuoſis littoribus advolitanti; ſed protinus celeritate majore revolanti. Scilicet expoſitorum miſeriis inſultans (ut erat ſuſpicio) bipedum peſſimus

mus nauclerus; puerilem viatorum exſpecta-tionem inanibus ſpectaculis lactabat. Pauci benigniùs interpretabantur; fluctibus, aut iniquitati littorum, hanc inconſtantiam aſ-ſignantes, non gubernatoris malitiæ. Quo-ties porrò dies in veſperam, ac noctis vici-niam, vergeret; videri navis deſinebat: ar-borum, uti nos conjiciebamus, littoralium tegumenta, vel prominentium ſcopulorum receſſus quærens; ubi, demiſsis in profun-dum anchoris, noctem ageret à procellis tu-tiorem. Id ſi ſic verè gerebatur, & non ex ſola conjecturâ noſtrâ; nempe pari, quâ no-ſtrum iter, tarditate laborabat actuaria. nec mitiùs cum nautis mare, quàm cum viato-ribus terra, tunc agebat. Iámque nos inter hæc, milliaria magna, non minùs ſexaginta, laboribus inſanis, & continuatis erroribus, exegeramus. Iam nec ad requiem quidem, ſomniique neceſſitudinem dato corporibus ſpatiô; vires & valetudinem attriveramus: ſic, ut animis plerique, pedibus autem ad unum omnes, ſuccumberent. Ego quoque veteris meæ magnanimitatis memoriam ſti-mulóſque, fruſtra refricabam. *In membris enim collapsis, quomodo ſe mens erigeret? aut, quo pactô, deletâ fiduciâ melioris ſucceſsûs, abs ſe quidquam ſincerum virtus impetraret?* Finge-bam itaque magìs alacritatem, quàm reti-nebam: contentus ad extremum illâ, quam dura *Neceſsitas etiam ab Invitiſsimis extorquere* debeat, Ferreâ *Patientiâ*. Quo fiebat, ut, qui jam vix halitûs reliquias, & ultimam vitæ fugientis laciniam obtinebam; tamen in ſo-cios verborum largus eſſem; ſpémque fronte

ſimularem ; at corde, dolorem altiſſimum premerem. Videbam enim nullô negotiô, MALO, quod omnes urgebat, & nemo diſpellebat, unius adoleſcentuli fortitudinem eſſe parem non poſſe. Veréque *ſuperba confidentia fuerat*; *deſpicere calamitatem, ſub cujus ruinis omnes ſuſpirabant.* cùm præſertim extrema fatigatio nonnullis jam animam ſubmovere videretur, in mortis neceſſitate conſtitutis. Quos inter Iuvenis erat quidam, in paucis mihi charus; ac longæ familiaritatis uſu devinctus. Hunc jam olim in actuaria malè firmis viribus utentem, ſolus (ſicut interpretabar) ſocietatis amor, & amicitiæ, quæ nobis interceſſerat, dulcedo pellexerat; ut unà digrederetur nobiſcum, & in continentem deſcenderet. Hic eum, membris quotidie minùs ac minùs cohærentem: poſteaquam tot inſuper ſalebræ, voragines, præcipitia; præterea montes, ac flumina delaſsâſſent: tandem vis mali fregit, & proſtravit. Iacebat igitur cadaveri propior, quàm viatori. Sed, quod mireris: hunc juvenem nihilominus, inſitus omni mortalium generi *vita jucundus Amor* (qui *plerumque ſolet in extrema ſui lineâ venire dulcior*) utcunque ſuſtentavit; donec ipſa contubernii cupiditas hominem, cæteroquin minimè Timónem aut lucifugam, invitis denique Fatis omnibus, erexit: ac nos ſequi coëgit. Perſuaſerat enim ſibimet; *Hôc ipsô ſe vivere victurúmque; ſi eum vivû eſſet.* Procedebat igitur; juvitque progredientem, quòd, illius gratiæ, nemo noſtrum concitatiùs incederet; quippe, qui cerneremus, cum vita miſerè luctantem, & tantùm non ad

menſuram

menſuram ac ſcrupulum pedes molientem. Idem ambulationis genus noſtrum pleriſque placuerat; niſi pudor repreſſiſſet. Vſqueadeo non magis torpor univerſos, quàm planè vivendi tædium, occupârat. Exſecrabantur itaque complures, neque tacitè, non modò conſilium, ſed etiam conſultorem; cujus perfido ſuaſu navigiò certô dejecti, terreſtris itineris ambigua delegiſſemus.

Hi, proinde magnopere cunctis auctores erant: ut ad primum quemque navis recurſum, ſuſcitatis ex compoſito, de nocte quidem flammis, de die verò conclamationibus nauclerum ſponſionis admoneremus. Vrgendum, ut actuariam, omiſsis conſuetis ambagibus, ad littus adverteret: in quam reciperemur, ut noſtram; quam nos malè conſulti, velut alienam, reliquiſſemus. *Nec utique difficilem fore ſuorum votis navigii magiſtrum; voluntatis noſtræ tam clarâ ſignificatione perceptâ. Quòd enim hic, toties huncuſque viſus, ac toties rurſus dilapſus, deſideria noſtra feſelliſſet; id utique non illius factum culpâ, ſed noſtrâ; quippe, qui nullo noſtræ cupiditatis indicio prabito, faſtidientium potiùs ſpeciem, quàm ambientium, edidiſſemus. Et profectò, ſi quid ſaperent ii, quibus adhuc pergendum terrâ potiùs, quàm pelago, videretur: expenderent illi vel nunc tandem, quónam ſuâ pertinacia cæteros invalidiores præcipitarent? Ponendum ſanè temeritati metam aliquando, finémque: neque pluribus laceſſendam inſaniis indignantem Fortunam; cui prorſus uſu nullo, periculíſque certis, per ſummam levitatem inſultaretur. Quid enim, per Superos hominéſque! quid tot errorum & amfractuum incommodis*

modis quæri? quid iiſdem declinari? Secutos eſſe profectionis compendia, littorum ſalubritatem, Manta portum, & Thalaſſia (neſcio cujus) venalem benignitatem, emporiúmque. Tamen bonum omnium nihil, ac ne caſam quidem aut paſtorale tugurium, comparere. ne ſepem quidem, aut fumum (quæ duo tamen neque Scythiæ ſolitudinibus facilè deeſſent) in conſpectum afferri. Fugiſſe contrà pleróſque, quo tempore conſilium conſcendendi capiebant, navigationis nauſeam; curſûs tarditatem; annonæ diminutionem ac fraudes; naucleri moroſum imperium, & verboſas impoſturas; pauca, neque fortaſſe levia, mala: nunc autem ſexcentis iiſque graviſſimis, commutata. Numquid non hoc eſſe: Cinerem vitare; ſed ex adverſo flammas inſilire? culicis declinare morſum; & Hydræ bella quærere?

VIII. DISSEREBANT adverſùm hæc, etiamrò cum riſu, *pars contumacior, & quibus ſcilicet ſuperba præ rectis; ac ſpecie magnifica, præ ſalutaribus placebant. Tranſgreſſis, in ſpes ingentes, ex orbe patrio diverſum ad orbem; nempe nunc denique conſilium ponendum, an pericula viarúmque laſſitudines, infra quæſitas opes ducerent? Anne, cùm ex Europa menſium, ac propemodum annorum aliquot, navigationibus* AMERICAM *ſequerentur; nullam ullius diſcriminis unquam oblatam eſſe ſpeciem? nullam imaginationem? non formidinis ullius materiam? an ne tempus quidem ac ſpatium deliberandi conceſſum; Num pro regni Peruani deliciis atque copiis, rectè maris & elementorum omnium bella ſuſciperentur? Pudendum enimvero (ſi non alio, ſaltem ignaviæ muliebriſque metûs opprobrio) viris juvenibúſque nominis Hiſpanici; ſi poſt ſuperatum*

tum Batin & Gades ; poſt enavigatum Oceanum Africanum & Atlanticum ; Poſt Margarita, Carthagena, Panama, prælia caloréſque ; ſi poſt percurſum pelagus omne Zurium, & Philippinarum portus aditos ; poſt innumera denique naufragiorum in reditu pericula : nunc demum animis pluſquam fœmineis conciderent ; poſteaquam tantùm non in Peruvii conſpectu, certè jam propemodum in Manta navalibus, & laborum meta, ſtarent. Quid ergo futurum in occurſu belluarum peregrinæ ferociæ ? quid in Anthropophagorum palantium inſultu ? quid in cæteris terræ Pontíque monſtris animorum fore, mulierculis hiſce ; quibus parvula famis & inſomnia duritia, quibus exigua laſſitudinis aſperitas, tam citò robur & conſtantiam convelleret ? Deficerent ſanè tales & nervo mentium, & callo pedum ; quos tam infantilis ignavia torpefeciſſet ! At ſe certè per ſaxa, pérque flammas, irretorto gradu perrecturos. Præterea : deſcriptam à navis magiſtro Thalaſſiam oppidulum, magis ac magis in propinquo jacére.

TALIBUS, per opinionum varietatem, in partem utramque ventilatis ; ad extremum pro cœpti ſemel erroris perſeverantia decretum eſt : urgentibus viam terreſtrem iis potiſſimùm, qui jam tum ab initio, fictis commodorum deſcriptionibus, è navigio noſ prolicuerant. Et in hunc modum, poſt longam digladiationem, *ſuperior fuit ſententia ſtultior ; quia vaniſſimâ fortitudinis jactantiæ ſpecioſior.* Itaque, minimâ jam actuariæ noſtræ curâ, progrediebamur : &, eodem nobiſcum paſſu, fatigatio, tædium, calamitas. Fames præcipuè, ſingulorum & omnium viſcera

rodebat; ne Thraſonibus quidem illis impatientiam diſſimulantibus, quibus Hercules & Iaſon videbantur in pectoribus congeniti. Tanta porrò veſcarum rerum egeſtas nos inceſſerat; ut, ne rabies edendi vitalia depaſceret, ad ſylveſtres radices & abſurda quæque, ſolô genita, vellēda converteremur. Hęc, cultris atque pugionibus effoſſa, conciſione minimè curioſâ, ciborum quandam in ſimilitudinem redigebamus. Eæ demum cupediæ nobis, eæ dapes erant; apparatu Perſico potiores. Cumulârunt hanc felicitatem, proceſſu temporis, tanquam auctarium & condimentum annonæ, cancri ſubinde; quos, littorum in vado, maris (uti fit) abſceſſus deſtituerat: rari tunc tamen: & neque tantæ famelicorum turbæ ſuffecturi, neque ſcrutantium ſollertiæ ſemper opportuni. Nam cùm id genus animalia, non niſi per citimi littoris arenas ſerperēt; eveniebat, ut, ſiqui collectum iſſent, in prandia ſine magna difficultate paullum quid eruerent. cæterùm ante noctium crepuſcula, ſtimulante fame redeuntes eundem ad piſcatum, æſtu maris reſtagnante prohibebantur. Hinc, ne cum undis pariter & infidô littorum luctandū eſſet; incœnati potiùs in montibus aut petrarum dorſis, noctes agebamus: ſanè meticuloſas, neque penitùs à belluarum incurſibus immunes. Exactis autem per ſomni ciborúmque penuriam tenebris: quotieſcunq; Soles ac dilucula recurriſſent, primùm omniū circumſpectabamus; Ecquod comminus eminúſve promiſſum emporium reluceret? Id autē, poſt infinita ſuſpiria, comparebat nuſquam; ut jam planè Thalaſſiæ deſi-

deſiderium nemini prudenti poſſet aliud, quàm puerorum nugæ vel luſus, videri. Tamen cum puerilibus iſtis cupidinibus, multa virilia robuſtáque mala creſcebant. ante cætera verò, pluſquam Eriſichthonia (ſicut memoravi) fames in dies ſingulos atrocior. deinde, fontibus paullatim rivíſque deficientibus, ſitis ingens, ob hoc ipſum; quia plerumque ſecundùm pelagus fieri noſtrum iter cœperat. æquoris autem viciniæ, quippe ſalſis & corpori noxiis aquis, ad potum nihil conferebat. Quòd & ſiqua ſubinde fluviorum oſtia marcentibus occurrerent; intermixtâ *jam* Ponti ſalſedine, nihil ad refectionem utilitatis afferebant. Vnde, quod, catenâ quadam moleſtiarum, proximum erat; ſtomachorum vitium, tabes corporum, corruptelâque viſcerum, cum febribus, enaſcebantur. Sed &, ſiquos naturæ robuſtioris, à gravibus morbis inviolatos, quotidianæ tantūmodo ſtringerent ærumnæ: tamen eâdem ſemper, ac ſine fine, tolerando; ſub extremum etiam ipſi peſſumdabantur: utique, poſteaquā neque *requie* (quam tamen omnibus animantibus, *unicum in fatigatione ſolatium*, natura providit) allevarentur. Nam ſimulatq; membra, viarū aſperitate fracta languidáque, planiore ſolo ſtraviſſemus, ad remiſſionem captandā; pauxillô reſpirationis deguſtatô, reliquū ad iter longè ponderoſiores reſurgebamus: ſic uti pœniteret nonnunquā interjunctionis; ut quæ tantò gravamine nobis vix moleſtiam duplicâſſet. ID, frequens oppidò viatoribus & deteſtabile fatigationis incrementū; tūc præcipuè gliſcit; cùm mora productior eſt quieti conceſſa. Mi-

rari proinde ſæpe venit in mentem; Vndè-nam principia ſuáſque cauſſas trahat? *An, quòd agitatus aſſiduò motu ſanguis, ſpiritus vehat vegetiores, quoad ambulationis calor perennat: & idcirco currendi promptior, ex ipſa ſui ſubtilitate, progredi geſtiat? Contrà verò ſtratus idem cum univerſa corporis mole, per cubationis ſeſſionísve languorem ſenſim intra ſeipſum, velut in maſſam, ſpiſſetur? &, ipsâ denſitate torpidus alacritatémque veterem tanquam oblitus; ignavo lentóre congelaſcat? An potiùs, dum in fervore labor eſt eundi, currendíve; minùs idem ex ipſámet aſſuetudine neceſſitatéve ſentitur? remiſſus autem, & jam tanquam ex profeſſo deſes, hebeſcit? ut, ſicut* MORTALES *omnes ſumus ab aſperitate proclives ad voluptatem; ipſa torpedinis dulcedo nos ſenſim plumbeos reddat, & immobiles, ad ſtrenuum conatum? An denique* QUIES *incéndere fatigationem idcirco creditur;* QUIA *moleſtiſſimus contrariorum, ad contraria tranſeuntium, ſenſus eſt? Sed iſta viderint, qui ſe Philoſophos appellant.*

IX. Nos interim Thalaſſiam nihilô magìs aſſequebamur: prorſus ut *jam fabulas & apologos mihi loqui viderentur, qui ſperare colonias humanas aut civium ſocietates auderent*; in ſolitudinibus præſertim tam ſepultis & abſtrusìs. Eas tamen etiam paullatim, quantumvis arentes, interluere flumina cœptabant: quæ ſiniſtro montium latere decurrebant. Verùm illa non duodenûm, ut antehac, pedum; ſed longè latiſſima, ſpatioſìs alveìs ſeſe diffundebant. Et, quia procul admodum ab littore maris Zurii, quod influebant, fontium origines recedebant; affluentibus un-

dequaque

dequaque rivis, quantô procedebant, tantô creſcebant: grandíque cum murmure per confraga rupium, & ſaltuoſas voragines, incedebant. Fuerunt ejuſmodi fluminum compluria, ſuperatu difficillima; ſolóque ſui conſpectu, quoties neceſſitas trajicere compuliſſet, formidanda. Ventum erat ad eorum primum, nomine quidem mihi (ſicut cætera regionum illarum) incompertum; periculô verò, licèt alienô, plus nimiô notum atque memorabile. Stantibus in hujus ripa, pronum erat, æſtimare; vadô tranſiri, niſi nudatis & expeditis à corporibus, neutiquam poſſe: quapropter ſarcinas & impedimenta ſeponenda. Sed, cùm ea nobis, ad profectionem reliquam, uſui pleraque neceſſitatíque forent: excogitanda ratio fuit, quâ, nullo noſtro gravamine periculóque, tranſportarentur. Novam igitur Argûs fabricam non ad Pelion montem, Minervâ dictante, ſed ignotiſſimis in ſaltibus comminiſcente pauperie; proximis è ſylvis trabes arborum, temerè jacentes, in materiam advolvimus. Poſt has, virgulta vimináque cum juncis & geniſtis, in vinculorum atq; compagum uſum, comportamus. Ex ea tota congerie Ratem extemporalem, aut certè Rati non abſimilem ſtruem, molímur. Fuère quoque, qui ramorum latiora fragmenta pugionibus ac machæris, in quandam remorum effigiem, deſtringerent: &, diductis in ſpatium principiis, palmularum ac tonſarum ſimilitudine quadam induerent. Hæc illi Remos appellabant; & ad compagis nauticæ latera ſcirpeis nexibus alligabant. Hoc opere (quan-

tàm per tempus & rerum neceſſitudinē potuit)exactô perfectôque; cultum deinde corporum, ad intimam uſq; tunicam, ponimus; ac, velatis tantummodo, quas pudor jubet, partibus; indumenta, cum ſarcinis omnibus, in ſchediam injicimus. Poſtea, deſignatis, qui remigii non uſquequaque rudes apparebant, ſociis; jubemus, ratem ut à capite pedéque propellant. Reliquis autem tranſnatandi lex impoſita; demptîs duntaxat iis, qui, tentandorum fluminum inſcientes & pavidi, conatum hunc longè refugerent. his enim indultum; ut, tranſportatâ ſupellectili, recepti compage, ligno mallent, quàm ſuis brachiis, confidere.

Geminas igitur in partes omnis turba diſcedimus. Eorum altera, natandi peritiâ (nec dubium, quin etiam audaciâ) melior, noſtras exuvias & ſarcinas in trajectu comitari jubetur. His admiſcentur pavidiorum quidam; & nonnulli, penitùs imbelles, in ratem cum impedimentis imponuntur. Illis porrò timidioribus imperatum; ut, manuum injectu quàm leniſſimô, poſticæ parti ratis hærerent; quò minore periculo pavoréque ſimul tranſirent. non defuturos verò pavidis cæteros, arte vel animo firmiores: quin interim adnatando, vocibus, hortamentis, & conniſu ſuppoſitúque brachiorum, ſuppetias ferrent. Hæc primæ partis erat turba. Deterior paullò (ſicut tunc quidem videbatur) alterius cœtûs fuit conditio. nam in hanc erant deſcripti Sociorum ii; qui neque robore quidquam, neque natatu, valerent. Et hi præſtolari juſſi; quoad ſchedia fluviatilis,

tilis,

tilis, primæ tranſportationis onere perfunﬆa, ripam citeriorem repeteret. Id autem ut citrà dubitationem, & ex fœderis quaſi ſacramentô; ſic fieret; à nobis ſedulò cautum eſt, ac proviſum: reputantibus ingenii mortalis incertam fidem; & promiſſorum, in horas variabilem, mobilitatem. Itaque, præterquam, quòd præceſſuros jurisjurandi vinculis adſtrinximus, non defuturos ſaluti noſtræ: ſuper hæc, quidquid funiculorum & reſtium, quidquid ligularum, periſcelidum, ac laciniarum in ſarcinis repereramus; id totum ſollicitè protulimus. quæ, poſteaquam nodîs innumerîs in quandam rudentis ſpeciem conſuiſſemus; ad ratis denique pedem deligavimus. Id eô conſiliô factum eſt; ut, quandocunq; præcedentium cœtus abnavigâſſet, nos tamen, in citima relicti ripâ, correptum manibus funem ſummâ contentione retineremus: &, ſiquâ perfidiâ (quod fieri poſſet) recurſus ratis negaretur; eam nos nihiloſecius, etiam invitîs illîs, per vim retraheremus. Quod tamen quàm conſultò diſpeﬆéque fuerit excogitatum; nunc quoque tantò pòſt, nondum equidem pervideo. *Quaſi verò non longè fortiùs priores illi trajeﬆores materiam, ſarcinîs ac vectoribus præponderantem, retinuiſſent; ſi fallere fidem voluiſſent? & id tantò magìs, quantò majorem viderent noſtram erga ſe diffidentiam? Aut, quaſi non (ſi quis unus ex omni numero fraudem animô machinaretur) eam facillimè ſtatim & ſimpliciter expediſſet; ſi per pugionis aciem præſeﬆô fune noſtrô, ratem ipſe porrò propuliſſet: nobis contrà, deceptis, in manibus mutilum retinaculū reli-*

quiſſet?

quiſſet? Quo ſanè caſu, quid, niſi vacuam ve-ſtem, & hiantem fruſtra ſpem, cum naſi ſuſpendio, reportaſſemus? Sed hæc in hunc, quem retuli, modum compoſita ſunt: delectíque forte, de generoſiorum numero, qui cum prioribus poſterioribúſque trajicerent; ut neutra pars ſubſidiîs ſuis, & auxiliaribus, deſtitueretur.

Solus extra delectum Balboas quidam (neſcias, natandíne ſcientiâ magìs, an jactantiâ præſignis) ſe cæteris omnibus ultrò ducem obtulit. At ego, poſtremam inter turbam, ità ſortis judicio damnatus, ac præter hoc tranſnandi ruditatem profeſſus; ſubmoeſtus ſubſtiteram.

X. Rebus inſtructîs omnibus; nos, quotquot in ripa reſtiteramus Omnia *proſpera* communibus votis ominamur. fluitare verò ratis, & urgeri remîs, cœpit; ſociorum aliîs per trabes ſedentibus; aliis autem natatu circumquàque, maximè laterum tenus, aſſultantibus. At nos, ex condicto funem retinentes, feſtis plauſibus (quantum in re triſti potuimus) & confuſîs in commune clamoribus, alacritatem natantium accendebamus. Princeps natationis, is, quem dixi, Balboas, contra torrentis fremitum graſſari: fluctuum aſſurgentium minas provocare: frangere tumentes cum ſpuma gurgites; & corporis variâ jactatione, tanquam per Orgiorum quandam licentiam, inter undas bacchari. Subinde quoque ſponte ſuâ, pérque *proterviam* (eorum ritu, qui, more pravo, *Leves artes, quaſi veras virtutes, oſtentant*) clementer fluentem amnem, concitare, ſedatúm-

tûmque fluxum turbulentâ gyratione velut efferare.

Iámque cum comitatu ratéque, quindenos circiter paſſus promoverat, ut paullatim aquæ, ſiquando BALBOAS quietiùs incederet, humerorum tenus aſſurgerent; nec ultra: plerumque paulillô ſupra pectus. Ibi tum ille (ſimulando, reor, irridendóque pavori) per laſciviam & jocum exclamare; *Nimiam enimverò tandem hanc eſſe, proptereáque moderandam, fluminis profunditatem! Itaque rediturum ad eos ſe; qui, diſcriminis exſortes, in ripa deſediſſent.* Cum hoc dicto, divulſus à ſuis, ac, per natationis ambages, renatanti ſimilis; ad nos iter intendit: & (mirum dictu!) momentô citiùs in præceps alvei rapitur. Hîc, exiguâ temporis intercapedine, velut obrutus; poſteaquam emerſit, voce clarâ ſociorum cœpit opem & manus implorare: ſibi diſcrimen ultimum impendére. Iocari nos hominem ſuſpicabamur, conſuetâ ſcurrilitate; familiaribúſque per otium nugis. Itaque ſæpius licèt, *Per fidem, per ſocietatem & Amicitiam, & omnia ſacra*, rogantem nemo nec amicus, neque ſocius, adjutum ivit: ceſſantibus etiam iis ad opem, ac tanquam ſcurram deridentibus; qui, proximè ſecundùm vociferantem, natabant. Et tamen in promptu ſubſidium fuerat. Sed, quâ veniâ *mortalibus frequenter mentiri ſuetis, nemo fidem habet; ne tunc quidem, cùm vera loquuntur:* eádem etiam huic joculari lixæ, ſemper antehac in facetias & impoſturas effundi ſolito, nemo manum porrexit eo temporis, quo cumprimis eguiſſet; & ipſe revera

vera ſeriò popoſciſſet. Accedebat ad hunc àuxilii neglectum, fatorum quádam invidiâ; quòd nulli comitum, nec ſimulacrũ quidem, aut umbra periculi ſubolebat; alveô vix ad lumbos, aut ſummùm ad pectus, pertingente. SED interim BALBOAS, iterum tertiúmque fundo remerſus, poſteaquam fruſtra preces & lamenta conſumpſit: ad extremum, inter luctas cùm undis, & incerta verba, depreſſus hauſtúſque profluente; nec à nobis unquam poſtea conſpectus eſt. Id, *occultóne quodam, & per impetum citante fatô, ceciderit? an repentinâ quadam pedum nervorúmq; (velut in natantibus amat) torpedine, ſpaſmove convulſione? num etiam fluviatilis alicujus monſtri (cujuſmodi multa Pontus adverſis amnium oſtiis immittit) morſu retinaculóque? ſive quâ demum aliâ cauſâ, minùs hominibus ſuſpicabili?* mecum tacitus divinare malo, quàm apertâ temeritate ſcribere. Potiùs id agam; ut mores hominis, conjectantium libertati relictos, fide quàm optimâ ponam in propatulo; qui ſic habebant.

XI. FUIT BALBOAS hic, Iuvenis (ſi quis alius) ingenio pravô, malè quietô, boníſque diſſociabili. Tranquillitatis, jam olim in paterno ſolo, tam impatiens; ut ex Hiſpania Peruvium, alterâ tunc navigatione, nullâ magnâ neque gloriæ, neque lucri ſpe, peteret tantùm, quia malè feriatorum more, nullo loco neque conſiſtebat, neque conſiſtere poterat. Primus hic, bene compoſitam vectorum in navigio pacem, tumultu turbârat. Primus nauclero, ſive venalis, ſive gratuitus aſſentator, noſtrum exſcenſum ſubſcriptione

ſuâ

ſuâ laudaverat; & itineris terreſtris ſuaſoriam declamârat. Idem ipſe Mantæ portum, & urbeculam Americanam, ſub ficto Thalaſſiæ nomine, ſexcentáque viæ commoda, tanquam pro teſtimonii ſanctitare, deſcripſerat; vaniſſimâ circumlocutione. nec dejerare dubitavit; Nullum locorum eorum ſibi, pervagato quondam oras illas, incompertum eſſe. Quibus figmentorum coloribus, multorum è comitibus fidem & animos (velut in loco memoravimus) ceperat, atque dementârat. Vnde nec mirandum; in caput illius calamitatum noſtrarum partem, eámque non vulgarem, recidiſſe: qui malorum nobis omniũ, quæ tulimus adhuc, quæque feremus in poſterum, caput ac principium ſeſe præbuerat. Verùm erant hæc, in comparatione graviorum, levia; propemodúmque veniâ digna: niſi grandiora miſerum flagitia preſſiſſent. Nam erat, ſuper hæc, BALBOAS omni vitâ moribúſque contaminatus: petulantiâ, vitiiſque, quæ dictari ſolent à petulantia, diffluens ac diſſolutus. aleæ cumprimis, vetitíſque luſibus, addictiſſimus; ad portentum uſque. Nam probrorum cætera referre, piget æquè pudétque. Præter hæc omnia, mens hominis ab rebus divinis & immortalibus aliena. væcors, & Numinis contemptor, animus; lingua perjuriîs polluta; manus ad omne ſcelus faciles: os in cœleſtia ſubrectum; & altero quoq; tertióve verbô, maledicîs vocibus Divinum Numen, ac Superos, aſſuetũ incéſſere. Néve quis putet, aut quotidianis periculis hunc aliquando manſuefactũ; aut *à maritimis ærũnis ſtudia Pietatis induiſſe:* fuit BALBOAS idẽ ſemper

ſemper, & cis, & trans Oceanum. inter aſpera verò Zurii maris, & itinerum pedeſtrium, aliquantò ſolutior, atque nequior. Nam, inter hæc, non modò nihil ab alea, laſciviæque conſuetudine, diſcedebat; ſed inſuper ad eadem pravè facta, noſtro de numero non unum, exemplis & ſermonibus, incendebat. Quod equidem *hominum genus, cæteros corrumpentium, vix ulla poteſt in ſocietate*, quantumvis ſelectiſsimâ, *deeſſe*; *promptis* præſertim ſemper *in deteriora lapſibus, quoties nefariam magiſterium lubrica Iuventus adipiſcitur*. Hanc igitur BALBOAE, tam prægravem maleſactis, tam onuſtam pondere flagitiorum conſcientiam, quid mirandum, tandem in profundum deſcendiſſe? ſerâ quidem fortaſſe, ſemper tamen juſtiſſimâ, Numinis iracundiâ pœnas expoſcente. Quæ verò ſcribo, tam vera ſunt; ut ea de cœtu noſtro nemo (ne BALBOAE quidem ſtudioſus, aut ſimilis) diffiteretur; divinitus in eum hominem animadverſum eſſe, tam diuturnæ malitiæ manifeſtum. Cùm præſertim, quo loco periiſſet, nec periculum revera, nec vortex ullus, nec omnino cauſſa pateſceret exitii, quippe, fluvii pacatô vadô: nec, niſi pectus natantis (maximè poſt reditum in humiliorem alveum) tingente. Poſſemus hunc, Argonautarum noſtrorum HYLAM dicere; non minùs, ac veterem illum, aquis raptum; niſi tragœdiæ veritas, nimiò plus hiſtorica, fabulas omnes hinc longè proſcriberet: &, in hac morum impietate, verendum eſſet; ne potiùs à Megæra nigrâ, quàm ab albâ Nymphâ, Iuvenis nocens eſſet abreptus.

Eum nos piſcibus, aquatilibúſve belluis, relinquimus; cum iſto, quod poſuimus, geſtorum ac vitiorum illius epitaphio. quod ei nos condidimus, nullâ ſanè mortui calumniâ, vel inſectandi ſtudio. Namque malevolentiæ cauſſas, tantò pòſt, in vitæ ſanctioris ſtadio locati, procùl habuimus. Quæ verò tradidimus; ea, tunc omnibus compertiſſima, publicéque diſperſa: nunc, poſteritatis documentô ſalutari, diſſimulanda ſilentiô non videbantur.

ARGONAUTICÔN
AMERICANORUM,
SIVE
PERICULORUM PETRI
DE VICTORIA
LIBER V.
CAPITUM BREVIARIUM.

I. *EX interitu Balbóa, cæterorum conſternatio. Vnde, qui reſidui in ripa manſerant, alio loco flumen tranſgrediuntur. quibus tamen in proceſſu torrentes, ac mala, creſcunt. Sociorum diſſoluta concordia, novô periculô coaleſcit; oblatô ingenti alio flumine: in cujus inſulam quandam, impropitiis fatis & hoſpitio, evadunt.* Coment. pag. 38. 39. & 40.

II. *Inſulâ Formicariâ demigrant, in terram continentem: direpto priùs è peregrinu arbuſtis genere quodam ſiliquarum dulcium. iis avidè devoratis, paullo poſt graviter omnes cruciantur.* Coment. pag. 40. & 41.

III. *Vno*

III. *Vno è Sociis, vi veneni extincto, Victoria cæterique ſubinde ſibi reſtituuntur. Quod genus illud Siliquarum fuerit? Diſſeritur ſuper eſculentis ſalutaribus, & noxiis, ſpecie ſimilibus: eorumque prudenti ſelectu & diſcrimine, primùm deprehenſo* Comment. pag. 41 & 42.

IV. *Navim ſuam, quâ exſcenderant, præter ſpem conſpiciunt. Signum flammâ vocibúſque dant, ex pacto; datúmque ſæpius iterant: & ad ſe navem tandem pelliciunt. Sed eorum gaudium in ventos abit.* Comment. pag. 42. & 43.

V. *Ioannis Pedioſæ, plurimùm delaſſati, preces & oratio, ad Petrum Victoriam; ut in vita extremo (quod ſibi finxerat) ſecum perſiſtat.* Comment. pag. 43. fin. & pag. 44. ac 45.

VI. *Poſt deliberationem prudentem, Victoria Pedioſæ obteſtationi obnuntiat: eúmque monitis confirmatum, deſtituit. Quem Pedioſa, mollitie ſuâ damnatâ, tandem ſequitur; & ad Socios ſe recipit.* Comment. pag. 45. 46. & 47.

VII. *Progreſſus & iter per aqua insquáque loca, ſummâ cum difficultate. Quidam è Sociis aprum Americanum, lanceâ confectum, cæteris abſumendum partitur. Illius cum apro pugna depingitur.* Comment. pag. 47. 48. & 49.

VIII. *Navim ſuam Victoria, & Socii denuò in oculis ac vicinia habenti; ſed breviſſimâ fallacíque lætitiâ. nam eam gemina navis Britannica hoſtiliter inſectata, vertit in fugam. Quædam ibi, de Franciſco Draco, & piratis Anglicanis.* Comment. pag. 49 fin. & pag. 50. atq; 51. princip.

IX. *Navi ſua ſuorúmque, Victoria ab Anglis ametu; eamque piâ & multiplici ſollicitudine prædeplorat. Aliunde verò accerſitis ſolatiis, ſeipſum confirmat.* Comment. pag. 51. princip.

X. *Ang-*

X. *Amiſſâ jam toties ex oculis & manibus actuariâ ſuâ, Socii Victoria ad fatuas urbeculæ promiſſa ſpes relabuntur. Sociorũ interim numerus, variis profectionis difficultatibus & funeribus, imminuitur.* Comment. pag. 51. & 52 princip.

XI. *Iter prolixum, per loca ſabuloſa, coticuliſq; inſtrata. Victoria, dum ſcopulorum vertices ſuperare cogitur; decepto inter tranſſultus veſtigiô, in voraginem horrendam præceps delabitur.* Comment. pag. 52. & 53.

EXtincti BALBOAE calamitas ſocios quidem omnes; at in diverſum, affecit. Quidam enim illorum, caſtô Numinis horrore, cùm apertiſſimã pravitatis vindictam deprehenderent; *pœnas pares, ex factis paribus, metuebant.* Alii contrà ſecordes, nullô, vel perquam exiguô cœleſtium conſiliorum ſenſu, ſuperſtitionem induebant: tanquam hominis unius funeſtus exitus reliquũ omne flumen infauſtis ominibus initiâſſet; ad reſiduorum tranſitum. Igitur pars pleraque viatorum, adhuc in ripa citeriore morantium, omiſſo fune ſimul, & tranſgrediendi conſilio; tunc mœſtiſſimâ quiete reſederunt. Et nox quidem inſequens, neque nobis per ſomnum, neque per lætitiam illis alteris eſt exacta: communi luctu quodam & formidine ſqualentibus universîs. Die verò poſtero, vix aurorâ ſublucente, noſtrûm aliqui digreſſi, ponè littoris ſubmiſſiores oras; idipſum flumen, ingenti diffuſum ſpatio, reppererunt; ideòque jam multò vadoſius. Quare, clamoribus eorum ſibiliſq; convocati, diverſim alius aliunde convolamus; ac fluvium,

nullo

nullo negotio, pedeſtres tranſgreſſi: comitibus iis, quos pridie ratis tranſpoſuerat, aggregamur. Ità, conjunctô rurſus, velut antè, cœtu; *pluribus humeris, ad plura* nováque calamitatum *onera, præparamur*. Hæc adeò nobis non defuerunt; ut antiquos Herculis labores, & Hydræ decollatæ fabuloſa capita, viderentur in memoriam inſculpere. cùm ſemper malis anterioribus mala poſteriora, graviora mole, denſioráque numerô, ſuccederent. Certè quidem, ſicut tunc, ex unico monſtro lacuſtrî, ſerpentium innumera ſeges pullulabat; ſic apparebat nunc, unâ quadam infinitâ de ſcaturigine, novos ſemper, ac ſine fine, deteriores amnes ſubnaſci. Quos, dum ſuperare compellimur, pede, natatu, *luctamine*: profectionem interim quotidianis obſtaculis; ſocios crebris funeribus; ac tempus, menſium dilapſibus, amittimus. Tardéque denique, ſed aliquando tamen, illam tot torrentium corrivationem evicimus; poſt diem omnino duodecimum, à primo fluminum ingreſſu: nec tamen hocipſum ſine numeri noſtri decimatione; quippe, comitum nonnullis, manifeſtæ profunditatis gurgites ingreſſis, & cæcô fluctuum hauſtis. Ac videri poterant Balbóæ manes plurium paullatim capitum tributa poſcere: cumprimis autem eorum, quos illi morum ac vitæ ſimilitudo feciſſet propinquiores.

Sic afflictis turbatíſque; quod *in melioris fortunæ deſperatione proximum eſſe ſolet, ordinis omnis, & compoſitæ ſocietatis nexus eſt interciſus*. Mox, nullo capite, nullo rectore, gerendorúmque dictatore; ſucceſſit pro conſilio temeri-

meritas; pro fide fiducíaq; mentium & amicitiæ diſſolutio:pro mutuis inter nos ſolatiis, animorum mœror; pro comitatu, diſperſio; pro-pace, diſcordia: pro ſermonum ſuavi nexu, ſeditioſa verboſáque jurgia, cum rixis & altercationibus: certatim alium aliô, velut infauſtæ viæ cauſſam, & dimiſſæ navis ſuaſorem, criminante. Cùm interim revera ſeipſum quiſque juſtiùs, pro ſua parte; vel, omnes in commune, BALBOAM, ac naucleri perfidiam, exagitare potuiſſent.

SED inter hæc (dictu mirum!) *ab ipſis malis*, aliquod *malorum levamen* emerſit; Novæ ſcilicet incommoditatis occurſus: *& omnium publicum periculum*: cujuſmodi *neceſſitas, etiã bruta animantes ſocietate* quadam *adſtringere ſolita*, multò magis hominum mentes, à diſſidiis, in unum conducit. Ecce namque! perfuncti paullatim torrentibus, (ut nobis quidem videbamur) itinere plano, triſtium ſecuri, progrediebamur: & ob hoc ipſum, HUMANAE *felicitatis vitiô* (QUAE *ſemper ex Proſperis luxuriat*) bellum è nobiſipſis, per litigia, ſufflabamus; quod foris ab áſpera viarum natura defecerat. cùm repentè, nec opinantes, recentem in fluvium, eúmque ſpatiô diffuſiſſimum, impingimur. Hujus alveus crebrîs, iiſque multùm herbidîs inſulîs, ſparſim interpolatus; ſicut ſpecie graminis & florum invitabat; ſic, gurgitibus & periculorum ambiguô, deterrebat. Inventus eſt nihilominus, ex omni turba noſtrorum: qui ſolus, nullo BALBOAE, nullo ſociorum poſt eum exitiô, conſternatus; tentare vadum amnis auderet. Is, repertô pedum haud am-

G plius

pliùs quinorum perpetuô profundô, nec uſquam inæquali; primus in terram quandam interjectam evaſit. mox voce, manibus, exemplóque ſuo, cœpit eandem in ſedem nos omnes pellicere; crebris hortatibus ſecuritatem tranſitûs, & vorticum vadíque clementiam, interponens: fidem porrò ſuam juriſjurandi religionibus oppignerans. Itaq; nemo fuit omnium, quin, *Sequendum*, clamaret; cum præſertim in locum, ubi dux & auctor conſilii, citrà grande luctamen & periculum, jam in portu conſiſteret. Quare detractis, ac ſuper capita levatis, indumentis; amni nos ſine mora committimus. Nullum eſt, ne Colchici quidem Phaſidis, aut Scythici Boryſthenis, vel Cydni Cilicis, frigus; quod fluminis iſtius, per quod iter nobis erat, æquare gelu credam; omni nive glaciéque rigidius. Adſtrictis certè, corporibus pariter & inteſtinis; multo cum cruciatu ſtupentium membrorum luctabamur; tantummodóque ſpatii brevitate, poſt progreſſum longum, nos conſolati, mutuis alter alterum hortatibus protrahebamus. donec in glebam denique cujuſdam inſulæ graminoſam penetravimus. Ibi calentem diem, in tempore locóque, nacti; congelata rigore membra, laxare Solis ardore cœpimus. Sed (dictu miſerabile!) nullo quietis aut fomentorum lucrô. Vix enim conſederamus; cùm nos incivilia formicarum & culicum roſtra (quorum illic immanis exercitus ſtabulabatur) non ſinè furiis aggrediuntur; &, puncturis creberrimis ſauciatos exagitatóſque, ſuo fundo ſinibúſque pæne velociùs exturbant, quàm admi-

admiſerant. tanquam intelligerent enimverò, genus id inſectorum inhoſpitale; Nos *exteros* eſſe mortales: *nec ad ſeſe quidquam pertinentes.* Sentires: cum infelicitate noſtra, nos ubique perſequente, fœdus iniſſe barbaras beſtiolas, ab eáque doctas eſſe; *Semel miſeris, nuſquam Patriam, nuſquam Amicum eſſe debere.* Quanquam etiam Invidiæ quadam haud obſcurâ ratione, ſtimulatæ videri poſſent, ad nos infeſtandos.

II. ERANT enim eodem in loco, ſtirpium ac virgultorum, neſcio quorum, peregrina germina. quorum fructus, nigricante ſiliquâ veſtiti, ſimulac eos mandere cœpiſſes, gratiſſimò ſtatim ſapore, mellis dulcedinem præſeferrent. His non leviter, & extimò labiò deguſtatìs, confeſtim univerſi conclamamus; *Migrandum quidem, è culìcum iſta formicarúmque fœda coloniâ: non tamen impunè, neque ſine ſpoliis, ac rapina; quippe gentium jure: quod omnibus hominibus ex æquo permitteret, hoſtem depopulari. Nec eſſe profectò temerè: quòd, in boni felicitatíſque partem venientibus Hiſpanis, inſecta Batavica, paludum alumna, bellum moverent; eóſque ſolò communi pellerent.* Dicebamus iſta, frigidô jocô; ſed calido ſtomacho; quem, alimenti jam pridem avidum, *diſertior omni monitore fames inteſtina*, ſtimulabat ad pabulandum. In eas igitur (quas dixi) ſiliquas paſſim involamus, carptu faciles; & præter hæc, propensâ ramorum liberalitate, ſe nobis ultrô porrigentes: cùm ob oculos & ora noſtra penderent. Correptìs manu deductíſque ſtirpibus; pro ſe

 quiſ-

quiſque deſtringimus, quantum eſuries, cupiditas, & ſarcinæ noſtræ capere ferréque poſſent. Ad extremum, ne diutiùs aut culices formicæque nobis, aut nos illis, moleſtiã exhiberemus; demigramus: & inſularum, quotquot interjacebant, glebîs laborioſo tranſſultu ſuperatîs; per fluminis reſiduum alveum in continentem terram evadimus. Id, quò commodiùs aſſequeremur, ipſa naturæ providentia comparaverat: quæ ſparſim, univerſum per amnem, ſurrectis velut aggeribus, gramine veſtitîs, tanquam gradus quoſdam, tranſituris, ad ulteriorem uſque ripam, diſpoſuerat. Sed nihiloſecius nonnunquam, aut veſtigia lababant; aut, in tranſgreſſu, ſaltus nos fallebat: ut per fluminis ſubinde partem neceſſariò trahendum corpus foret. Ibi tum alveus, à primo ſui tenore degener; nunc profunditate nobis, nunc incertitudine gurgitum, iniquum ſe fallacémque præbebat: raptíque cæcas in foveas, non raro ſubvertebamur. ubi, ſalvîs quidem corporibus, onera tamen fluitabant; & veſtimenta tingebantur. His igitur adversùs putredinem deſiccandis; in ripa Solem, & apricô gaudentem tumulum, inquirimus: quoad madentes exuviæ derorarent; &, ardore conſumptus humor, aptitudini veteri tegumenta reſtitueret. Nobis interim (quoniam diei multum adhuc, & pomeridianus calor, ſupererat) viſum eſt, corpora curare; diſpeſcendóque Soli, locîs opportunîs & opacîs diſcumbere. Raptim igitur (quia virgultorum illic copia ſuppetebat) frondes diripimus; ſylveſtréque ſibi quiſ-

quiſque tabernaculum, *ad* IONAE *ſub hedera meridiantis exemplum*, componimus. dein, per herbas ſtrati; ſiliquarum fructibus, modò collectis, indulgenter ac per genium veſcimur: non exſpectatâ cœnantium lege, vel horâ. Statim autem, ſerpente per venas illecebrâ paſtionis, & in papaveris ritum fumos in caput agitante; pariter omnes, velut ex condicto, conſopimur. Cæterùm quiete, neque multùm durabili, neque corporibus ſalutari. Namque vivâ quadam peſtiferæ VOLUPTATIS imagine, (Cujus *ſemper principia Dulcia, ſed Finis amarus eſt*) non multò poſt ſomnum initum, expergiſcimur; ſponte ſuâ quidam; alii queſtibus alios & ejulatu ſuſcitantes. Et nonnulli quidem, quorum recens ac primus mali ſenſus gliſcebat, viſcerum tormina, verminationémque clamitabant: alii divulſionem iliûm, atque volvulum. At pars maxima, ſtomachi rejectamentum, nauſeam, vomitiones, & incuſabant, & moliebantur; tanquam cruciatûs cauſſam ſimul, & remedium. Inter quæ dolorum agmina, certatim omnes *mortis viciniam*, *Quiritium opem, & hominum ſuperúmque ſuppetias*, invocabant. Paullatim deinde, creſcente ſuperantéque malo; ſicut inveſtes intectíque parte pleráque corporis omnes decubueramus, diſpaſsîs ad auram indumentîs: ità nudi, de ſuis quiſque tentoriolis proreptamus. Mox, quadrupedum in morem, quas modò mater profudit, informes incertíque volutamur, lamentantes, ac vocibus belluam veriùs, quàm hominem ſonantibus, tormenti finem aut lenimen indagantes.

tes. Quæ cùm ex ingenio ſuopte nemo reperiret, aut erueret; *ad alienum conſilium, miſerorum more, mentem vertebamus* : &, ut quiſque notiſſimum amiciſſimúmve ſibi finxiſſet è ſociis, eum ſibi morbi præſentis medicum ſperabat; eum votis ultimis inclamabat. cùm interim revera, domeſticum omnes ac ſinguli valetudinarium intrà viſcera circumferrent. Iacebant igitur (dictu fœdum ac miſerandum!) quadrageni Iuvenes, ætatis modò flore, corporúmque robore valentiſſimi; tunc verò lymphatis furentibúſque nihil admodum diſtantes: niſi, quòd inſaniam cruciatûs, quam depellere non erat, integris tamen mentibus intelligebant; & acriore propter hoc ipſum ſenſu *deplorabant*. Tandem, ubi colligi vis luis intrà præcordia viſceráſque cœpit; doloris atrocitate patientiam omnem excutiente, tantùm non ad ſalutis deſperationem eſt ventum. Sine modò modeſtiáque, pleríque ventres proctos per terram, per carecta virgultáq;, per & lapidum aſpera trahere, raptaréque; ſerpentinum in ritum: ut vel ſic peſtem, quam deglutierant, violentis compreſſionibus eliderent. Alii verò ſiliquis illis pernicioſis, & impotenti ſuæ voracitati, maledicere; non ſine ſtomachoſo ſcreatû: tanquam vel ſic, & per indignationem, extruſuri, quod per ingluviem intromiſiſſent. Nonnulli quoque cupere, ſi via præterea nulla pateret egerendæ peſti, miſeriam hanc intolerabilem, etiam alvi ſuæ proſciſſione, viſcerúmque diffluxibus, ſubterfugere.

III. Vix ſerò denique, poſt multam agitatio-

ſtationem, vomitu ſuccedente teterrimæ fordis & coloris proluvium ejectavimus: ſingultu creberrimô pulmones, ac totam animam, ſuccutiente. Quo factum, ut aliquantò commodiùs ab univerſis ferè ſit haberi cœptum: quos inter ego, virium ætatiſque proceſſu cæteris nullo modo par, meritò præ cæteris omnibus *Salutiferū* adoravi *Numen*: ut, quod mihi, jam in vitalibus mortem geſtanti, denſiſſimâ ſuſcitatâ rejectione, ſuccurriſſet. Debuitque mihi tantò *gratius, in tempore latum, auxilium* accidiſſe, quantò minùs iſtud ipſum è ſociis nonnemini cernebam uſui fuiſſe: quippe, quem poſt aſſiduam vomitionem, dirè laceratô divulſóque ventre, fœdum exitium, omnium in oculis, extinxiſſet.

Poſtea compertum fuit, fructus illos, quos nos vulgares SILIQUAS aut Ceratia credideramus; Mexicani cujuſdam veneni fuiſſe genus. Hoc indigenæ (ſalubrium noxiorúmque non incallidi) mirâ coctionis ſubtilitate, redigunt in panaces; morborum omnium præſentiſſimum, & quaſi dictatorium remedium: detractis duntaxat iis, quæ ſiliquarum umbilicum & verticem ambiunt, tuniculis nigricantibus. Eas, unà cum excremento fungi, fructum coronantis, abjiciunt. Iſtud ergo tam *ſalutare germen* nobis, corticem unà cum pulpa vorantibus, *inſcitia verterat in perniciem; vulgari ſtulta mortalitatis calamitate: quæ ſæpe profutura fugit, & contrà, ſuum interitum proſequitur.*

EA res in tempore, nec (ut ego reor) abſurdam animo ſubjungerit admirationem:

Vndénam, & quibus tandem artibus, aut prægu-ſtibus, ille nutrimentorum, qui nunc inter homi-nes viget, uſus, pro recepto probóque ſic invalue-rit; ut eum jam nemo formidet; detrectet nemo? Cùm præſertim, veſcorum quædam prima ſui ſpe-cie, ſubhorrida tetricáq; nec in ullas gulæ delicias nata videantur: & ea tamen avidè, nec minùs utiliter, expetantur? Eduliorum autem alia, vel illecebroſa cumprimis guſtu vel aſpectu ſpecioſa, certum libantibus exitium ingerant: & idcircò cautè proſcribantur? Quædam denique, propter ſimilitudinem, quâ cum ciborum noxiis collu-dunt, minimâ mortis & vitæ viciniâ, figuram extrinſecam oſtentent? & tamen, ſubtilitate mi-rificâ diſtinguente, ſeligantur & uſurpentur; rejectis obfuturis? Quis inter ea, quæ nullam ſalutaris alimenti formam præ ſe ferunt; quin etiam ſubinde ſolâ conſpectûs aut attactûs abſur-ditate, dentem humanum abſterrere debent: quis, inquam, deguſtandi principium fecit? Quis in plantis primus eſt auſus intrà ventrem recondere ſinapi, vel piper? quis lupulum? aut cepas? aut allium? aut abſynthium? aut, hodiernæ demen-tiæ condimentum potabile, tabaccum transmari-num? In iis, quibus ineſt anima cum motu, quis ingluvie primus invadere ſuſtinuit gallum Nu-midicum, cum iracundia tam inflata; cum collo, tam monſtroſis palearibus invenuſto? quis aggre-di, nullo præguſtante dapifero, marinos aſellos ſal-páſve, capitis adeò torvi ſuſpectáq; ? quis caſtores aut fibros? quis lutras, aut cochleas, aut teſtudines terreſtres aquatiléſq; ? ſcolópacum & gallinaginũ excrementa? porcinum ſanguinem, inteſtináque cruore tam lutulenta quadrupedis inferta? Quin imò, ſi placet ulteriùs ire, quis, nullo præeunte, po-

morum

morum quorumlibet grana ſeminave demiſit in ſtomachum ſine metu ſuccretura quandoque virgula, vel per guttur pullulatura ſtirpũ & arbuſcula? cùm ſcire poſſet in humano tamen ventre ſoboleſcere conſuéſſe vermium, ranarum ac ſerpentium eluviem? quippeni granorum etiam, & ſementis vivacem animam prodituram? Non igitur, hæc tam parva vulgo, parvô digna conſiliô; ſed priusquam attentes deliberationis indiga. Verùm illa quædam alia, longè majora pænéque Senatum requirentia, quis niſi præmeditatus aggrediatur? Diſtinguere ſcilicet, inter nutrimenta, facie ſimillima: diſſimillima ſalute, vel peſte: niſi diſcrimen arte penetres, & ab utilibus nocitura disjungas. Quis ille, quis (per fidem!) tam cana prudentia præ cæteris effulſit mortalibus: qui mallet in menſas anguillam, quàm anguem? cancrum, quàm ſcorpium? murem alpinum, quàm glirem? ranam, quàm hortenſem rubetam, aut bufonem? ſciurum, quàm muſtelam? ardeam quàm ciconiam? alaudam, quàm Herculeæ valetudinis paſſerem? cerebrum ovis, quam felis? Aut, cui primùm cibus eſt humanior viſus, carduus altilis, quàm barba Iovis? Cujus genio placuit ſepiæ piſcis cruor; & contrà diſplicuit atramentũ aluminis humor? Quis linxit ſacchar Canarium & deteſtatus eſt ſalſuginem Plinii ſolidam aut cryſtalli bolum? Quis antehabuit viſco ſuccinum? reſinæ maſtichen odorato minio contuſum crocum? pruinæ fatuũ ſalem? friato lapidi Cretico, tenuiſſimũ pollinem, aut farinæ florem, non minùs immobbus inſipidum? Quis præterea primus ſonticô morbô jactatîs humanum ſanguinem, adhuc à vulnere bullientem, tanquam profuturum propinavit? & è diverſo, cruorẽ taurinum (utiq; longè

 parabi-

parabiliorem) velut irritamentum inſaniæ dãmnavit, & interdixit? IN *hæc, & alia ſexcẽta diſcriminanda, quódnam eſt datum oraculũ ? quódnam conſultum ? Dicemúſne; Principẽ & generis, & mentis hominum,* ADAMUM, *ſuos inſtituiſſe filios, atq; poſteros; quorúmnam eduliorum & medicaminum, aut delectum facerent, aut repudiũ ? Poſt hunc, Moyſen ac Salomonem, mortalium intelligentiſſimos : longè verò ſub hos Democritum, Theophraſtum, Dioſcoridem (medicorum Græciæ rhinocerotas) alimentorum uſum, ac venenum, illuſtrâſſe; reſeratíſq; denuò naturæ myſteriis, Ægyptiorum ſcientiã, fluxu temporum interlapſam, interpolâſſe? Quæ ſi non ità ſunt, num propiùs verum eſt; ipſum quotidiani guſtûs uſum, utilitatis ac ſalutis extitiſſe magiſtrũ ? ac, ſicut Reſpublicæ quadam Medicos periclitantur: ipſi porrò Medici plantas & ſuccos incompertos, ab ipſa funerũ raritate denſitatéq;, probant improbántve: ſic credemus, Hominum feciſſe ſollertiã ? ut ex prægustantium ſucceſſibus & eventu (tanquam ex Dialecticorum multîs Inductionibus) unam denique Concluſionem quandam efficerent, ac ſic decernerent;* Hæ Dapes vitam ſervant; iſtæ minuunt! Iſte cibus nutrit; hic interficit! *Vt in hunc deniq; modum fieret* omnium Publica diſciplina; quæ *diu prius* fuiſſet Plurimorũ periculum *ac Libitinâ. Verùm, utut hæc ſe res habet; In hoc ipſo nos plurimùm à brutis animãtibus antecellimur; quas Natura ſolius inſtinctus, nullô periculorum præludiô, docet; Quæ fugiant alimenta, quæve carpant ? Vnde fit: ut nullâ præcedentium funerũ invidia, cytiſum ac dictamnum capræ cervíque; chelidoniam hirundines; araneum pavi, gallinæ, multæq; cæterarum avium, deglutiant; non in pa-*

bulum

bulum minùs, quàm in medicinam. Sed nempe; quod his animalibus appetitus præſtat, & ingenitus impetus, ob hoc ipſum, quia bruta ſunt: id Homini, tanquã face prælata, commonſtrare Ratio *debet*, OMNIUM utilium noxiorúmque Modus ac Regula. *Cujus nos, quoniam neq; quondam in pomis nemoralibus, neque nunc in ſiliquis degluviendis, conſilium exquiſivimus: idcirco nimirũ, juſtiſſima Numinis indignatione, periclitati de capite ſumus. Tentare guſtu prælùdente periculũ, ſuffeciſſet: poteramúſq; (perfunctorio duntaxat præmorſu delibatis fructibus) adhuc intrà damnum omne conſiſtere ſi, quantũ nobis gula, tantùm gulæ nos, imperáſſemus.* Verùm hæc hactenus; &, tanquã digerendis noxiæ cœnæ reliquiis, per problema dipnoſophiſticum, ventilata ſunto: priſcæ Sapientiæ ritu. Nunc ad narrationis ſemitam revertamur.

IV. DIES interim ille quoque, complures adhuc ſimiles habiturus, labebatur: & in occaſum revoluto ſole, crepuſculum jam nocturnũ, cum aliquantillis lucis reliquiis, procedebat. Nobis, rerum pariter & itinerum incertiſſimis; perplexíſque, quid agere, quid omittere, foret ex uſu: repentè *ſpes inter medias deſperationis nebulas*, affulget. Ecce namque! Navis noſtra, per complures jam dudum dies nulli viſa, ſubitò non notari tantùm ac conſpici, verùm etiam applicari, ſonorô remigiô, cœpit. Vnde lætitia plerorumque non vulgaris; ac, velut è naufragio redivivæ puppis, hilarior aſpectus. Confeſtim igitur, ne ſalutis tam præclaram occaſionem morâ corrumperemus; ad Signum, ex compoſito nautis edendum, convertimur. Id quò

Et ardebat quidem initio pyra non plus unâ; ſed igne perquā luculentô, neq; facilè nautarum oculis ſeſe ſubducturo: ſi modò vigiles illos apertóſque tenere vellent; per umbras præſertim jam ingruentes, & noctis, quæ procedebat, incrementa. Sanéque teſſeram iſtam, in occurſus nocturnos, nec aliam convenientiorem, navis magiſter pactus erat: quâ ſemel, etiam è remotiſſimo, conſpectâ; vel ipſe ſuam actuariam collucentibus terris adverteret: vel, ſi prohiberet hoc curſus operoſior, phaſelum aliquem, tranſportandis nobis, ſubmitteret.

SED illi viri boni, rogum hunc primum, tanquam ad ſe nihil pertinentem, diſſimulatione tranſmiſerunt: incertum, alienáſne, vel etiam piraticas flammas, ſuſpicati? quas quidem certè marium illorum littora non raras habent: an potiùs, indicii crebrioris iteratione, noſtras cupiditates, & ſuum occurrendi ſtudium, accenſuri? Quâ tergiverſatione nos animadversâ: noſtram ſpiſſamus induſtriam: ac, quò minùs in nobis erraret nauclerus, aliam ex alia pyram, poſt illam primam, concinnamus. ídque multam in noctem, & quoad convulſę navis aliqua fragmina ſupereſſent. Quin, ut fidem irrefutabilem invenirent ignes conſpicui, ſed tamen muti; linguam ſermonémque luminibus addimus; multáque, nec obtusâ, vociferatione, nunc viritim jactîs compellationibus, nunc unum in chaos denſatîs clamoribus, proteſtamur; NOS *eſſe, nec* ALIOS: NOBIS, *nobis, aut navem aut cymbam darent*! IESUM, *&* MARIAM, *ac* IACOBUM, (*Hiſpanica teſſera nomina*) *meminiſſent*!

In hunc modum, nihil non improbâ pertumpente contentione, tandem ad aures admittimur; quibus inexorabiles oculi fuerant; & invicem ſuſcitatis, è navigio, ſtupparum incendiis (quas, ut ego reor, indemnî flammâ per mare ſparſerant) ſignificatio nautica redditur; nec ſine notiſſimis remigum hortamentis. Sed, eorum articulatam ſummam aſſequi, diſtantium longinquitas prohibebat. Hôc utroque ſigno nihil nos, omnî per AMERICAM itinere, terrâ marîve, jucundius hauſimus. Confeſtim igitur novâ (quámque fieri potuit magnâ) face; nec non vocibus, cantu, ſibilis, manuúmque comploſione, reſpondemus. Iámque propemodum, fortunæ prioris oblivione, delere placebat è memoria; quidquid famis, ſitis, defatigationis, quidquid faſtidii funerúmque totâ continentî nos exceperat. inſcribere contrà menti, votíſque præripere, juvabat, quidquid intrà gemina navis latera ſecuritatis ac bonorum fluitare poſſet. Id enimverò totum nobis in lintris adventu poſitum ducebamus. Lintrem igitur aut lembum, aut ipſámmet adeò navim, in ſingula puncta temporum, & ad omnem fluctuum fragorem, præſtolabamur. Itaque jam nihil illâ nobis nocte tardius, nihil adventu lucis annoſius videbatur: ut, quibus præ deſiderio, præque dulcitudine ſpei, nec ſopor ullus, ulláve quies obreperet; feſſis quantumlibet, & indigentibus. Omnem enim *corporis neceſſitudinem, animi præconcepta voluptas obſcuraverat.*

SED (quæ fides eſſe ſolet *opis humanæ*, cujus *expectatione nihil fallacius*) poſtquam noctem.

quàm

quàm longa fuit, omnem inter ſpem & gratulationes abſumpſimus; aurora tandem exoritur: &, fruſtrà præſtolantibus, non phaſelus, non actuaria, præſtò ſunt. Nimirum útraque, cum tenebris decedentibus, pariter & ipſa, maris in alta revolârant. Nos autem, uno tunc eodémque momento, ſopore, ſcaphâ, votis, ac ſalute dejecti (mirum, quàm affectis mentibus?) ad triſtitiæ noſtræ ſollemnia redimus: alius quidem iracundiâ, propter naucleri perfidiam, atrox; alius ſuſpicionibus turbidus, & ſupervacaneîs religionibus, ob incerta caſuum; quæ nobis, fatorum invidiâ, tam certam opem, jámque portari oœptam, intervertiſſent. Plerique vero, communis mali miſeratione molles, non fletum, non lamenta, cohibebant. *cùm tamen profectò ſolis nudíſque lacrymis nulla calamitas diluatur; imò per diverſum potiùs, inutili mœrore pectus offundatur.* Itaque *ferè vulnerum animi remedium illud unicum eſt; conclamatis primis, ad novas ac poſteriores ſpes accingi.* Quod certè, præſenti rerum ſtatu, multis noſtrum (nec enim mihi) THALASSIAE deſiderium præſtitit; urbeculæ, toties fruſtra quæſitæ. Nam in hujus nomen ac memoriam relapſi, lyram veterem occinebant; Enimverò littoris illum tractum, cuj ſuperincumberet oppidulum, imminere debere; nec ità procùl jacere: proptereáque (nec aliâ cauſsâ) nauclerum reſumpſiſſe ſolitos ſuos curſus; eò quòd nos ab itineris deſtinatâ metâ nôſſet prope propiùs abeſſe. *Cur enim, velis minimè neceſſariis, involaturam navim littus illud; cuj ſciret, laborum omnium terminum, Thalaſſiam, confeſtim impoſitum?* Tam

Tam ſpecioſis perſuaſionibus incitati nos, viam malè fortunatam reſumimus; ut quibus, poſt toties deluſa vota, jam ultrò dulce fieret, decipi.

V. IAMQVE, pleriſque ſociorum præcedentibus, ego quoque, ſarcinulis compoſitis, iter repetebam: propemodum meimet irriſor, ac planè gnarus; quàm fabuloſo propoſitô, non magis Thalaſſiam, quàm fictam Vtopiam, & Lunæ concava, quæreremus. cùm, ecce, nihil tale ſuſpicantis manicam PEDIOSA, neceſſarius meus, prehendit; qui tergum meum proximè conſectabatur. Hic voce, lamentis plenâ, ſiſtere gradum jubet. Ad quem converſus ego, propemodum indignanter: *Et quid eſt?* inquam. *num parùm impedimentorum nobis adverſi, quotidianique caſus, objiciunt niſi tu quoque remoram pergenti facias?* Tum PEDIOSA, vultu ſanè multum in funus & mortem flexô; nec abſque lacrymis; *Vides*, ait, *mi frater, eò mihi ventum eſſe calamitatum; ut aut pergere non poſſim, aut perire debeam? Omitto quæ pariter omnes in commune lamentamur; quòd Peruana regna ſequimur, ſemper nos fugientia: quòd Emporium Americanum ſemper in deſideriis, & nunquam in oculis, habemus: quòd fame, quòd ſiti, quòd fluminum obicibus, quòd vorticoſis funeſtiſque natatibus, quòd naucleri ſimul & navis noſtræ fraudibus, confligamur. Horum omnium, nihil accuſo nihil æſtimo; quoniam apud hunc loquor, qui tolerat hæc eadem; & tamen eorum nihil conqueritur.* SED *unum eſt meum ac ſingulare, malum; Defeſſus ſum mi* PETRE *delaſſatus, & elumbis, & fractus ſum; ad mortis uſque viciniam, ac neceſſitatem. Neque*

que pedum eſt hoc vitium: quos equidem vel invitos cogerem in obſequium. quanquam (medius-fidius) etiam pedum eſt hoc peccatum; ut qui, ſuperiore ſuccidente mole, jam ægerrimè columellarum officium ac partes tueantur. Verum, ſicut dixi; minus hoc eſt; & ideò minoris æſtimandum. Animus, animus, & mens, ac vita, deficiunt: torpentéque per omnes venas, & intermoriente, ſanguine, non membra nervos inveniunt, quibus robur ſuum expediant: non ſpiritus auráque viam; quá ſe reciprocantis animæ meatus ac remeatus expandant & laxent. Indicio tibi ſit hic ipſe meus (inquit) *ſolitò tardior, hiulciórque ſermo; quem aliàs fluminis more, citatúmque devolvo. quod tamen ut ut eſt; adhuc lingua, Numinis magno beneficio, procedit: & hoc ſolum poſſum. at in via progredi (dicam ingenuè) nec poſſum, nec volo. Quare conſtitui, neceſſitatis adactus lege, conſiſtere: quoque nunc loco ſto, ſtationem ſeſſionémve perennare; quoad aut fatum mihi lucem finiat; aut ipſa dies & mora valetudinem inſtauret.*

Cùm in hæc PEDIOSAE verba, non Argonautis, non illo juvene, non animo veteri digna, cohorreſcerem; & jamdudum diſplicentis ducere frontem cœpiſſem; tum ille multò lugubriùs (*ut garrulus, & egregiè ſimulator eſt, omnis valentium morbus*) *O. mi* (ſubjicit) *ô*, VICTORIA! *noli terreri ſtatim exiguò poſtulatò. nam ego majus aliquid abs te confeſtim petiturus ſum. Parùm iſtud eſt, quòd hic manere decrevi. ſic enim veſtrum nulli gravis forem. Sed ego, mali potentiâ ſuperatus, cogor proprium onus, etiam alienos in humeros dividere: nec, in loco tam deſerto, poſſum omni ſine comite miſer eſſe.*

eſſe. Magnum erit morienti (moriar enim) magnum, inquam, & extremum ſolatium; ſocis (non dicam, opera miniſteriúmque) ſed vel ſolum alloquium atque conſpectus. Et præter hoc, Humanum, *at quantò magis* Chriſtianum, erit; bono ſub teſte, bene mortalitatem implêſſe? *quid dicam; etiam convaleſcere? nam iſtud quidem gemina gratia foret, atque meriti, relevari, tum ex præſentia ſimpliciter aſſiſtentis ſodalis; tum multò magis ex alloquio fomentíſque, languenti ſuffectis.* QUOD *te proinde per Numen, pérque fidem; per, ſiquid uſquam eſt amicitiæ fœderíſque, mi* VICTORIA, *rogo ſupplex & obteſtor; ne, quaſi, fruſtra me ſperare, ſub extremis deprehenſum, ſine: neu' permittito, ſub tot ſacramentorum titulis, obſecrare me, ſinè ſucceſſu. Si profectò peregrinis & externis auribus, has tam calidas preces infunderem; ſi quemlibet obvium, nulloque notitiæ vinculô connexum, appellarem; obtinere tamen debebam, in hoc rerum articulo, voti mei pondus ac momentum. Nunc ex omnibus tu ſolus & unus es; non modò gente, natione, patrióque cælo, quæ non vulgaria tamen ligamina ſunt: ſed planè, ſuper hæc omnia, propinquitate mihi, conſobrinóque jure, conſtrictus. nec poſſunt inter ſeſe* PEDIOSA, VICTORIAQUE, *divelli; niſi vel morte, vel (quæ* morte gravior eſt) perfidiâ. *nam, quô demum alio vocabulô, niſi rupta fidei, proſequar deſertam amicitiam, deſtitutam cognationem, & ſanguinem? quorum utique cuſtodia, reverentiáque, vel inter ipſas feras belluas eſſe ſolet ſacroſancta. Nam, ne beſtiæ quidem ſylveſtres, ſuâ generis quadrupedes, lupo leonive temerè conceſſunt in prædam: & Alpium colonæ volucres, ſuâ*

coloris ac pennarum aves adversùm accipitres, & aquilas, tuentur. Solus hominem homo, ſobrinum conſobrinus, VICTORIA *Pedioſam, deſertum ibit? &, inter vaſtas haſce ſolitudines, iſtis ipſis, quas loquor, animantibus, victimam relinquet; ſive rictibus diſcerpendam, ſive roſtris & unguibus dilaniandam? Siccine, per ſummam levitatem inconſtantiámque projiciet ſocium ſodalis; paullò priùs amiciſſimum, & ſemper mutuò dilectum? Quid? quòd incerta valde mortalium vices ſunt?* & omnia caſus pro libitu verſat in gyrum? *ut*, quæ modò ſuprà ſunt, paullò pòſt infrà rotentur? *&*, quæ depreſſa videras, aſſurgant? *Ecce, quæ me premit hodie, cras tuum urgere caput adverſa ſors poterit: &, qui nunc miſerum repellis; fortaſſe longè miſerior, repulſam invicem feres: ut qui jam rogaris, poſtea roges; & illius perfuga ſuppléxque fias, cujus nunc* aſylum, ara, Deus es. *Quanquam, quid cum* DIs, aris, aſylis (*priſcorum fabulis*) *mihi*, CHRISTI *cultori? Lapides erant illa Numina; marmoréque ducta ſimulacra: muta juxta ſurdáque. Sed ego mortalem mortalis, intelligentem intelligens, imploro: quem tamen, poſt tot obſecrationes, nondum (ut apparet) emollio; cujus rogantis è lacryma, perpetuis (ſicuti vides) fluente guttis etiam inanima ſaxa, petraq́, miſericordiam imbibiſſent. Sed ſint ſanè prægraves tibi preces hæ meæ! ſis flagitanti mihi, ſicut eſſe videris, inexorabilis: ac, ſemel ut omnia complectar; pergas,* PETRE, *quò te cunque, ſine me, via feret: ſi modò ſine me potes. Namque mei (ſatis ſcio) memoria, vellicatione conſcientiæ tuæ continuâ, tuos omnes paſſus comitabitur. Invitum te ſubſequetur, & latus importunè ſtipabit, veterrima ne-*

ceſſitudi-

titia, prodita fides, expoſita bellnis conſanguinitas, contempta lacryma; poſtque ſpiritum expulſum, umbra manéſque mei, ſcelerate fugienti flagellum intentantes. Super hac autem omnia, ſuccedet gravior exactor, certiſſimus à tergo vindex, Deus *qui ſerias à te pœnas expoſcet: ut, cuj nunquamnon, miſerorum ſpreta preces, bilem emoverint.*

VI. Sic mecum Pediosa; prolixior ideò diſertiórque: quòd me, tum à principio confeſtim orationis, tum poſtea declamatione ſuâ totâ, deprehenderat; oculis, vultu, manibus, & interdum interlocutione brevi, diſſentientem. Immò non ſemel (& ſub extremum cumprimis) palàm atque clarè repudiantis præ me tuleram affectum; pedibus ad iter minimè diſſimulanter promotis. Hinc hominis illæ, *mendicantium ritu, longa contumacéſque preces.* hinc undique ſurſum deorſúmque devocata, per obſecrationem, argumenta. quæ, ne geſtu quoque ſuo deſtituerentur; poſtquam omnia precandi ſtrategemata conſumpſit, ultimò lacrymarum uberrimo proluvio dicta cumulavit: ad motum excitandum. neque contentus *manuum*, ut fit, *oſculis (qua ſape, per inutilem caremoniam, etiam amicitia ſimulatio condenſat)* collo prætereà, cervicibúſque meis infunditur, diu pendens; &, ut agere ſeriò videretur, inhærens, urgénſque. Dixiſſes, eum jam non rogare, ſed penitùs compellere me, violentâ complexuum ſtrictura, velle. donec ad extremum (ne quid ad compoſitam tragœdiam deeſſet) moribundo ſimillimus, in terram defluxit. In hoc denique ſe ratus eſt cauſſæ

ſuæ

ſuæ firmamentum, ac totum *Achillem* colloc-
âſſe; tali corporis ac ſqualoris ſitu perorando. Nec inficias eo; commolliſſet utique quemvis, non inhumaniſſimum animum, ille ſtatus afflicti. quantò potiùs, propinquum, & comitum intimum? Etenim, ut, quod res eſt, proponam: ab uſque Panamæo portu, ſemper fidum indivulſumque; ſemper de me præclarè ſentientem, ac promeritum, expertus; intelligebam, *quàm inexcuſabili ſcelere projicerem: ſi tamen erigere proſtratum valerem.* Ac ſuccurrebant profectò memoriæ, *mea quoque difficiliora tempora; morbus, & ſolitudo Panamaa; destitutus item cum pervicacia Rosa avunculus meus: & ex hoc, animi remorſi mœror, aliáque non pauca doloris proprii.* quæ proinde calamitatis etiam alienæ mihi ſenſum auderent inducere.

Verùm, adversùm hæc, alia non pauciora pectus, jam pronum in mollitudinem, indurabant. Ac primùm omnium; quòd PEDIOSA jam antè, quàm me ſollicitaret, eandem hanc deprecationem, ad alterius cujuſdam pedes depoſuiſſet. Id, quod me (diſſimulantem licèt, ac tacentem) minimè tamen fefellerat. Ab illo rejectus, nihilominus haud inſtrenuè viam produxerat: donec ad me demum, fallaciter ſuppreſsâ repulsâ, tanquam recenter afflictus, decurrit. Nihil igitur in PEDIOSA novum videbam, ſi claudicaret: quippe, quem ſcirem, poſſe rectum ac promptum etiam incedere; quotieſcunque deſtinâſſet. Deinde; ſi vel maximè deploratus, & caſu non ementitô proſtratus, jaceret; animadvertebam, me relevando, nihil admodum ei collaturum.
nam,

nam, quæ ſpes in me, quæve res, aut facultas major, quàm in ipſo? quæ vires? opes? copiæ? cùm utrumque ſimul, & ex æquo, preſſum tenerent rerum omnium egeſtas, dolor, ægritudo mentis; præterea fatigatio, mortalíſque cujuslibet ſubſidii deſperatio. *Quin potiùs, ſi quid amici cordis, ſi quid humani ſensûs reliquum haberet; perſpecturum ipſummet* PEDIOSAM, *ſuâ ſponte: non tantùm gratis, ſed inſuper planè perniciosè, ſibi conſortium impenſum iri; quippe, quod utrumque noſtrum, fructu nullo, tamen interim pari mortis & interitûs neceſſitate, damnaret. Improbum (ut ne dicerem barbarum & impium) eſſe; poſtulare quenquam, ut ſpiritum ac vitam impendat alieno voto, cum neutrius ſalute: tanquam rem nullius aſſis: tanquam capræ lanam, viliſſimo pretio ſtantem, aut proximâ quavis rapinâ reparabilem. Illius potius fuiſſe vel ſapientiæ vel officii (ceu natu grandioris) ætatulæ parcere; ſi vel maximè* VICTORIA *ſeipſum, prior ac volens, in diſcriminis ſocietatem obtuliſſet. debuiſſéq; potiùs peſtilitate contactorũ imitari pietatẽ; quos videmus, vitam & incolumitatẽ domeſticorum ſuorum ante ſuum ſolatium habere: propiúsq; fortè ſtantes, demonitione providenti procul arcere: ne, dum incautè miniſtrant, & nihil ægro proſint in longũ; & ſeipſos pari lue contaminent.*

QUIBUS ità mecum per ſilentium diſputatis; *bonâ ſanguinis & amicitiæ veniâ*, conſtitui; molleſcenti jam animo meo callum obducere; cúmque PEDIOSA (quocunque demum rerum exitu) nequaquam remanere. *Malui, ſomianimem Vnum ſuis fatis relinquere; quàm Duos vivos in mortem certiſſimam*, exprobrabili temeritate, *demittere.* Quid autem, in Mortem?

tem? Videbam, PEDIOSAM poſſe vivere: ſciebam, revaliturum. *Nam quorundam hominum ea vis imaginationis eſt; ut, indulgentiâ ſui, morbum aut ærumnam incendant: irriſi verò repulſique, robur ab ipſa neceſſitate ducant: &, quam opem ab extranea miſeratione cum contumelia mendicârant, ab ſemetipſis tandem, indutâ fortitudine, poſcant, & obtineant. Et hoc præſtat illis,* perſuaſionis propriæ domitor animus; *ſi vel paullillò generoſius inſurgat. Id totum, quod dico nunc, fit ex infantium ac puerorum more; quibus quoad plorantibus matres condolent, illi graviùs omnia ſentiunt. aſpernantibus autem iis, aut diſſimulatione dolorẽ tramittentibus; etiam ipſi ſenſim moleſtiam ſpernunt, ac ſibi firmitatem inducunt.*

In hunc ergò, nec alium modum, ego, poſt diuturnum ſilentium, ad PEDIOSAM paucis converſus; *Bonam habere mentem*, & viriliorem ſpem jubeo. *Quorundam malorum ſenſum, ſicut repentinum & atrocem; ſic breviſſimum, & idcirco tolerabilem, eſſe. Magnanimâ patientiâ, dura caſuum fugari; molli verò fugâ foveri. Non eſſe reſpicienda, ſiqua premant, in præſentia; ſed in futura porrigendum animum, exſpectatione meliorum. Cum bono Deo cœptam profectionem, opéque divinâ per multa ſalebroſa tractam; ejuſdem Ter Optimi Maximi Numinis ſubſidiô reperturam tandem exitum. Verùm interim, tot inter incommodorum centurias, inconvulſa ſpei baculo ſemper innitendum. Allevaret ergo ſeſe* PEDIOSA *bonus: nec unâ ruinâ, nullóque fulcrô, duos pariter cuperet oppreſſos. Me, potiùs Exemplum ſibi proponeret, quàm, inutilem funeris conſortem: quem præſertim ſciret, adſpiceretque; laſſitudine non diſſimili, neque ſimpliciter, enerva-*

enervatum: & adhuc tamen, altiſſimo conatu, licèt invalido pede, pergentem Perrecturum autem me porrò quoque (quod certò ſibi perſuaderet) tametſi tanguerent ac conciderent omnes; &, vel nullo ſecuturo, ſtrenuè progreſſurum. Nec enim alterius me mentis eſſe, quàm fuerit ille; quem is jam ante me ſimillima lamentatione conatus eſſet retardare. Quippeni verò Victoriam *Pedioſa ſubſequeretur?* (inquam) *in eo potiſſimum itinere, cujus capitalis auctor ipſe fuiſſet? cùm extremè renitentem, ſolus Pedioſa, Victoriam è navigio non tam elicuiſſet, quam planè manibus injectis protraxiſſet? Quam nunc ille fortitudinem ſi per imbecillitatem mutaſſet: at me certè cœptis inſtiturum, dum pes ad progreſſum, dum trames ad paſſum, dum halitus ad reſpiraculum, valeret.*

Hæc ego locutus ſum, præciſô ſerióque reſponſo. *Neque dictis animoſior, quàm factô;* gradum irrevocabilem promovi: ſequente me tamen (nec diffitebor) aſſiduâ deſerti Pedioſae recordatione. Recurſabant teneræ molléſque cogitatiunculæ; nec ſine contractu quodam, ſtricturáque cordis; neque ſine tacito pectoris jurgio. quo mihi conſcientia, *deſtitutum propinqui nexûs ſanguinem, & intimi fœderis contemptum*, exprobrabat. Quocirca mihi pudor ſimul & metus erat, poſt tergum reſpectare: ne conſpectus deſtituti ſodalis, aut confuſionem inflammaret; aut obſtinationis conceptæ pœnitudinem induceret. Sed inter iſta tamen omnia, ratione meipſum tuebar, atque cauſſæ bonitate; quæ mihi videbatur, non in meo tantùm, ſed etiam in Pedioſae judicio, vincere debere. Sícque

prorſus

prorſus ſucceſſit. Etenim & PEDIOSA, cùm controverſiam & cauſſam hanc omnem ſecum, per ſolitudinem ac ſilentium, expenderet; denique ſic apud ſe conſtituit,& rectè concluſit; NEC *utile ſibi tunc* VICTORIAE *confeſſum eſſe potuiſſe; neque nunc ſanè neceſſarium. Omnia virtute confici, ſimulac ad tolerantiã animus obfirmatus eſſet. Cur unum ſolum id non poſſe, quod Omnes? ſi poſſit autem; quàm fractam eſſe, quámque muliebrem ignaviam; nolle, recuſaréque, quod cæteri cuncti ferant?* Has inter ſuímet cohortationes animô confirmatô, levare corpus humo cœpit, & ſequi: tardiùs primò dubitantiúſque;paullatim deinde fortiuſculè, ſanguinis (ut ego ſuſpicor) increbeſcente vigore. nec dubitaverim, quin & exprobrationis meæ ſtimuli mentem illius ingenuam ſuburſerint: ut *puderet, non facere grandiorem* ætate; *quod videret, ab adoleſcentulo* pænè, *tolerari.* Tales inter conatus ergò, comites dudum antegreſſos, & jam nec prędtolantes,nec opinantes,tandem aſſequitur, irrequieto progreſſu; cœtúmque totum incredibili gaudio PEDIOSA perfundit. Sed me præ cæteris exhilaravit, tacitè geſtientem; non modò,quòd utili duritiâ me perfeciſſe cernerem, quidquid volueram; verùm eo quoque nomine, quòd extincti ſodalis (ſi quis eum fortè caſus abſtuliſſet) invidiam effugiſſem. Certè quidem id ſaltem aſſecutus eram; ut amarum Amicitiæ deſertæ convitium, ex animo meo penitùs jam decederet: quod alioquin æternô tormentô, nullius licèt veræ culpæ conſcium, pectus lancinâſſet. Nec mihi quidquam exprobra-

vit prudens PEDIOSA; ſed, quod res erat, ſecum ponderatô repertóque; *Sapientiſſimam* (ut ipſe poſtea nominabat) *contumaciam meam*, laudibus eſt proſecutus. Præter hæc autem, cùm experimento didiciſſet; AD *omnia valere ſui victorem animum*: ſuperare ſe, deinceps etiam, perrexit; &, *vires* illas, *quas* priùs *expreſſerat ab Neceſſitate*, poſtmodum *à virtute mutuatus*, perduxit ad ſolidum. Nobiſcum igitur cœptum decurrit iter, ad metam uſque; ſeipſo quotidie valentior. Vt proinde videas; NIHIL *eſſe tam arduum, ad quod Humana mens ſe cogere nequeat*: &, AB *animi magnitudine, plerumque corporu quoque robur vigere*.

VII. SIC, omnî ſociorum impleto numerô, per littorales primùm crepidines progredi ſumus orſi. Quo tempore, cùm laſſitudinem noſtram conſueto more fames gravaret: eodem ipſo die percommodùm in cochleas, temerè reptantes, incidimus; mox & in cancros, recedente maris æſtu deſtitutos. In hæc animalia, quanquam etiamnũ cruda, certatim irruimus; immanî ventris aviditate. nec omiſſâ coctio tam ignis inopiâ (quem è ſilice, nullo negotio, rapuiſſemus) quàm impatientiâ calentis ſtomachi, ſaturitatem feſtinantis. Perfuncti verò prandio tam incurioſô, ſolitis iterum moleſtiis nos accingimus; alio quidem itineris flexu, cæterùm ſucceſſu nihilo clementiore. Cùm enim appareret, nimio promontoriorũ in pelagus procurſu, viam in immenſas ambages extenſum iri: placuit, repertô compendiô, longitudinis moleſtias redimere. Relictis igitur ad dexteram

tam locis maritimis, & æſtuariorum uligine; deflectere ſiniſtras in oras, & ad interiora continentis, inſtituimus. Eundum proinde neceſſario fuit, per ſolitudines, Barbaris viciniores; pérque devia ſylvarum, & opaca ſaltuum: quæ vix unquam ſolis radiô penetrantur. Erâtque vexationis hujus, quam pedes ſubire cogebantur, mira, cæterùm parùm deliciosa, varietas: cùm, alternante viciſſitudine, nunc vallium nos profunda detraherent, nunc montium atque jugorum ardua ſuſpenderent. Paſſim namque dorſa verticéſque ſylveſtres ſeſe progredientibus interponebant; non, ut aliis in regionibus, aperti viatorum commodis, & induſtriâ reſerati: ſed planè naturæ neglectui relicti. Sicut natum erat, primo rerum ortu; ſic adhuc horrebat ſolum; ſic aſperū & hirtum ſtabat: hinc quidem in immenſum ſurgentibus continuatíſque clivis; illinc autem abruptiſſimis, & per omnia vertiginosis, deſcenſibus. Itaq;, quantum in anniſu moliminis ſuſcipiebamus, ad ſuprema; tantundem in Alpium altero latere formidinis capiebamus, ad inferiora penetrando. *Nec parùm valebat ad moleſtiam* intendendam, omnis propemodum *conſilii defectus.* Etenim nemine, nec duce, nec viarum aditus explicante; non callis, non trames; ac nec amfractus quidem, aut ungulæ ferinę veſtigium, patebat errantibus. Primi nos, tanquam Hannibales quidam Americani, novas Penninas, aut Grajas Alpes, Cottiáſve, reſcindere compellebamur. Complures autem dies ille tenuit tranſitus; quoad, declivi jam auctumnô, Sol in ſigna menſium iniquiorum

tranſgredi feſtinavit. Tunc verò, pro regionum illarum cœlíque moribus, aër immani frigore rigére; nubes inhorreſcere; tempeſtates aſſiduîs ac prædensîs imbribus fluere; viæ paſſim inviæ, lutóque lubricæ, proficiſcentibus inhabiles effici. Supererat his tantis incomodis uniuſmodi tamen remedium; uti, conquiſitis undecunque manuum fulcrîs, gradum quiſque ſuum conſtabiliret; ſubſidiô, quo poſſet, optimô. Sociorum ergo plerique, ſicubi perrumpendum in ardua foret, diſtrictîs, quibus ad latera cingebantur, gladiolîs pugionibúſque, nitebantur. hîs, in ſolum defixîs, gradûs ac progreſsûs altitudinem allevare; nec minùs, ſiquando præcipitia decurrenda, pronos lapſus antevértere commitigarévc, ſtudium erat. Quibus autem enſis aut verutum deerat; ſcipionibus (quos cultris præacuerant) hanc providentiam ſupplebant. Hujc ſedulitati non parùm favit ipſa telluris illius indoles: quæ tam ſcopulos, quàm terreſtres, ac ſine lapide, montes, glebâ candidâ, calci ſimillimâ, conveſtierat. Argillæ porrò mollities tenacitáſque, nec ægrè cuſpidum fixuras intromittebat; nec ſemel admiſſas temerè dimittebat. Hoc igitur maximè ſubſidio, quamvis inter iniquiſſimas brumæ nimborúmque vexationes, pleraque ſylvarum evicta juga ſunt; &, ſerò licèt, aliquando tamen, in loca ventum ſubmiſſiora.

Diei cujuſdam propinquâ jam veſperâ, ferè circa medium hyemis (qualis iis in locis eſſe conſuevit, pluviîs potiùs, quàm nivibus, ſæva) tenuî fluentem alveô rivum quendam attigi-

attigimus. Is ſecundùm eam, quam ipſi nobis explicabamus, viam, placidô ſuſurrô decurrebat. Hujus utramque ripam, densîs arduíſque ſtipatam arboribus, umbra protegebat; etiam alieniſſimo tempore gratioſa; propter foliorum æternum, latéque diffuſum, virorem. In iſtius igitur profluentis crepidine, cùm viſum eſſet reſpirare; pariter conſidemus omnes, ac varia fabulamur. BALBOAM *alius, &, ſiqui poſt eum, aquâ hauſti, comites abeſſent, ſermone retractabat. alius viarum lubricum, ſcopulorum altitudinem, montium derupta præcipitia, criminabatur. Thalaſſiam aliqui, tot jam diebus quæſitam: cæteri Panamam, & Hiſpalim, &, ut ſuam cuique patriam nativitas dediſſet, eam, inutili recordatione, laudibus in cœlum ferebant; non ſine gemitu: quòd* pro copiis certis, incertiſſimas opes *trans mare* quęſitum iſſent, *per tot evidentiſſima pericula. Quidam denique recrudeſcentis intrà ſtomachum famis, tyrannidem incuſabant.* Ad ſumam; *ut quiſque diverſim afficeretur, ità diverſa proferebat* in medium. Nec inopportunus, aut parùm amœnus, ille locus videbatur quieſcentium garrulitati; patentibus ad dexteram utcunque littoribus; &, cum promontorio, maris univerſam latitudinem per obliquum explicantibus. Ad ſiniſtram verò ſaltus ingens ac prædenſus expandebatur. Eramus in ſermonum æſtu medio: cùm, ecce, colloquium rumpit ac proturbat, aſper quidam & quaſi multarum faucium conſenſu ſuſcitatus, clamor; an grunnitus? Attonuit omnes nos inexſpectatus ille tumultus. Quare, retrorſum flexis auribus ſimul atque cervicibus (etenim à tergo

vox inſonuerat) exanimatis ſimiles, auſcultamus; Quid novæ tragœdiæ? Dum autem per ſilentium & inſcitiam ſtupemus. en, alterâ jam, majoréque vociferatione, ſaltus proximus inhorreſcit: non ſine fremitu reſponſantis echûs; nec abſque novâ mentium noſtrarum conſternatione. Nam incerti pendebamus; Barbaróſne, corporum humanorum voratores; an verò belluas, eſſe crederemus? cùm neutrorū ſonus ab alterutro multùm abluderet. Diu ſtabamus, errantes hæsentéſque, quid tandem eſſet? &, alternantibus ſuſpicionibus, in varias conjecturas ſcindebamur. Interim nemini noſtrum, vel tantum curioſitatis, vel tantum animi fuit; ut rem ipſam, per experimentum, interrogaremus. Solus unus, ex omni numero, quidam Hiſpanus ſolô patréque, ſed Maurâ matre ſatus; promptus callidúſque gerendorum, nec timidus inexpertúſve diſcriminum, non quievit: ſed jam tum, ad primam externationem, exarſit animô, conſurrexſtque. Mox, correptâ, quam ſecum è navi quondam extulerat, ſariſsâ; prorupit in ſylvam intimam, unde tumultus inſonuerat: &, ferox oris, audaciæque; *Tigridibus*, inquit, *aut urſis, bellum intentabo: niſi potiùs aprorum iſte grunnitus eſt; aut anthropophagorum furor.* Quem nos, ultrò vadentem in media pericula, cœlo ſuæque fiduciæ commendavimus; ſolliciti tantiſper de negotii ſucceſſu.

Sed haud ità multùm interceſſerat moræ: cùm ille, trementibus etiamnum nobis formidantibúſque, ſupérvenit: &, cùm ranſidi clamoris cauſſam pavidè rogaremus; ipſe

ipſe lætus, & alacer, manibus ac bipenni cruentatis, oculos ante noſtros conſtitit: prodigioſę magnitudinis aprum humeris geſtans. Erat quippe Milonrani roboris vir, Hiſpano-Maurus ille. Cæterùm aper, quò formidabilior appareret, palpebris oculíſque mœſtùm fulminantibus, & dentium rictu minitabundô, recenti de cæde palpitabat.

Nos, è trepidatione non vulgari, laxiſſimum in gaudium effuſi; gratamur *Herculi novo, novi Suis Erymanthii victoriam*: jubemúſque, cupientiſſimis omnes auribus, totius prælii nobis ordinem expromere. Tum ille, projectâ noſtros ante pedes, in medium belluâ, poſteaquam etiam in editiore colle conſedit; *Audite comites*! inquit. *Me planum vos, aut graſſatorem credebatis. En, venatorem habetis! pro transfuga dimiſeratis: & hem, militem atque victorem recipitis. Si, præter hæc tam grandia, quiddam adhuc aliud à me vultis, aut admittitis: audeo vobis inſuper & ducem itineris, aut certè fidum indicem, præſtare. Nam, niſi publicus rumor fallit; à portu, quem Divi Franciſci nuncupant, haud procul abſumus. Audiebam enim jam olim Pánama; vicinos illi portui barbaros, qui maritimam orientalem accolerent, apris abundare. canebátque fama; ſaltus illorum & lucos, non plus caduarum in focos, quàm ferinarū dapum in lances, ſubminiſtrare. Quod equidem hodie verum, ex uſu factóque, comperi. Dum enim ſuſcitati grunnitûs ſemitam & locum perſequor, curſu, furore, lanceâ; dum iſtui primo primam quamq; belluam devoveo præter exſpectationem, in gregem aprorum den-*

ſum incurro, vicinis in arbuſtis pabulantium; at pro paſcuorum regno, juxta ſuum morem, prælia miſcentium. Et cæteri quidem porcorum ſylveſtrium, ad meum ac fulgentis lanceæ conſpectum, externati; notos in receſſus, cum rancore, refugerunt. Vnus ſolus hic, quem videtis, vagrandis porcus, qui mihi viſus eſt auctor & incentor fuiſſe belli; locô, quo ſtetit, reſtitit: fugæ turpitudinem *etiam in indole brutâ* deteſtabilem *arbitratus. Quin ultrò ſe ferens obviàm, ſpumis & fremitu profeſſus eſt hoſtem; ac provocavit. Cùm autem ego, nihilò dejectior animo, geſum manu quaterem, & paſſu ferociore contrà tenderem: ille, rabie denſatâ, toto cœpit impetu ruere, tantúmque non ritu fulminis, in meā perniciē effundi. Mihi, tanto rerum diſcrimine, locus, vires, ſolitudo, multáque præterea, læva ſe dare. cæterùm opportunitati duæ modò ſtirpes eſſe; quæ, truncô firmo craſſóque, diſtabant inter ſeſe tam exiguâ ſitûs intercapedine: vix ut tranſitum, etiam macilento corpori, præberent: niſi, quâdam arte, tortis lateribus inceſſum obliquares. Poſt has igitur arbores conſiſto; relicta nihilominus mihi vibrandi librandíque ferri libertate. ſimul autem & vulneri, ſiquà ſe beſtia propiùs inferret, tempus ac locum ſpecular. Inter hæc fremere bellua, multúmque ringi; dentes & iram colligere; ferox in pedes ac ſetas inſurgere: fulgurare ſcintillantibus oculis; exundare roſtro; nec aliud, quàm meum interitum, meditari pariter ac premere Sed* fortior fuit genius meus, quàm apri fortuna. *nam inveni tandem aditum, ac duelli compendium: & in temerè ruentis feræ caput ſecurim, altiùs elevatam, univerſis viribus adegi. Sic furentis cervicem, vulnere, quod videtis, unico, mediam diffidi:*

col-

collapſúmque, cum plangore, ſtridentéque ſanguinis fluxu, totum aprum ac plenè, confeci. Nunc igitur eum vobis in cœnam (inquit) *& comeſſationem, unà mecum epulandum, appono: quoniam omnes nos* (*ſicut ego reor*) *jam pridem, eſurimus.*

Secundùm hanc narrationem ac munificentiam, iterum bipennî belluam invadit;&, complures in partes diſſectam, uno convivio ſimul ac ſemel donat abſumendam. cùm ad hoc, alii quidem ſarmenta congererent; alii verò flammas, in vacuo ſaltûs látere, Pontum versùs, ſuſcitarent: quidam denique, verutis ſtipitibúſque confixam aprugnam, igne torrerent. Neque tardiùs nos prædam aggredimur, quàm ille mactaverat: utique poſteaquam omne periculum, & feræ rabiem, jam flamma domuiſſet: & gulæ collecta cupiditas, omnis præteritæ famis ſolatium, in tam delicata dape, quæreret & inveniret.

VIII. ADHUC in his epulis eramus, mutuáque gratulatione tam inexpectatæ ſaturitatis: cùm ſubitò, geminatâ lætitiâ, de loco littoris editiore, quem in cœnam occupaveramus, Navim illam (aut veriùs, ut ludere libet, ARGO noſtram) conſpicimus. Eam, ex alto mox propinquiùs ſe ferentem, conſtitit; eſſe ſine dubitatione noſtram; apluſtrium colore ſignîſque; contabulationis & conſtrati formâ; nec non ordine numeróque remorum. Hæc, cùm promontorii (quod nos inſederamus) oram ſcrupuloſâ pæne diligentiâ legeret; & nec palmulâ tenus ad ulteriora maris exerraret: viſa tandem eſt, colligere paullatim vela; mox & demiſsis antennis,

nis, ſub illius ipſius oræ receſſibus, anchoras & noctem meditari. Nec aliter, ac nos ſuſpicabamur, fecit: contractis ſupparis, & ad uncum religato rudente, ſtationem exorſa. Suſtulimus nos voces pariter atque manus; &, ab noſtris viciſſim agniti, ſalutamur, ac ſalutem reddimus: fortaſſe non ſine tacito naucleri ſtomacho, vel exſecrationibus; ut, quem vel inſcium, certéque nolentem, caſus ſolus aliquando votis noſtris impegiſſet. Id utcunque demum haberet ſe; nos lintrem clarâ ſignificatione flagitabamus. & illi, nullis jam ad diſſimulandum relictis effugiis, ſcapham expeditum ibant. Sed repentè *deſideria, jam in portu ſtantia, mala fortuna convellit*; quæ nos pertinaciter infeſtabatur, ſpémque totam nova calamitas demerſit.

Ex portu namque, quem poſtea compertum fuit, Divi Franciſci fuiſſe, digreſſus myoparo quidam hoſticus; cùm Auſtris ſecundiſſimis propelleretur, actuariam noſtram, in Septentrionali littore quieſcentem, remis cœpit veliſque paſſis inſequi. Nec fallebat nos, eminus hæc omnia ſpeculantes. Quare, clamore pariter ſublatô, noſtros, in quanto diſcrimine deſidérent, docemus & hortamur; nihildum eorum ſuſpicantes. Et hi quidem principiò cunctabantur, *indolis humanæ ſtultitiâ; quæ, quidquid fieri nollet, fieri poſſe, tardè credit.* Quare nec vocibus noſtris aurem, nec hortamentis fidem tribuebant: donec, utriuſque partis in oculis, oneraria præterea grandis, ex eodem, quem retuli, portu ſolvit; ſic manifeſta, nul-

lius

ſius ut conſpectum fallere, propter machinæ molem, poſſet. Ea, celerrimis promota remorum velorúmque conatibus, piraticæ navis veſtigia, curſu nihil intermiſſo, preſſit & inſtitit. Apparebat, nullâ diſſimulatione; prægreſſam eſſe prædatoriam illam primam; ad diripiendam actuariam Hiſpanam, & nempe, noſtram illam: ſubſequi verò navim frumentariam, poſteriùs digreſſam, ad ſpolia prædámque recondendam. Quæ mens piratarum, cùm vel ſerò tandem nauclero noſtro vectoribúſque pernotuiſſet: tum enimverò, diſcuſſo languore, ruptáque morâ, revellunt anchoras; retinacula præcidunt; antennas & vela reſtituunt. mox, per tranſtra conſidentes, contentiſſimo brachiorum niſu, navim in alta rurſus maria rapiunt; & ſimul effugiunt. Ità, non noſtram minùs, quàm hoſtium, exſpectationem eludunt. Neque tamen abſtitit prædatoria Liburnica (quippe, cuj propter levitatem, agilior & curſus eſſet, & circumactus) noſtram fugitivam, aſſiduo remorum tractu, conſectari; demúmque tantùm non prorâ ſuâ puppim illius urgere. De ſucceſſu verò, neque tunc, ob longinquitatem, neque poſtea, niſi perquam ſerò, conſtitit. De piratis autem, earúmque gente, pleniùs, & jam tum, liquebat.

Eâ namque tempeſtate, prædones Angli, majorum ſuorum Argonauticam æmulati, plerumq; pelagus Americanum infeſtabant. Ii, Britanniæ digreſſi portubus, quà vergit ad occidentem inſula; poſteaquam Cantabriæ littora, Callaicóſque ſinus, & oras Luſitaniæ.

circumraſiſſent; poſtmodum in aperta maris Atlantici provecti, ſupràTropicum uſq; Cancri vela promovebant. quin & Æquatorem, mediô Braſiliam inter & Æthiopiam limite, ſecabant. Hinc, audaciſſimo flexu terram, quam vulgò dicimus *Auſtralem Incognitam*, delibantes; meridiani maris anguſtias irrumpebant: &, perſtrictô latrociniis *Freti* quoque *Magellanicô*, Philippina Propugnacula, faucibus iis impoſita, vel ridebant, vel eludebant, impunè præterlapſi. Deniq;, proſperrimè penetratîs illius Euripi flexib9, ex arcto tandem, in æquoris Zurii vaſtiſſimam libertatem proruperunt. Ibi, nota jam conductâque, ſinuum maritimorum receptacula ſuggreſſi; totius Pelagi (quàm latè Zephyro Notôque perflatur, & Aquilone) tyrannidem ac poſſeſſionem affectabant. Et hinc quidem celocibus ſpeculatoriis; aliunde verò paronibus & onerariis emiſsîs, littus Americanum omne, ſed præcipuè Peruanum, infenſabant. Quin & in alto perſequi diſpoliaréque ſoliti, quidquid vecturæ conſpexiſſent; naves tamen Hiſpanienſes, præ cæteris omnibus, hoſtiliùs adſultabant. Non primus quidem, potiſſimus tamen recentis hujus audaciæ vexillum extulit *Franciſcus* quidam *Dracus* (*a*) Thalaſſiarchus Anglicus. Is, conſilii (non item conſtantię) ſociîs, Gulielmô VVinterô; quíque non ultrà, quàm Æquatorem attigit, Humfredo Gilberto, poſt natũ Chriſtum anno cIↃ.IↃ.LXXIIX. Britanniâ majore ſolvit: &, nondum extructâ, quæ nunc Magellanicas cuſtodit anguſtias, Arce; per illius freti periculoſas ambages, evaſit. Hinc autem

univerſo

univerſo percursô mari Pacificô; ſe celeberrimorum quorumvis Argonautarum numero vel inſeruit, vel etiam æquavit; ad Quiviram uſque, deſinentis Americæ regnum, progreſſus. Ibi Tatarraxum quoque regem (cujus aliâs meminimus) ac ruſticana prætoria luſtravit. Cæterùm non multò pòſt, frigoris ſævitiâ depulſus, in Britanniam ſuam, & Londinium refugit; clementioris cœli plagam. Illic Eliſabethæ ſe reginæ, ſuámque navim, non niſi tribus ex omni numero vectoribus amiſsis, ſtitit: *equeſtribus donatus* inſignibus, ob induſtriam: quâ *domitorem equorum Neptunum*, domuiſſet.

Ex ejuſmodi proinde piraticarum cenſu, duæ, quas ſupra retulimus, naves, exemplô ſucceſſionéque Draci, noſtram inſectabantur: veluti poſtea Limæ comperimus. Sed intentiùs in ſpolium eſt incumbere viſa dromas illa: quæ fugientibus noſtris pertinaciter inhæſit. Eam, ſine controverſiâ, navis noſtræ magiſter, non fugâ, poſt notatum periculum; ſed præmaturâ declinatione, priuſquam in arctum veniret, evitâſſet: ſiquid uſquam univerſo curſu recurſúque, de Britannis auditum eſſet; poſteaquam è Panamæ navalibus ſolveramus.

IX. SED hæc quidem, in hunc modum, hactenus geſta ſunt: & nimirum uno temporis eodémque puncto, res ac ſpes noſtræ deſtructæ. Nos igitur, non jam navi tantùm, ſed inpoſterum omni planè navigationis exſpectatione dejecti, regredimur ad triſtitiæ conſuetæ ſeriem. Neque dubitabamus; actuariam noſtram, utpote debilem, ac ſtrenuo re-

ctore deſtitutam, imparem futuram Anglorum exercitatiſſimo myoparoni: qui, *ſi nihil aliud eſſet in audaci pertinacia*, claſſiarijs ſaltem, bellicíſque præſidiis, inſtructiſsimus navigaret: *magnáſque, tam procul à domo, ſpes & animos portaret. Illa navi victrice; quid tum noſtris, quid Hiſpanicâ gloriâ, futurum? quem prædonum ſpiritum ac triumphum, tot ſucceſſibus tumentiũ?* Vrebat ergo nos, ac me præ cæteris, nõ tam jactura ſupellectilis, in actuaria relictæ (quanquam eſſet ea non parùm luculenta) quàm Orthodoxi décoris diſpendium; inter indigniſſima ſectariorum latrocinia. Plurimùm quoque conferebat ad mœroris incrementum, noſtrorum, ſi caperentur à piratis, aut trucidarentur, luctuoſus interitus: cùm plerique tamen eorum eſſent innoxii. Nam magiſtri quidem navis, ac remigum ejus, crudos perfidóſque mores, intelligebam, omni malo dignos, & exempla noviſſima promeritos. Deplorabam nihilominus eorum, utcunq; deteſtabilium, infeliciſſimam ſortem; cùm non ſine cauſſa timerem ab eis, aut certiſſimam à religione defectionem (in vita tam corruptâ) vel alioquin contaminatos mores: &, ab eorum impietate, penès exteros infamiam. Ad extremum verò, *fœdum eũ exitum, qui plerumq; ſceleſtos aſſequitur, & cæli jacturam*, metuebam. Quæ cùm ob oculos ſemper verſarentur: miſericordis cujuſdam ſenſûs teneritudine, non gemitus, non ſuſpiria; ſubinde verò neque lacrymas, tenebam. Senſim tamen, in his lamentis, aliquantillô ſolatii videbar aſpergi; quod erat ejuſmodi, Si victoriam omni-

omnino Britannis fata deſtinâſſent; nos inter hæc, mirificâ Numinis clementiâ, qualicunque ſecuritati fuiſſe ſepoſitos: ut, *quos extra navim periculúmque maturè, Providentiæ potiùs oculus quàm naucleri malitia, conſtituiſſet.* Gratulabar igitur, & in ſinu gaudebam; nos (quotidianis licèt ærumnis exercitatos) tamen hæreticæ captivitatis antevertiſſe neceſſitatem, & opprobria. Lætabar, periculoſioribus conſcientiæ naufragiis exemptos, in ſinceræ Religionis poſſe libertate vitam exigere. Quæ cùm mecum, ſilentiô non incurioſô, perpenderem, & examinarem ad ſolidum; non poteram, quin, medios inter luctus, pro levamine verſarem ac reverſarem illud magni viri celeberrimum paradoxum; PERIERAMUS, *ſocii*, NISI PERIISSEMUS.

X. SED inter hæc, comitum alii, parùm jam de Navis eventu ſolliciti, ſpes novas à ſua Thalaſsia, totiéſque repetitâ crambe, laceſſebant; at profectò non minùs etiam tunc, quàm ſemper antehac, fallaces & irritas. Poterátque meritò (vel ſerò tandem) alienatæ mentis ſuſpicionē incurrere, quiſquis Oppidulum illud comentitium, aut ſibi polliceretur, aut aliis prædicaret. Cùm enim littoris oram quandam certam deſignâſſet gubernator Navis; à qua leucis Hiſpanicis non amplius tricenis ſenis, abeſſe Thalaſſiam aſſeverâſſet: nos, ſtolidè creduli, regionis illius univerſæ ſitum non tam obieramus, quàm velut hippodromo quodā circumtriveramus: & in uno quodā amfractu, diem jam pluſquā viceſimum, oberrabamus; *eâdem* (quod vulgò dicunt) *in chorda circulóq; ſemper in ſemet redeūte.*

Quare

Quare ſpe ſub extremum ad incitas redactâ, jam non modò nauclero nemo, ſed nec ipſi ſibi, de Thalaſſia, credere debebat: cùm præſertim nec ſimulacrum uſquam mœnium, ac nec umbram, quiſquam aſpiceret. Labebatur interim annus, vires, vita: cùm Sociorum aliam partem amnes haurirent; aliam æterna fames premeret: ac perfrequenter etiam ſitis, inhabilibus jam pridem ad potandum undis. Dulcibus enim abſumptis, aliæ non ſuppetebant: niſi, quas maritimi Sinus propinabant, aut æſtuaria: peſtem utique magis, quàm aquas: utpote malè gratâ noxiâque ſalſugine vitiatas. Accedebat his malis, corporum ultima fatigatio, mentiúmque tædium: quæ duo non paucos proſtraverant, ad profectionis reſiduum jam depoſitos, &, ſi duraret in longum labor, conclamatos. Quidam & pro funeratis ac ſepultis, à tergo, ſine teſte, ſinéque ſiticine, relinquebantur. Etenim; ut quiſque supremè ſe, planéque mortaliter, habere, teſtaretur verbo, vel ipſo languore loqueretur: in eum, de communi conſilio, Sacerdos immittebatur, Romani ritûs ac Sacrorum (nam & Sacerdotem nobiſcum, totius itineris comitem ac ſolatium, trahebamus.) Hic, auditis vitæ delictis, extremis (quoad liceret) ſacris expiatum, & communitum; de reliquo, Superorum ac ſuimetipſius curæ commendabat: Imortalitati tranſmittendum. At moribundus quiſque, vel arboris proximæ trunco reclinis: vel, propter progreſsûs impotentiam, rupi cuilibet applicitus: lentè fugitivam, inter ſuſpiria, trahebat animam:

donec

donec exhalaret. Sic is ad plures (ac ſcilicet ſuorum facinorum forum & tribunal) ibat; nos autem, eo relicto, viâ, quâ cœperamus; ne, trahendo moras opis incertæ, nec illius vitam proferremus: & iter noſtrum, funeribus aſſidendo, per ſtultitiam hebetaremus.

Hunc in modum, imminuto variis caſibus noſtrorum numero, non perinde res adverſæ breviabantur. Potiùs, acriore ſiderum indignatione, produci ſunt viſæ: cùm locorum multiplex aſperitas progreſſum interſcinderet. Aliàs enim, amnium ſtagnante vadô, paluſtria carecta gradum aut mergebant, aut diſtinebant: interdum æquoris reſtagnationes, cogebant ad ſicciora per ambages deflectere, quod ipſum tamen ſine ſalebris, & pari ferè locorum iniquitate, non ſiebat: ac, præter hæc, citato ſæpe curſu, non tam peragendum iter, quàm vorandum erat; quòd metus eſſet, ne cunctantiùs incedentes, æſtus Ponti, Lunâ concitatus, intercluderet: aut (quod funeſtius futurum erat) neceſſario ſopori vacantes, eluvione ſuperobrueret. Tempeſtatis quoque, cœlíque mirabilis inæqualitas, cum terrarum ſqualore certabat: intolerando nunc quidem frigore (quanquam citra nives) ſæviente; nunc autem ardentiore Sole littorum arenas incendente. quo ritu ferè, plagis in Europæis, Februario menſe, diebus aliquot ſub meridiem calor fervet; manè verò, propinquóque noctis, rigor aëris, & Aquilonum horror, recrudeſcunt.

XI. VENTUM, hæc inter, multâ viarum remo-

remorâ, quendam in continentis tractum, Libycis vaſtitatibus, & Ammonii Iovis ſolitudinibus, æmulum. Iacebant enim pariter, & aſſurgebant, arenoſa teſqua; nunc quidem per planum, deſtitutis abſcedente freto glareis: aliâs, montibus in immenſum editis; quos itinere toto, vento cumulatus pulvis, conglomeraverat. Pluſquã undeviginti milliarium ſpatium, hic talis regionum habitus occupaverat; viatorum pedibus (interdiu cumprimis, & æſtuante meridie) multùm infenſus. Etenim, præterquam quòd luctantes cum ſoli lubrico plantas, torridum æſtu ſabulum exurebat; etiam oculos, aſſiduo candore præſtrictos, Sol repercuſſus occæcabat. & hoc circà diei ferè medium, ac pomeridianis fervoribus, eveniebat. Accedente verò veſperarum & noctium frigore; pro calore gelu ſuccedebat: non ablato, ſed duntaxat commutato, malorum ſenſu. Magnum inſuper, ad moleſtiæ ſcrupulum, addebat auctarium, illius arenæ peculiaris aſperitas; à cæteris ejuſcemodi ſabuloſis ſitibus plurimùm abludens. ea namque coticulis paſſim acutiſſimis, ac lapillorum teſſellis, novacularum aciem imitantibus, interſternebatur: quarum (barbarâ ſanè) ſubtilitate plantæ pedum noſtrorum proſciſſæ, continenti ſanguine rorabant; atque campum, per ſe cæteroquin nitidum, cruore fœdo commaculabant.

Cæterùm, poſt labores immenſos, evictis his littorum Syrtibus; cùm, *exſpectatione meliorum*, ſuam quiſque *patientiam falleremus*; in vix mala, longè deteriora, tandem induimur.

ntur. Stabant innumerabiles, inter ipſa maris æſtuaria, ſcopuli; ſic, ut dextrâ quidem Oceanus, ſiniſtrâ verò montes inſurgerent Alpéſque: propter immanem altitudinem prorſus imperviæ. Solum igitur, & unicum reſtabat iter, per cautes quaſdam, in medio conſtitutas. Sed hæ quidem & ipſæ multùm arduæ, deruptæ, conciſæque: ſic, ut naturæ quendam luſum crederes; niſi ſeriæ tragicæque moleſtiæ tandem enaſcerentur. apparebátque, grandem quampiam, & unam, infinitæ latitudinis rupem, in quàm plurimas ſciſſam columnas abire; rudes & infectas, ac ſpatiis inter ſe perquam inæqualibus disjunctas. Præbebant iſtæ, (procùl intuentibus) ſpeciem quandam editiſſimarum turrium; aut, cujuſmodi Cairus Ægyptia pyramidas atque cippos erigit, latiſſimo campo ſurgentes: immò qualis, Penéum ad amnem, in Theſſalicis Tempe, dextram quidem ad oram Olympus mons, & Iovis Ara; ſiniſtrâ verò, ſupra Bœbeidem paludem, Oſſa mons alter porrigitur: innumerabilibus conciſus ſcopulis, & tanquam naturæ ſerrâ fiſſus; quorum juga verticéſque, diſparibus intervallis inter ſeſe diſſident. Tales erant, nec aliæ, cautes illæ; per quas ſolas tunc via: cæteris circumquaque marî (ſicut dixi) vel Alpium naturâ, clauſis. Accedebat ad hanc difficultatem; quòd ſaxorum ea, de quibus memoravimus, ſpatia, nihil ad terreſtrem profectionem ſicci tramitis, nihil nudi veſtigii, reliquum fecerant; quippe maris interfuſi ſtagno, vel interluētis ſinûs excurſu, totas voragines infe-

riùs

rius occupante. Vel nuſquã ergo, vel per cacumina ſcopulorum, iter ſuſcipiendum erat. Verùm & hinc rurſus, ex horrore præcipitiorum, creſcebat aſperitas: cùm, niſi per tranſſultus, &, *ſæpe deſtinata fallentem, audaciam*, ſuperari capita rupium nequirent. Compluribus autem noſtrorum hominum vertigo cerebri (tam periculoſo ſuſpenſóque tranſitu) tenebras offundebat: & vel *ſolus cadendi timor, certa ruina; formidóque* tam atrox, *mors ante mortem*, erat.

Sed, quid in hoc tanto rerum articulo, tentes? omittas? quid priùs aut poſterius capeſſas? Perrecturos, ex omni parte, pelagus & ſaxa, concluſos tenebant: retrogreſſuros autem, formidabilior deſcenſus, & pronior lapſus, excepturus erat. Conclamatur igitur, omnium concordi ſententiâ; *Pervadendum, in utramque fortunam! &*, Quod bene felicitérque verteret, *incertis ſaltibus certiſſimum interitum declinandum!*

Ità laboris ac periculi factum initium; fortunatum pleriſque noſtrum, quoad dies fuit ac lux; quæ ſcopulorum intervalla nitore diſtingueret. Verùm haud multò pòſt, veſpera nebuloſa, collectæque nubes, omnia proturbârunt; in copioſum & continuum effuſæ nimbum. Horrorem hunc geminavit fœda nox, tenebris procellâque terribilis; ac, ſuper hæc omnia, Ponti ſtagnantis repentinus affluxus. Iámque circumquaque nos frigus, tremor, pluviæ, ventorum aſſultus, & lapſuum aſſiduus metus, conſtrictos tenebant: in tam denſa præſertim caligine, pelagíque fremitu; tam eminus, quàm ex pro-

pin-

pinquo, reboantis. His tamen omnibus incommodis, cæterorum comitum Fortuna ſuperior fuit. me ſolum, ex omni numero, ſors deterior, ad inſectationem ſibi ſolemnem, ſepoſuit: tanquam *victimam*, ut reor, *albam*, ac ſuis jam pridem notis deſignatam. Id in hunc, quem deſcribam, modum, evénit.

Nox erat adulta; nullúmque jam, extinctis ſideribus, tuti periculoſíque diſcrimen. Erant autem etiam tum ſcopuli non pauci, neque prioribus mitiores, ſuperandi. Dum itaque, ſociis antegreſſis, poſtremus ego, rupem, neſcio quam, ex illa, quam tunc inſiſtebam, petrâ, cautè prævestigo; dum eam gladioli cuſpide per obſcurum prætento, diſtantis intercapedinem exploraturus: generosè tandem (an verò temerario potiùs impetu?) ſaltûs audaciam concipio; nondum ad ſolidum examinato (quis enim in tenebris poſſit?) diſcrimine. Sed fallente, per caliginis inſidum, metâ, deceptóque ſalientis paſſu; præceps in horrendam, ac ſcopulis circumquaque clauſam voraginem, devolvor.

ARGO-

ARGONAUTICÔN AMERICANORUM,

SIVE

PERICULORUM PETRI DE VICTORIA,

LIBER VI.

CAPITVM BREVIARIVM.

I. *Voraginis & periculi, in quod deciderat, hypotypóſin Victoria proponit* Com̃. pag. 53. fin.

II. *Apprehenſo ſcopuli ramo, Petrus vitam inter & necem pendet; formidine frigoribúſque, propter veſtium penuriam, circumſeſſus. Interim, relabente maris æſtu, voraginis undæ increſcentes Petro propiores fiunt.* Comment. pag 54. & 55.

III. *Ergò ſortem ille ſuam miſerrimam, inter mille timores ac diſcrimina, deplorat; ſuis eam peccatis acceptam ferens.*

IV. *Matutinô crepuſculô in rupis verticem evadit, quieturus aliquantiſper Sed excludunt ſomnum, vulnerum multitudo, & acrimonia; quam inſuper æſtuarii ſalſus liquor incendit.* Comment. pag. 54 fin.

V. *De Scopulo Victoria deſcendit: tardéque repertis comitibus, caſum ſuum nocturnum ſtupentibus expoſuit.* Comment. pag. 56.

VI. *Progredientibus, poſt incommoda alia, campus offertur ſabuloſus &, per eum decurrens, pluvialis torrens; paſſerum frequentiâ celebris. Dum pyram adversus gelu adornant: ſub arente materia ovorum pullorúmq; copiam reperiunt.* Commentar. pag 57.

VII. *Victoria & Sociorum, ex inventis præter ſpem obſoniis, inſolens lætitia, atque cœna.* Comment. pag. 58. VIII. De

VIII. *De nocte caſtra movent: & , poſt complurium horarum continuatum iter, exigua capta quiete, in montem arduum labore magno enituntur. Cæteri paſſim ſe proſternunt: Victoria, noctis nimboſa metu, altiora ſecurioráque latibula meditatur.* Comment. pag. 58. & 59.

IX. *Companeroſa, Sodalis & cognati ſui, egregiam indolem ac mores Petrus deſcribit. Cum eo, in Alpium celſiſſimum verticem eniſus, tectum nocturnum ſub frondibus accipit, admirabili naturæ providentia præparatu. Ibi ſomnum ipſe orditur.* Comment. pag. 59.

X. *Companeroſa, etiam ipſe ad quieſcendum compoſitus, morbo repentino graviq. obruitur: cujus tardam tamen fidem, apud excitatum & ſtomachantem Victoriam invenit. Eum, vix tandem, ad accerſendum Sacerdotē, permovet.* Comment. pag. 59. fin. & pag. 60.

XI. *Petrus, ad veſtigandum in tenebris Sacerdotem, excurrit. Eum, ægre repertum, adducit. Is decumbentem Companeroſam ſolatur: & poſthac, univerſæ prioris vitæ noxas explicantem, officioſè audit: Victoria, inter hæc, alibi ſomnum reſumente.* Comment. pag. 61.

XII. *Exomologeſi Sacra peracta; Victoria ad Companeroſam, jam ſolum, ſolus revertitur. Ille Petrum complexu & oratione* meditatâ diffuſáque *aggreditur* (nam à Cōmentarioli fide, auctoríſque primo ſtylo Hiſpanico, recedi, nec in hoc, nec in X. capite, præcedente, conſultū viſum eſt: ubi ſermo rhetoricus, & ſuprà moribundi conſuetudinem prolixus, aliquot implet paginas) *In eo ſuum conteſtatur amorē: ſuprema mandata dat, pro ſe & ad ſuos. Petit ab eo ut ad vicinā mortis luctam ſe juvet, & confirmet.* Cōm. pag. 61. fin. pag. 62. 63. 64 65. & 66.

XIII. *Vi-*

ARGONAUTICÔN
AMERICANORUM,
SIVE
PERICULORUM PETRI
DE VICTORIA,
LIBER VI.

CAPITVM BREVIARIVM.

I. *Voraginis & periculi, in quod deciderat, hypotypóſin Victoria proponit* Com̃.pag.53.fin.

II. *Apprehenſo ſcopuli ramo, Petrus vitam inter & necem pendet; formidine frigoribúſque, propter veſtium penuriam, circumſeſſus. Interim, relabente maris æſtu, voraginis unda increſcentes, Petro propiores fiunt.* Comment.pag 54.& 55.

III *Ergò ſortem ille ſuam miſerrimam, inter mille timores ac diſcrimina, deplorat; ſuis eam peccatis acceptam ferens.*

IV. *Matutinô crepuſculô in rupis verticem evadit, quieturus aliquantiſper Sed excludunt ſomnum, vulnerum multitudo, & acrimonia; quam inſuper æſtuarii ſalſus liquor incendit.* Comment pag.54 fin.

V. *De Scopulo Victoria deſcendit: tardéque repertis comitibus, caſum ſuum nocturnum ſtupentibus exponit.* Comment.pag.56.

VI. *Progredientibus, poſt incommoda alia, campus offertur ſabuloſus &, per eum decurrens, pluvialis torrens, paſſerum frequentiá celebris. Dum pyram adversùs gelu adornant; ſub arente materia ovorum pullorúmq; copiam reperiunt.* Commentar. pag 57.

VII *Victoriæ & Sociorum, ex inventis præter ſpem obſoniis, inſolens lætitia, atque cœna.* Comment. pag. 58.

VIII. De

VIII. *De nocte caſtra movent: &, poſt complurium horarum continuatum iter, exigua capta quiete, in montem arduum labore magno enituntur. Cæteri ſparſim ſe proſternunt: Victoria, noctis nimboſæ metu, altiora ſecurioráque latibula meditatur.* Comment. pag. 58. & 59.

IX. *Companeroſa, Sodalis & cognati ſui, egregiam indolem ac mores Petrus deſcribit. Cum eo, in Alpium celſiſſimum verticem eniſus, tectum nocturnum ſub frondibus accipit, admirabili naturæ providentia præparatū. Ibi ſomnum ipſe orditur.* Comment. pag. 59.

X. *Companeroſa, etiam ipſe ad quieſcendum compoſitus, morbo repentino graviq; obruitur: cujus tardam tamen fidem, apud excitatum & ſtomachantem Victoriam invenit. Eum, vix tandem, ad accerſendum Sacerdotē, permovet.* Comment. pag. 59. fin. & pag. 60.

XI. *Petrus, ad veſtigandum in tenebris Sacerdotem, excurrit. Eum, ægrè repertum, adducit. Is decumbentem Companeroſam ſolatur: & poſthac, univerſæ prioris vitæ noxas explicantem, efficiosè audit: Victoria, inter hæc, alibi ſomnum reſumente.* Comment. pag. 61.

XII. *Exomologeſi Sacra peracta; Victoria ad Companeroſam, jam ſolum, ſolus revertitur. Ille Petrum complexu & oratione* meditatâ diffuſâque *aggreditur* (nam à Comentarioli fide, auctoríſque primo ſtylo Hiſpanico, recedi, nec in hoc, nec in X. capite, præcedente, conſultū viſum eſt: ubi ſermo rhetoricus, & ſuprà moribundi conſuetudinem prolixus, aliquot implet paginas) *In eo ſuum conteſtatur amorē: ſuprema mandata dat, pro ſe & ad ſuos. Petit ab eo ut ad vicinā mortis luctam ſe juvet, & confirmet.* Cōm. pag. 61. fin. pag. 62. 63. 64. 65. & 66.

XIII. *Vi-*

XIII. *Victoria petenti morem gerit moribundúmque, ad ſupremum uſque vitæ punctum, animat: propoſitâ maximè Divinæ miſericordiæ fiduciâ, Deiparæq; potentiſſimo Patrocinio. Symbolo Apoſtolico bis pronuntiato; Companeroſa exſpirat.* Comment.pag.66.& 67.

XIV. *Petri, extincto Companeroſâ, multiplex mœror, formidines, perplexitas. Ejuſdem in ſomnum ipsâ mœſtitiâ relabi cupientis, monſtroſum cervical.* Comment.pag 67.& 68.

XV. *Recurſantibus, cum inſomnia, ſollicitudinibus & angoribus, locum Victoria mutat. De Inſomniæ cauſſis. Companeroſa tandem ſepulturam, & omne ſupremum officium, pro virili ſuæ, præſtat.* Comment.pag 68. & 69. princip.

PROMINENTES paſſim è ſcopulis cuſpides atque gaſtræ, me delabentem, undequaque perſtrinxerant. Corpus igitur, vulneribus hinc indè proſciſſum, undis ſubterlabentibus infero: quibus miſer, non immergor ſolùm; ſed, coëuntibus ſupra caput fluctibus, intumulor. Quid tunc mentis mihi, quid ſensûs fuerit; nemo tragœdus exſequatur. Vincit calamitas ſermonem, miſeriæ gravitas calamum, recordatio narratióque fidem: utique, cùm me traherent in profundum undæ, cùm raperent in gyrum ſuum vortices; cùm me corporis ipſa moles nunc deprimeret, nunc alliderct; cùm modò ſpes & conatus allevarent, mox imbecillitas & deſperatio ſubruerent; cùm me circumfremerent aquis pulſatæ rupes; cùm nox exterreret, atque tenebrarum horribile

chaos;

chaos : cùm ſuper hæc omnia, natandi tædem, (& in medio tamen gurgite fluctuantem) mors manifeſta circumſiſteret. Iactabam nihilominus brachia, quantumvis indocta; *próque tutela vitæ, cujus tenaciſſimum eſſe deſiderium ſolet*, vires omnes & copias advocabam. Cúmque luctarer cum inſanientis æſtuarii fluxibus ac refluxibus; quantum aquarum, niſu pedum manuúmque, repellebam : tantundem propemodum hiatu faucium invitus ſorbebam. Tali modo, cœlum inter & Tartarum, inter ſacra ſaxúmque,votorum & deſperationis medius, pendebam: nec ſpes erat ulla ſocialis auxilii. nam è tanto barathro ſucclamantem, quis (quæſo) fluctibus obſtrepentibus, exaudiret? aut, quis etiam, poſt multos clamores, exaudito, ſuppetias latum iret?

II. Plurimo nihilominus *labore*, quo pleraque *pretioſa comparantur*; denique Salus conſtitit. Omni namque membrorum conniſu, natando, ſcandendo, reptandóque; vix ſerò tandem in petrarum quendam velut ramum prominentem, ſum eluctatus. Illic elumbis, ſemianimis, & vix animæ reciprocandæ validus; præter hæc autem novorum diſcriminum pavidus, memet defixi. Sed quoniam principiò, quietis aut commodæ ſtationis ſpatium, negaverat arctitudo loci; de ſaxo pendére compulſus ſum : diſpaſſis in laxum brachiis, & univerſo corpore ſcopulum illum amplexatus. Hujc ego quàm arctiſſimè connexus; & jam non digitis tantùm pectinatim complicitis, ſed etiam genibus ac tibiis ſtrictim appreſsis; exſpectabam,

quid in poſterum circa me fata diſponerent ?
Iſte totius ferè noctis ſtatus ac ſitus fuit. Quo tempore (cæteroquin per ſe ſatis omnium formidinum feraci) non uniuſmodi trepidatione, nec ſimplici lamento, præcordia concuſſi; vultu frigidis interim ſaxis applicito: tergo verò turpiter, adversùs inſectantem me caſum, obverſo. Verùm initiò quidem, tacitis queſtibus, & intus tantùm ſonorus; ſilenti tibiâ mihi funus meum ducebam: non auſus, præ pavoris vi, ne pedem quidem, ac neque labia, movare: nedum altis ploratibus indulgere. Verebar enim, nequam, ex Fortunæ choro, Sortem iniquam, immemorem hucuſque mei, vocali nimis luctu ſuſcitarē: & in caput meum etiam ipſam provocarem, ad novam infligendam calamitatem. Contentus itaque, ſilenti formidine palpitare, deflebam, propemodum muliebriter (confitendum eſt enim) noctis horrorem, propinqui maris fragorem, fluctuum alliſorum mugitum, ventorum inter confraga luctantem tumultum, miſeræ ſtationis infidam poſſeſſionem, & ſexcentorum agmina malorum. Sed præcipuo tunc erat ſenſui brumoſus aër; aſperrimo frigore, penetrabilique flatu, ſævus, utpote nocturno tunc gelu. Cujus contra rigorem, jam *neque patientiâ quidem ſatis armatus eram*, velut antehac. nam ad indumenta corporis cætera quod attinet: profectò pluſquam ſeminudus agebam: intimâ duntaxat tuniculâ, tibialibuſque, præter femoralia, contectus. Femoralium porrò materies erat, tela carbaſina tenuiſſima; verecundiæ potius, quàm munimento

mento medii corporis, excogitata. Quanquam enim, adverſi maris & auræ peregrinæ providus, veſtibus quoque laneis corpus involveram; idque jam tum ab exordio navigationis Americanæ: tamen id genus tegumentorum aſſidui per eos dies imbres adeò madefecerant; ut, hyeme præſertim nocturnâ, deniè congelaſcerent. Quare, ne ſomnos meos in media glacie (velut miles cataphractus in ferreo thorace) capere compellerer; pridiano veſpere, quidquid laneum geſtaveram, membris detractum, ex quadam arbore ſuſpenderam: ſi fortè tantiſper aurâ quapiam clementiore deſiccarentur. Idem ipſum autem comites quoque mei fecerant; præter unicum myſtam noſtrum, cujus ſuprà mentionem intuli. nam hic, futurorum omnium callidus, Sagum ſuum goſſypinum, prudenti conſtantiâ, ſibi retinendum duxerat.

Sic igitur nudatus, frigore pluſquam Hyperboreô moriebar;ob ſtolidum ſubſidiorum rejectum,quę ſola tunc protegere potuiſſent. Ibi *caſus* adverſos, & tempeſtatis iniquitatem *incuſabam*; *qui peccatum potius* & incuriam meam *debueram*. Sed incuſabam planè ſine ſucceſſu: *quiritabárque* (quod vulgò dicunt) APUD NOVERCAM; id eſt, Fortunam. Hæc etenim, nullâ, ne minimâ quidem, mei miſericordiâ; non modò de duritiâ ſuâ remittebat nihil: ſed etiam aſperiùs ſemper inſurgebat. Iam enim, incrudeſcente maris æſtu, tumidiùs undæ ſe tollere; jam gurgites, Lunâ concitati, volvere ſurſum ſpumas, ac ſarmenta trahere; jam primò

pedes atque talos tingere, mox ſuras ac genua vincere: tum exſuperare femora, paullatímque lumbos circumluere; nec dubium eſſe mihi, quin illicò, caput quoque vitámque meam petiturus, veniret Oceanus; & idcirco prævium hunc maris æſtum, in me velut percuſſorem, immitteret.

III. Tum enimverò, circumſidentibus undequaque me Diris; non ulteriùs in poteſtate, non in ſilentio, gemitum habui: ſed, elidente vocem doloris ſenſu, prorupi clariſsimos in ploratus, &; Hoc *nimirum*, inquam, *hoc reſtiterat unum, miſerrime* VICTORIA; *poſt peragratum terrarum ac maris ambitum, ubi perire millies poteras: ut inter ignotiſsima ſolitudinis ſcopulos, inter turpiſsima Ponti ſenta, pelagíque ſe purgantis fóricas, ingenuum ſpiritum profunderes? Et hoc (prô malùm) nullo teſte, nullo teſtamento, nullo propinquorum oculos occludente, nullo pereuntis ſuprema mandata, vel voluntates, excepturo? Morieru ergò? quódque malè præparatis amariſsimum eſſe ſolet, morieris, Interitu tam properante, ſpatióque vivendi tam acciſò? Prôh legem ultima neceſsitatis ferream! prôh fatorum inexorabilem decurſum! Ecce, jam ultimum pendentis animæ filum hora ſuprema ſuccidet! Ecce, jam confeſtim aut hæc petra, cui cohæreo, fluctibus ſubeſa diſſultabit; milléque fragmentorum ruina, avulſum me ſuperobruet: aut, occultâ vi citatus, æſtuarii gurges, caput infuſum toto mari ſepeliet; aut certè, ſi clementiore fluxu ſtagnum conſtiterit, nec præſentis alvei menſuram egredietur: tamen delaſſatum me, jámque feſſa brachia dedentem, proximè quoque maris recurſu ſecum abripiet: abreptum-*

plumque devehet in ultimas Oceani furentis oras. Tunc illic (ſi forſitan adhuc ſpiravero) confeſtim aut unda vincet, involutum aliqua Charybdi, vel Syrte (ſicut multos) aut maritima certè monſtra, cetéque vaſta, deglutient: aut tandem (ſi vel invitus prorogare ſpiritum, in aliquo deſertorum littorum compellar) incurſabunt in me ſexcentorum ſpectra manium; è tot inſepultis naufragiis oberrantium: infeſtabunt damnata barbarorum umbra, velut ad littus Arabici Sinus, ac Cimmerii maris oram aſſolent. Hi me ſcelerati lemures (jam ante ſemianimem & præconſumptum) mille terroribus, etiam ſine vulnere, mactabunt. Heu me! quis hujus tam acerbæ ſortis neceſſitudinem? quis tot malorum ſarcinas, tot mortes, humeris meis, prorſus imparibus, injecit? Nempe, quod millies conqueror, & nunquam tamen *adhuc* emendo: *nempe, Peregrinitatis puerile deſiderium, oculorum damnabilis curioſitas, patrii ſoli vilis charitas, clauſæ maternis obteſtationibus aures, contemptus ſupplex avunculus, deſertus nuper in ſolitudine Pedioſa, ſexcentáq; cætera vitæ ſolutioris errata. quorum nunc omnium, ſeras quidem, at meritiſſimas & inextricabiles pœnas expendo, reus* VICTORIA.

IV. TALES inter querelas, paullatim undæ ſtagnum ſuum, & Nox tenebras, finiebant. jámque ſenſim & Aurora nitorem, & diluculi propinquitas aliquam ſalutis aperire fiduciã, cœperunt. Ego, quantulamcunq; crepuſculi lucem, velut opportuniſſimum beneficium, non gratìs amiſſurus; manu quidē lævâ, rupem (ſicut eam comprehenderam) retineo: dextrâ verò, ſuperiora petræ digitis prætento; ſollertiſsiméque ſaxi conditionem

mùs occupante. Vel nuſquã ergo, vel per cacumina ſcopulorum, iter ſuſcipiendum erat. Verùm & hinc rurſus, ex horrore præcipitiorum, creſcebat aſperitas: cùm, niſi per tranſſultus, &, *ſæpe destinata fallentem, audaciam*, ſuperari capita rupium nequirent. Complurıbus autem noſtrorum hominum vertigo cerebri (tam periculoſo ſuſpenſóque tranſitu) tenebras offundebat: & vel *ſolus cadendi timor, certa ruina*; *formidóque* tam atrox, *mors ante mortem*, erat.

Sed, quid in hoc tanto rerum articulo, tentes? omittas? quid priùs aut poſterius capeſſas? Perrecturos, ex omni parte, pelagus & ſaxa, concluſos tenebant: retrogreſſuros autem, formidabilior deſcenſus, & pronior lapſus, excepturus erat. Conclamatur igitur, omnium concordi ſententiâ; *Pervadendum, in utramque fortunam*! & , Quod bene felicitérque verteret, *incertis ſaltibus certiſſimum interitum declinandum*!

Ità laboris ac periculi factum initium; fortunatum pleriſque noſtrum, quoad dies fuit ac lux; quæ ſcopulorum intervalla nitore diſtingueret. Verùm haud multò pòſt, veſpera nebuloſa, collectæque nubes, omnia proturbârunt; in copioſum & continuum effuſæ nimbum. Horrorem hunc geminavit fœda nox, tenebris procellâque terribilis; ac, ſuper hæc omnia, Ponti ſtagnantis repentinus affluxus. Iámque circumquaque nos frigus, tremor, pluviæ, ventorum aſſultus, & lapſuum aſſiduus metus, conſtrictos tenebant: in tam denſa præſertim caligine, pelagíque fremitu; tam eminus, quàm ex propin-

pinquo, reboantis. His tamen omnibus incommodis, cæterorum comitum Fortuna ſuperior fuit. me ſolum, ex omni numero, ſors deterior, ad inſectationem ſibi ſolemnem, ſepoſuit: tanquam *victimam*, ut reor, *albam*, ac ſuis jam pridem notis deſignatam. Id in hunc, quem deſcribam, modum, evénit.

Nox erat adulta; nullúmque jam, extinctis ſideribus, tuti periculosíque diſcrimen. Erant autem etiam tum ſcopuli non pauci, neque prioribus mitiores, ſuperandi. Dum itaque, ſociis antegreſſis, poſtremus ego, rupem, neſcio quam, ex illa, quam tunc inſiſtebam, petrâ, cautè præveſtigo; dum eam gladioli cuſpide per obſcurum prætento, diſtantis intercapedinem exploraturus: generosè tandem (an verò temerario potiùs impetu?) ſaltûs audaciam concipio; nondum ad ſolidum examinato (quis enim in tenebris poſſit?) diſcrimine. Sed fallente, per caliginis inſidias, metâ, deceptóque ſalientis paſſu; præceps in horrendam, ac ſcopulis circumquaque clauſam voraginem, devolvor.

ARGO-

ARGONAUTICÔN AMERICANORUM, SIVE PERICULORUM PETRI DE VICTORIA,

LIBER VI.

CAPITUM BREVIARIUM.

I. *Voraginis & periculi, in quod deciderat, hypotypóſin Victoria proponit* Com.pag.53.fin.

II. *Apprehenſo ſcopuli ramo, Petrus vitam inter & necem pendet; formidine frigoribúſque, propter veſtium penuriam, circumſeſſus. Interim, relabente maris æſtu, voraginis unda increſcentes, Petro propiores fiunt.* Comment.pag 54. & 55.

III. *Ergò ſortem ille ſuam miſerrimam, inter mille timores ac diſcrimina, deplorat: ſuis eam peccatis acceptam ferens.*

IV. *Matutinô crepuſculô in rupis verticem evadit, quieturus aliquantiſper Sed excludunt ſomnum, vulnerum multitudo, & acrimonia; quam inſuper æſtuarii ſalſus liquor incendit.* Comment.pag.54 fin.

V. *De Scopulo Victoria deſcendit: tardéque repertis comitibus, caſum ſuum nocturnum ſtupentibus exponit.* Comment.pag.56.

VI. *Progredientibus, poſt incommoda alia, campus offertur ſabuloſus &, per eum decurrens, pluvialis torrens, paſſerum frequentiâ celebris. Dum pyram adversùs gelu adornant: ſub arente materia ovorum pullorúmq; copiam reperiunt.* Commentar.pag 57.

VII. *Victoria & Sociorum, ex inventis præter ſpem obſoniis, inſolens lætitia, atque cœna.* Comment.pag.58.

VIII. De

VIII. *De nocte caſtra movent: &, poſt complurium horarum continuatum iter, exigua capta quiete, in montem arduum labore magno enituntur. Cæteri ſparſim ſe proſternunt: Victoria, noctis nimboſæ metu, altiora ſecurioráque latibula meditatur.* Comment. pag. 58. & 59.

IX. *Companeroſa, Sodalis & cognati ſui, egregiam indolem ac mores Petrus deſcribit. Cum eo, in Alpium celſiſſimum verticem eniſus; tectum nocturnum ſub frondibus accipit, admirabili naturæ providentia præparatu. Ibi ſomnum ipſe orditur.* Comment. pag. 59.

X. *Companeroſa, etiam ipſe ad quieſcendum compoſitus, morbo repentino graviq; obruitur: cujus tardam tamen fidem, apud excitatum & ſtomachantem Victoriam invenit. Eum, vix tandem, ad accerſendum Sacerdotē, permovet.* Comment. pag. 59. fin. & pag. 60.

XI. *Petrus, ad veſtigandum in tenebris Sacerdotem, excurrit. Eum, ægrè repertum, adducit. Is decumbentem Companeroſam ſolatur: & poſthac, univerſæ prioris vitæ noxas explicantem, officiosè audit: Victoria, inter hæc, alibi ſomnum reſumente.* Comment. pag. 61.

XII. *Exomologeſi Sacra peracta; Victoria ad Companeroſam, jam ſolum, ſolus revertitur. Ille Petrum complexu & oratione* meditatâ diffuſâque *aggreditur* (nam à Comentarioli fide, auctoriſque primo ſtylo Hiſpanico, recedi, nec in hoc, nec in X. capite, præcedente, conſultū viſum eſt: ubi ſermo rhetoricus, & ſuprà moribundi conſuetudinem prolixus, aliquot implet paginas) *In eo ſuum conteſtatur amorē: ſuprema mandata dat, pro ſe & ad ſuos. Petit ab eo ut ad vicinā mortis luctam ſe juvet, & confirmet.* Cōm. pag. 61. fin. pag. 62. 63. 64 65. & 66.

XIII. *Vi-*

XIII. *Victoria petenti morem gerit moribundúmque, ad ſupremum uſque vitæ punctum, animat: propoſitâ maximè Divinæ miſericordiæ fiduciâ, Deiparæq; potentiſſimo Patrocinio. Symbolo Apoſtolico bis pronuntiato; Companeroſa exſpirat.* Comment. pag. 66. & 67.

XIV. *Petri, extinctâ Companeroſâ, multiplex mœror, formidines, perplexitas. Ejuſdem in ſomnum ipſâ mœſtitiâ relabi cupientis, monſtroſum cervical.* Comment. pag 67. & 68.

XV. *Recurſantibus, cum inſomnia, ſollicitudinibus & angoribus, locum Victoria mutat. De Inſomniæ cauſſis. Companeroſæ tandem ſepulturam, & omne ſupremum officium, pro virili ſuæ, præſtat.* Comment. pag 68. & 69. princip.

PROMINENTES paſſim è ſcopulis cuſpides atque gaſtræ, me delabentem, undequaque perſtrinxerant. Corpus igitur, vulneribus hinc indè proſciſſum, undis ſubterlabentibus infero: quibus miſer, non immergor ſolùm; ſed, coëuntibus ſupra caput fluctibus, intumulor. Quid tunc mentis mihi, quid ſensûs fuerit; nemo tragœdus exſequatur. Vincit calamitas ſermonem, miſeriæ gravitas calamum, recordatio narratióque fidem: utique, cùm me traherent in profundum undæ, cùm raperent in gyrum ſuum vortices; cùm me corporis ipſa moles nunc deprimeret, nunc allideret; cùm modò ſpes & conatus allevarent, mox imbecillitas & deſperatio ſubruerent; cùm me circumfremerent aquis pulſatæ rupes; cùm nox exterreret, atque tenebrarum horribile chaos;

chaos: cùm ſuper hæc omnia, natandi tandem, (& in medio tamen gurgite fluctuantem) mors manifeſta circumſiſteret. Iactabam nihilominus brachia, quantumvis indocta; *próque tutela vitæ, cujus tenaciſſimum eſſe deſiderium ſolet*, vires omnes & copias advocabam. Cúmque luctarer cum inſanientis æſtuarii fluxibus ac refluxibus; quantum aquarum, niſu pedum manuúmque, repellebam: tantundem propemodum hiatu faucium invitus ſorbebam. Tali modo, cœlum inter & Tartarum, inter ſacra ſaxúmque, votorum & deſperationis medius, pendebam: nec ſpes erat ulla ſocialis auxilii. nam è tanto barathro ſucclamantem, quis (quæſo) fluctibus obſtrepentibus, exaudiret? aut, quis etiam, poſt multos clamores, exaudito, ſuppetias latum iret?

II. Plurimo nihilominus *labore*, quo pleraque *pretioſa comparantur*, denique Salus conſtitit. Omni namque membrorum conniſu, natando, ſcandendo, reptandóque; vix ſerò tandem in petrarum quendam velut ramum prominentem, ſum eluctatus. Illic elumbis, ſemianimis, & vix animæ reciprocandæ validus; præter hæc autem novorum diſcriminum pavidus, memet defixi. Sed quoniam principiò, quietis aut commodæ ſtationis ſpatium, negaverat arctitudo loci; de ſaxo pendére compulſus ſum: diſpaſſis in laxum brachiis, & univerſo corpore ſcopulum illum amplexatus. Huic ego quàm arctiſſimè connexus; & jam non digitis tantùm pectinatim complicitis, ſed etiam genibus ac tibiis ſtrictim appreſsis; exſpectabam,

quid in poſterum circa me fata diſponerent?
Iſte totius ferè noctis ſtatus ac ſitus fuit.
Quo tempore (cæteroquin per ſe ſatis omnium formidinum feraci) non uniuſmodi trepidatione, nec ſimplici lamento, præcordia concuſſi; vultu frigidis interim ſaxis applicito: tergo verò turpiter, adversùs inſectantem me caſum, obverſo. Verùm initiò quidem, tacitis queſtibus, & intus tantùm ſonorus; ſilenti tibiâ mihi funus meum ducebam: non auſus, præ pavoris vi, ne pedem quidem, ac neque labia, motare: nedum altis ploratibus indulgere. Verebar enim, ne quam, ex Fortunæ choro, Sortem iniquam, immemorem hucuſque mei, vocali nimis luctu ſuſcitarē: & in caput meum etiam ipſam provocarem, ad novam infligendam calamitatem. Contentus itaque, ſilenti formidine palpitare, deflebam, propemodum muliebriter (confitendum eſt enim)noctis horrorem, propinqui maris fragorem, fluctuum alliſorum mugitum, ventorum inter confraga luctantem tumultum, miſeræ ſtationis infidam poſſeſſionem, & ſexcentorum agmina malorum. Sed præcipuo tunc erat ſenſui brumoſus aër; aſperrimo frigore, penetrabilíque flatu, ſævus, utpote nocturno tunc gelû. Cujus contra rigorem, jam *neque patientiâ quidem ſatis armatus eram*, velut antehac. nam ad indumenta corporis cætera quod attinet: profectò pluſquam ſeminudus agebam: intimâ duntaxat tuniculâ, tibialibúſque, præter femoralia, contectus. Femoralium porrò materies erat, tela carbaſina tenuiſſima; verecundiæ potius, quàm munimento

mento medii corporis, excogitata. Quanquam enim, adverſi maris & auræ peregrinæ providus, veſtibus quoque laneis corpus involveram; idque jam tum ab exordio navigationis Americanæ: tamen id genus tegumentorum aſſidui per eos dies imbres adeò madefecerant; ut, hyeme præſertim nocturnâ, densè congelaſcerent. Quare, ne ſomnos meos in media glacie (velut miles cataphractus in ferreo thorace) capere compellerer; pridiano veſpere, quidquid laneum geſtaveram, membris detractum, ex quadam arbore ſuſpenderam: ſi fortè tantiſper aurâ quapiam clementiore deſiccarentur. Idem ipſum autem comites quoque mei fecerant; præter unicum myſtam noſtrum, cujus ſuprà mentionem intuli. nam hic, futurorum omnium callidus, Sagum ſuum goſſypinum, prudenti conſtantiâ, ſibi retinendum duxerat.

Sic igitur nudatus, frigore pluſquam Hyperboreô moriebar; ob ſtolidum ſubſidiorum rejectum, quę ſola tunc protegere potuiſſent. Ibi *caſus* adverſos, & tempeſtatis iniquitatem *incuſabam*; *qui peccatum potius* & incuriam meam *debueram*. Sed incuſabam planè ſine ſucceſſu: *quiritabárque* (quod vulgò dicunt) APUD NOVERCAM; id eſt, Fortunam. Hæc etenim, nullâ, ne minimâ quidem, mei miſericordiâ; non modò de duritiâ ſuâ remittebat nihil: ſed etiam aſperiùs ſemper inſurgebat. Iam enim, incrudeſcente maris æſtu, tumidiùs undæ ſe tollere; jam gurgites, Lunâ concitati, volvere ſurſum ſpumas, ac ſarmenta trahere; jam primò

pedes atque talos tingere, mox ſuras ac genua vincere : tum exſuperare femora, paullatímque lumbos circumluere ; nec dubium eſſe mihi, quin illicò, caput quoque vitámque meam petiturus, veniret Oceanus ; & idcirco prævium hunc maris æſtum, in me velut percuſſorem, immitteret.

III. Tum enimverò, circumſidentibus undequaque me Diris ; non ulteriùs in poteſtate, non in ſilentio, gemitum habui : ſed, elidente vocem doloris ſenſu, prorupi clariſſimos in ploratus, & ; Hoc *nimirum*, inquam, *hoc reſtiterat unum, miſerrime* VICTORIA ; *poſt peragratum terrarum ac maris ambitum, ubi perire millies poteras : ut inter ignotiſſima ſolitudinis ſcopulos, inter turpiſſima Ponti ſpuria, pelagíque ſe purgantis fóricas, ingenuum ſpiritum profunderes ? Et hoc (prô malùm) nullo teſte, nullo teſtamento, nullo propinquorum oculos occludente, nullo pereuntis ſuprema mandata, vel voluntates, excepturo ? Morieris ergò ! quódque malè præparatis amariſſimum eſſe ſolet, morieris, Interitu tam properante, ſpatióque vivendi tam acciſô ? Prôh legem ultimæ neceſſitatis ferream ! prôh fatorum inexorabilem decurſum ! Ecce, jam ultimum pendentis animæ filum hora ſuprema ſuccidet ! Ecce, jam confeſtim aut hæc petra, cui cohæreo, fluctibus ſubeſa diſſultabit ; milléque fragmentorum ruina, avulſum me ſuperobruet : aut, occultâ vi citatus, æſtuarii gurges, caput infuſum toto marî ſepeliet ; aut certè, ſi clementiore fluxu ſtagnum conſtiterit, nec præſentis alvei menſuram egredietur : tamen delaſſatum me, jámque feſſa brachia dedentem, proximè quoque maris recurſu ſecum abripiet : abre-*

ptum-

piſcemque devehet in ultimas Oceani furentis oras. Tunc illic (ſi forſitan adhuc ſpiravero) confeſtim aut unda vincet, involutum aliquâ Charybdi, vel Syrte (ſicut multos) aut maritima certè monſtra, cetéque vaſta, deglutient: aut tandem (ſi vel invitus prorogare ſpiritum, in aliquo deſertorum littorum compellar) incurſabunt in me ſexcentorum ſpectra manium; è tot inſepultis naufragiis oberrantium: infeſtabunt damnata barbarorum umbræ, velut ad littus Arabici Sinûs, ac Cimmerii maris oram aſſolent. Hi me ſcelerati lemures (jam ante ſemianimem & præconſumptum) mille terroribus, etiam ſine vulnere, mactabunt. Heu me! quis hujus tam acerbæ ſortis neceſſitudinem? quis tot malorum ſarcinas, tot mortes, humeris meis, prorſus imparibus, injecit? Nempe, quod millies conqueror, & nunquam tamen *adhuc* emendo: *nempe, Peregrinitatis puerile deſiderium, oculorum damnabilis curioſitas, patrii ſoli vilis charitas, clauſæ maternis obteſtationibus aures, contemptus ſupplex avunculus, deſertus nuper in ſolitudine Pedioſa, ſexcentáq; cætera vitæ ſolutioris errata. quorum nunc omniū, ſeras quidem, at meritiſſimas & inextricabiles pœnas expendo, reus* VICTORIA.

IV. TALES inter querelas, paullatim undæ ſtagnum ſuum, & Nox tenebras, finierant. jámque ſenſim & Aurora nitorem, & diluculi propinquitas aliquam ſalutis aperire fiduciā, cœperunt. Ego, quantulamcunq; crepuſculi lucem, velut opportuniſſimum beneficium, non gratìs amiſſurus; manu quidē lævâ, rupem (ſicut eam comprehenderam) retineo: dextrâ verò, ſuperiora petræ digitis prætento; ſollertiſsiméque ſaxi conditionem

exploro. Reperio tandem ſcopuli caput, non modò ſeſſionis capax; ſed, ſi cuj libuiſſet, etiam incubitûs atque ſtrati: ſic exporrectâ ſaxi per planum menſurâ, quæ grabati quoddam ſimulacrum exprimeret. Quo compertô; minùs jam minúſque caſuum pavidus, componi per ſilentium ad quietem inſtituo; túmque primùm, valere juſſis comploratio-nibus, nihil utique correcturis, totam cautem inſcendo. deinde (ſi fortè fortunâ ſuccederet) ſomnum molior; ac mox ordior. Et erat dormituro locus non planè tetricus; ut in hoc rerum ſtau, corporíſque fatigatione. Sed ſcilicet; nec tum quidem ullam indulgente ceſſationem adversâ ſorte, vel (neſcio quo) nigro ſidere: poſt minimum ſoporis guſtum, ſtrato miſer excutior. Abrumpebat nempe quietem, doloris immodicus ſenſus; quem corporis, in latera reclinati, pondus exaſperârat. Cujus ego dum cauſſas & origines, ad pleniorem lucem, exploro: video femoris dextri, cuj ſuperincubueram, tractum omnem, decem immanibus plagis conſauciatum; vulnerúmque pleraque palmari, non minùs, longitudine ſpatioſa. Plagas eas, nocturno caſu per prærupta ſcopuli collectas, primus (ut fit) doloris ardor obſtupefecerat; & tanquam in ſensûs quandam oblivionem adduxerat: utpote ſanguinis, recentis adhuc, præcalido bullientéq; fluxu. quare ſenſuum tantiſper ſopor aliquis, & velut diſſimulatio, primum mali furorem repreſſit. At, poſtea quàm, ſuperinductô gelu, cruoris æſtus ille conſedit; durante nihilominus & fluitante vulnerum hiatu; tum enimverò do-

lor

lor atrociùs ſævire, totáque vi cœpit inſtaurari. Senſûs acrimoniam inflammavit inſuper maris æſtus: qui, receptis licèt, multúmque deminutis fluxibus; tamen undæ ſalſiſſimæ reliquias, in tot plagarum fiſſuris & rimis deſtituerat, ſævâ ſalſugine mordaces, nam, venarum & fibrarum intima pervadentes, exſugebant pedem implacabili laniena. *Non* erat tamen hoc ipſum *inſalubre planè malum; nec vexatio prorſus ſine fruge.* nam ex fervida ſalſi liquoris penetratione; ſanguini, poſt longum dolorem, tandem ſtupor, vulneribúſque coitus, provenère: nec multos poſt dies, univerſo corpori ſanitas. Vt adeò videas (mirificô numinis conſilio) *Nihil eſſe tam expertu malum; quod non olim aliquo boni fructu commitigetur.*

V. ORTO clariùs aliquantò die; poſtquam & maris abſceſſu retegi ſiccum, & aperiri viarum libertas eſt cœpta: de rupe pedetentim ad planiora me demitto. Paulliſper deinde, deficientibus ſcopulis, rupiúmque connexibus: ecqua tandem circà me loca ſint, diſpicio: cœtus ſimul humanos, ac Sociorum turbam indago.

Sed nuſquam mortália conſortia; nuſquā ſocialis globus; ac ne veſtigiū quidem humani pedis. Solitaria cuncta, mœſtiſſimíque ſilentii ſqualore muta. Siqua fides eſt igitur miſeris, & omni ſubſidio mortali deſtitutis, inter inhumanos locos; intremui non minùs; quàm inter ipſas præteritæ noctis tragœdias. Imò, tanquam fulminatus & ceritus, horridiùs emarcui; *Tandémque, Tandem* (exclamavi) *totum me, funeſta calamitas, & ad*

Tartari fundum uſque, demerſiſti! Toto malorum Oceano me perfudiſti; ne tabula quidem, ad enatandum, naufrago VICTORIAE *relicta!*

Neque diu tamen ploratibus indulſi; ſed, urgente *deteriorum formidine (quæ plerumque ſuccedere malis primis aſſolent)* in pedes me conjeci: concitóque prorſum curſu, volitavi veriùs, quàm properavi; nullâ femoris afflicti curâ: PEDIOSAM interim, &, quidquid nominum cognominúmque veniret in buccam, inclamitans. Neque deſpexère clementia ſidera lacrymas meas, quæ PEDIOSAM mihi, ſocióſque, paullò pòſt reddiderunt; nondum (ô fatorum in me luſum!) ultra ſpatium, quod æquaret ſagittæ jactum, antegreſſos. Horum infuſus amplexibus, (lætantium plurimùm, & invicem me lætitiâ reſpergentium) dupliciter oblector: & quòd humanis aliquando vultibus, &, quòd tam inexſpectatis, incurriſſem. Mox & alloquium exorſus; *Vos verò, quid?* (inquam) *aut, ubinam præteritum noctu egiſtis? nam me quidem fallax & ſiniſter tranſſultus, intrà mortem & vitam jecit; cum paludibus, ut reor, inferis luctantem* Cœpi deinde compendiô totam eis cladem meā adumbrare. Sed poſteaquam (ut DULCIS *eſt omnis, aliena præſertim, calamitatis hiſtoria*) rogare ſunt orſi; ne tantùm adumbrare, verùm penitùs depingere, vivis coloribus, caſum meum, auderem: indidem & ego ſum aggreſſus totam, ab alto, ruinæ meæ narrationem. Notavſque; ſtupere plurimùm, & horrore comas arrigere, quotquot ab ore pendebant meo. pen-

debant

debant autem ad unum omnes; & ii præ cæteris, quibus abſentis VICTORIAE deſiderium atque cura, ne quidem per quietem (ut dicebant) deceſſerat. *Tametſi: Quantulum quietis hoc ipſum fuit?* (inquit PEDIOSA) *quam etiam nos, continuis nimbis, gelû, tempeſtate, terroribus exagitati, tranſegimus; pendente ſemper inter formidines animâ? Tamen interim unô gradu minor noſtra fuit, quàm tua mi* PETRE, *calamitas: quod nos adverſus dira caſuum agmine pugnavimus; tu viritim, & duellô, congreſſus es.*

VI. IN hunc itaque modum, omni recollectô cœtu; moras cunctas abrumpimus: &, colloquentes ſimul pergentéſque, littorum mitiora perſequimur: id unicum alter alterum hortati; *Nequis noſtrùm deinceps Thalaſſia meminiſſet: caterùm alia potius omnia ſperaremus. Thalaſſia recordationem ac mentionem ex animis, oblivioni ſempiternæ, tanquam hæreſin, exſculperemus.* Quod cùm inter omnes pariter convenillet; & jam nemo non Thalaſſiam exſecraretur, tot errorum nobis cauſſam: reliquis omnibus difficultatibus, ſpes erat, nos pares futuros. Igitur, inter aſpera quamvis & enormia viarum; duravit tamen incedentium labor: qui, cum primâ luce cœptus, ante cadentem diem finitus non eſt. Interim, præter incredibilem fatigationẽ nimborum quoque moleſtia, faméſque graviter viatores cruciabat; ſed intolerabiliùs multò ſitis, incedendi contentione (ſicuti fit) incenſa. Vetuſtiſsimum hoc incommodorum noſtrorum, ac jam toties memoratum, id eſt, aquarum dulcium penuria, non ſeneſcebat;

ſed toties pæne, quoties meridies & profe-ctio, novabatur. Verùm tunc quidem, quò tardiùs inexſpectatiúſque; tantò gratius & cumulatius eſt remedium, divino munere, repertum.

Ecce namque, luce jam inclinatâ, planitiem ingredimur ſpatioſam, & longè latéque ſeſe porrigentem: cæterùm graminis, & cunctorum gignentium undequaque nudam; ac ſterili tantùm ſabulo nitentem. Campum univerſum non ſilices, nō ulla lapidum pondera; ſed arenæ tenuiſſimus pulvis, inſtraverat. Super glaream porrò, lignorum arentium, & aſſularum, ingens copia temerè jacebat. Quiſquiliæ purgamentáque torrentis hæc erant: qui, ſiniſtrâ ſolitudinis illius extremitate, devolutus celſis è rupibus; impetu rapaci ſecum devehit, quidquid circumcircà ſylvarum virgultorúmque corripuit; nec arboribus quidem, & grandioris trunci ſtirpibus impunè prætermiſſis. nam & has, ſubeſis radicibus, in cōmunem ruinam trahit. Quoties autē, ſolitas egreſſus ripas, per arenoſum illud, quod deſcripſimus, æquor reſtagnat, ſimùl ſeſe receperit, id genus retrimenta, glareis hærentia, relinquit. Ea poſtmodum Sol nactus meridianus; potenti radio, durabilíq; ſiccitate, torret: & in incendia præparat.

Hanc nihilominus, tam incultam locorum faciem; obſervavimus, etiam Avium nonnullarum patriam eſſe, certéve coloniam. Namque paſſim ſuper ſarmenta tignáque diſperſa, paſſerum exercitus, naturali voluptate, conſederant: &, ſiquando pedum noſtrorum ſtrepitu, vocúmque ſibilis, inquietarentur; aërem

aërem omnem agminibus implebant, nunc citimam, nunc ulteriorem torrentis ripam, oberrantes. Siquid igitur etiam hoc ad Argonautica noſtra pertinet: *hic Amnis*, noſter *Phaſis* erat; non *Colchicus*, ſed *Americanus*: hi *Paſſeres*, noſtri (ſi ſuperis placet) erant, aut eſſe debebant, *Phaſiani*. Sed iſtos quidem Paſſeres oculô votíſque ſequi, faciliùs erat, quàm manibus & aucupiô conſequi: cùm tamen, inter hæc, edendi cupiditas ſtomachos omniũ diriſſimè lancinaret. Cujus autẽ alimenti ſpes eſſe poterat, in loco tam inculto? vel, *quis, cũ volantibus, curſu per auras certaret?* Proximum igitur fuit; cùm cibi deſiderium nequires, ſaltem aquæ cupidinem mitigare. Simul omnes itaque torrentem, obliquo ſtrepentem alveô, meridiem inter & orientem, petimus. Ibi pileis nonnulli; quidam inhiantibus labris, profluentem excipimus. Ità, ſui quiſque ventris jejunium, ebrietate frigidæ conſolamur. Venit poſt hæc in mentem otioſis; rigentes artus & corpora, multorum jam dierum noctiúmque gelû conſtricta, calore laxare; ne, receptum inteſtinis frigus, & nullo reſolutum fomento, vitalia labefaceret. Hujc proximum erat; eádem opportunitate veſtimenta quoque, continuis imbribus & hyeme fluitantia, perſiccare. Rapitur ergò, morâ nullâ, flamma de fomite: ſarmentíſque temerè ſuper ripam obviis, injicitur. Iámque caloris & ignium aliquantum erat: tamen, ut id ipſum perennaret; lignatum plerique longiùs progredimur. In eo labore dum toti ſumus; dum faſces & materiem, in ſpem univerſæ noctis, corradimus:

dimus: miro Numinis ductu, trabes, vetuſtate corruptas, & ramorũ congeriem quandam, eluvionis abſceſſu deſtitutam, invadimus. Ibi, quoniam lignationis longæ compendium videbatur oblatum; in una ſimul ſtrue, cumulum omnem ramalium, & virgultorum, ſubjectâ manu ſtipitibúſque demolimur. Rem credar, fide majorem. & exemplo cariturum, afferre: tamen afferam; quia ſic verè geſtam, & nobis omnibus experimentó gratiſſimo compertam. Sub proturbatis quippe truncis ac ſtirpibus, primùm flammæ fomenta reperimus, quæ ſola conquirebamus. deinde nutrimenta victúmque deprehendimus; quem nemo noſtrum, ne voto quidem, præconceperat. Sub purgamentis enim illis ſylvarum, Ovorum infanda copia latebat: ac præter hæc pullorum non una centuria; ſed ut plurimùm adhuc plumâ carentium.

VII. Quod *igitur in ſucceſſibus, exſpectatione ſuperbioribus*, vulgò ſolet; ut *nec animus ſeſe, neque vox capiat*: ſtatim clamor, & impatiens moræ lætitia; tum complosio manuum, & ſociorum omnium accitus, atque concurſatio, celebratur. Totis campis hi clamores vigent, & crebreſcunt; *Io! volucres, & ova! gaudium & felicitas!* Quod porrò juveniliter exultantium mos tenet; in medio geſtientis lætitiæ, non tam frui capto, quàm circa ſupervacuam fruendi curam occupari: plurima pars noſtrorum, cœpit anxiè nomen avicularum, numerum ovorum, partitionis æqua jura, requirere. quidam etiam; *Quanam ſylva tot ilignis verubus, ad aſſandam ferinam, eſſet ſuffe-*

ſuffectura? pueriliter ſciſcitari. Prorſus, in orbe gaudium non reperires; quod tunc ad *Hilaria* noſtra componeres. Non tam exultanter, diu circumſeſſæ munitionis aut urbis opulentiam, legiones invadunt, poſt expugnationem: non liquidiore voluptate, qui theſauris inſidiantur & montium divitiis, auri venas, & naturæ ſinum aperiunt; quantô nos gaudio, poſt longam famem, inopinas illas epulas involavimus. Quid multis? Dividere prædam in capita placuit. Sic, æqualitate ſervatâ, denæ repertæ ſunt in ſingulos aviculæ. cæterùm ovorum numerus, ſicut iniri propter copiam nequiit; ſic partitio non ad Themidis rigorem, ſed ad cujuſque vota lubentiámque, proceſſit. Nam, *quantum concupiſcere quiſque potuit; tantum & habuit.* Nec eſt dilatum convivium. illico, comeſſaturis ſimiles, in contubernia colligimur. Et, quoniam in medio focus erat; recèns contractis ſarmentis luculentus; eum nos conſeſſu circumvenímus. Clamoſi pariter & negotioſi; pars pullos pugiunculis transfixos, aut cultris, ad flammam circumagere; pars furcillis, aut virgultis bicornibus, ova ſublevare; lentáque frixurâ torrére. quidam, acubus perforato putamine, ſuſtentare; ſecundùm ignis viciniam. Nonnulli (ſicut *diuturnitatis impatiens eſt omnis fames)* volucres, nullâ verùm curâ, digitis extremis corripere; rogóque, quà vivaciùs exæſtuabat, obvertere: nec adustionis nidorem habere penſi. Reperti quoque; qui, ſive per oblivionem, ſive properandi ſtudiô, ſtrangulationem prætermitterent: miſellóſque pullos, ſpirantes adhuc

& pipientes, incendiô truculentô cruciarent. Eos porrò ſic ſemineces, vel in palpitantia fruſta divellebant: vel totos ſimul & indiſcerptos, uno bolo conficiebant; pæne Scythicâ quadam aut Braſilâ vorandi barbarie: niſi, quòd eos inclementior longè *fames*, crudelitatis abſolveret; *cujus impatientia moras omnes exſecratur.* Vtut eſt tamen; fœdum hoc erat, & ſpectaculi parùm Europæi negotium: cùm tepidus de mento, déque dentibus & gingivâ, cruor defflueret. Ità (ne multis excurram) ad ſummam omnes intenti; diſcurſare, fatigari, coquere, frígere: maxima pars ovorum pertuſione ſtrepere; cæteri concerpere, manderéque, nullo tumultuantis lætitiæ temperamento. denique planè *ſe rerum dominos, & nunc tandem in Fortunæ ſinu* ſitos, arbitrari. Sic, in unum conjectus compendium, dies ille; prandio pariter atque cœnâ, ſaturos abſolvit.

VIII. PLACATO ventre: poſteaquam & fluvio rurſus, iteratione frigidæ, ſumus refecti; cibíque præteriti reliquias diluimus: amicula quiſque ſua, ſecundùm flammas deſiccata, reſumimus. Deinde, perſolutîs Numini gratiis; *quòd neque dignis nobis, nec opinantibus, epulum apparâſſet*: iter pridie cœptum, inſtauratis animis, repetimus. Vt autem pridianæ moræ damna celeritate pedum corrigeremus: tametſi profundum jam noctis ibat, viam alacritate tantâ premimus; ut tenebrarum omne, magnúmque præterea ſubſecuti diei ſpatium, ambulatione perpetuâ connecteremus. Duodecim ipſas horas, nullâ requiete, nullius ſtationis interjunctione, labori

labori ſuffecimus. adeò nempe *proxima ſaturitas ad firmitudinem contulit.*

Excepit (regione ſabuloſâ tandem decurſâ) pedes, jam ſenſim fractos & flaccidos, promontorii maritimi procurſus novus. Hic, ſaxis & ſylvis aſperrimus; viarum tramitem, adhuc utcunque tolerabilem & explicatum, intercidit, ac propemodum impervium effecit: impenetrabili locorum vaſtitate. Salebris & confragoſo ſqualore, ſaltus omnis horrebat: anteriora potiſſimùm, quæque dextrum ad latus receſſerant. nec quidquam iniquius illâ rupium ſylvarúmque, nunc in montes tumentium, nunc in voragines recidentium, inæqualitate. Cæterùm ad lævam ſurgebat montium continuum jugum; arduum in ſummo, ſuperatúque pertinax: non tamen ultra vires & ſpem; quippe clivis interdum ſupinóque ſitu mite. Vertices autem, quamvis multùm in nubes porrecti, non tamen ad uſque deſperationem eminebant; ſi cuj modò pes & mens ad conſtantiam ſupereſſet. Aſcenſus porrò, ſolum erat unicúmque deterioris viæ remedium. Ventum ad hunc locum erat; quo tempore, jam in altiſſimis ſtante ſole, ſpatiis paribus veſper & ortus diſtabant. Nobis, quanquam properandi mille cauſſas habentibus; tamen ibidem aliquantiſper interjungere, viſum eſt. Terrebat, fatigatione languidos, montis aſpectus, in immenſum ſe ſurrigentis: neque dubium, quin, ſi mox profectio premeretur; etiam robuſtiſſimum quemque, vires deficerent. Quare, provido decretô, ſecundùm ipſas jugi radices, conſidemus.

Et

Et alius quidem, taciturno decubitu, membra marcentia diſpandebat; *ſermonis* (opinor) ut *in magna fatigatione* ſolet, *faſtidiô*. Fabulis alius, & alternis alloquiis futura vel fingebat, vel contemnebat; donec denique, quieti finem, & novo labori principium dandum, robuſtiorum neſcio quis, proclamavit. Igitur, nemine communem miſeriam auſo detrectare; ſine mora cuncti conſurgimus: ac, reſumptis pedibus animíſque, contra montium ardua reptamus. nec enim itineris præſentis alia conditio, vel modus, afferebatur. Plerique, defixis retrorſum gladiis, verutíſve, terga fulcientes; connitebamur, ſummâ relapsûs cautione. Sic ægrè tandem, & inter anhelitus vix revocabiles; poſt horam ferè quartam, quàm laborem cœptaveramus, in Alpem evadimus. Sed ſociorum quidem plerique, defectis viribus; non exſpectato cacumine, quo cujque loco viſum eſt, in ſubjectis vertici colliculis frutetíſque conſedêre. Pigriorum hic numerus fuit; & inter eos etiam PEDIOSA meus: non aliâs (poſt nuperam defectionem) torpidior contuſiórque. Sed nunc veritus erat, imbecillitatem mihi ſuam deplorare: credo, ne denuò ſatyram audire; meúmque, ſibi mollitiem exprobrantis, os excipere compelleretur. Ergò, nullo neque dato, neque reddito verbô; ſine cujuſquam interpellatione, ſub arbuſta proxima defugit. At ego, non contentus latibulis obviis: ſpe commodioris occaſionis, diverticulum aliud inveſtigo. Iam enim, præceps in noctem veſper; & cœlum omne, lunæque nitor, ſe nubibus, & opaco tenebrarum, induerant. ſuper hæc,

hæc, ventorum etiam, è mari proximo fre-mentium, impotentia nos proturbabat: & impendens capiti ſævus imber, ſecuriſſima quæque conſilia, præ facillimis, mihi dictabat: metuenti, ne (jam antè plus ſatis exanimatum) negligentia ſalutis, novâ pernicie ſubrueret. Sed, *humanitatis indole (quæ ſocialis eſt, & conſortiorum amans) ſine comite nolebam eſſe felix.* Eum appoſitè mihi ſors, & ipſe rerum eventus, aſſignavit.

IX. Erat in comitatu noſtro, Iuvenis quidam, virtutis eximiæ, diſertúſque cumprimis & facundiæ diffuſæ; præter hæc, mihi, (cæteroquin amicitiarum æſtimatori rigido) dilectus in paucis. Hic oriundus ab Hiſpania, ſed natus Pánamæ, gente patritiâ, parentibus ac majoribus ordinis ſénatorii; familiâ, tum Americanis in terris, tum & apud noſtros, clarâ præminebat. Nomini parco; ne propinquitati ſanguiníque tanti juvenis, crebriore fatorum illius memoriâ, dolorem refricem: &, utcunque ſepultam jam, inductámque reeordationem, ſignificantiùs hôc ſtylô, quàm conſultiùs, exulcerem. Moderatiore temperamento, neque tamen penitùs conficto; propter arctiſſimum *ſodalitii* nexum, *Companeroſam* eum nuncupabo. Voeabulum hoc, & hiſtoriæ fugabit obſcuritatem; & nominis gentilitii ſupplebit dignitatem. Is ergò talis, me ſecutus erat, nullâ ſuâ luculentâ ſpe, ſed potiùs mei charitate; cujus uſu capi cœperat. Digreſſus paternâ domô, ſiccis genis; vectúſque per omne Pacificum, & Archipelagi profundum, ultrò citróque; non curſu tamen, non recurſu, non tot diſcriminum conflictu,

flictu, depulſus à cœptis eſt; ob id unicum, à latere meo ne divelleretur. Ad extremum (quod ſtupeas) cùm è navi me PEDIOSA, ſuis violentis obteſtationibus, extraxiſſet; COMPANEROSA, ſolò mei ſtudio, non ullâ melioris fortunæ ſpe, conſectatus eſt; in omnia ſortis utriuſque, prava ſecundáque firmus & obſtinatus. In me (fatebor ingenuè!) non reperiebam; quibúſnam meis promeritis aut ornamentis illectus ille, plus uni mihi, quàm cæteris omnibus, tribueret? At tribuebat certè quidem; & plus ſoli, quàm univerſis. id, quod ego gratæ potiùs amici memoriæ; quàm oſtentationis vanæ ſterili gloriolæ, relictum ad poſteros velim. Sociorum porrò nulli moleſtus aut aſper: ſed interim nulli quoque mancipatus, aut juratis affectibus illigatus, colebat omnes; adamabat unum. Hujus autem diſcriminis ſpecimen, in ipſo (quem toties pono) PEDIOSÂ nuper ediderat; manifeſtum & indiſſimulatum; cùm homini languoris jam ultimi (ſicut ſuprà retuli) ſuppetias imploranti, COMPANEROSA nec manum porrexit, nec aures adeò vel animum inflexit; quanquam nominatim acceſſitus & inclamatus. Id non inhumanitate reor, ſed prudentiâ quadam geſtum; ne ſcilicet comitatui noſtro moram & nodum innecteret. nam & me viderat inſtantem itineri; proximéque ſubſequentem.

Hic igitur tunc etiam à me ſejungi, piaculum habuit; quem cernebat anxiâ ſollicitudine diſcurſare, munitiori receſſui perveſtigando. Reſtabat Alpium illarum editiſſimus vertex; multis adhuc paſſibus, & animæ luctâ,

luctâ, ſuperandus. In hunc (vix adhuc tenuî luce ſuperſtite) perreptavimus: premebátque mea præeuntis veſtigia COMPANEROSA; virili diſſimulatione. Nec me pœnituit ſuſcepti laboris; operæ repertô pretiô. Quanquam enim (ut præaltâ tum brumâ) creberrimis imbuta nimbis humus; ne ſummis quidem à jugis uliginem, & paluſtre cœnum excluderet: quanquam, præter hæc, uterque noſtrum (telæ ſpiſſioris penuriâ) lineis duntaxat amiculis operti, cunctas hyemis injurias exciperemus: tamen miſericordis naturæ providentia, nobis in ipſo montiū apice genus quoddam arborum exoticum præparavit; in tabernaculi formam. Erant hæ, ſtipite truncóque præquam alto; ramorum denſitate folioſâ: nec adhuc frondiū virorem æſtivum brumæ vis deſtrinxerat; quippe ſtirpiū æterni veris. Commoditatis porrò tutelæque caput erant; termitum ac pendentium ſurculorum flagella, betularum in ritum, ad terram demiſſa; totáque ſtirpis extremitate quaquaverſum, velut per circulum, defluentia. Diceres; artificiô frondatorum, aut aliquo ſylvæ Geniô, ſtructa tentoria: vel certè, civili Naturæ manu, frondium aulæa ſuſpenſa; nobíſque thalamum in ſomnos adornatum. Nec tamen, niſi duorum, capax erat intrà ramos, ſpatium: ut hoc ipſum crederes, contubernio VICTORIAE, COMPANEROSAEQUE, nec aliorum, præparatum. ubi (quò ſecuriores ageremus) velut ſepes quædam prætenſa virgultorum, arcebat extraneos: ſuperiora verò, prædenſis foliis frondibúſque connexa, cœli minas, ac tempeſtatum injurias, excludebant.

Sub

Sub ejuſmodi nos arborum unam aſiquam, quæ cæteris adversùm imbres impenetrabilior apparebat, concedimus: ſilentiò tamen mirifico compoſiti; veluti præſenti rerum ſorte contenti magìs, quàm hilares & læti. Tum, *conceptis ad Deum Deiparámque, pro more noſtro, precibus*; mox *& conſcientiæ rationibus* ſtrictim *excuſſis*; ſoporem captamus. Et ſomnus quidem capiti meo, tot malis feſſo, ſtatim illapſus eſt; ſucceſſu profundo. Non hunc pluviarum aſſidua ruina; non nocturni frigoris acrimonia; non inſomnia, vel dormientium imagines, disjecêre. Potiùs placidè pinguis, ac molliter (ut ſic dicam) obeſulus; in poſteram uſque lucem, niſi fallor, duraturus fuit: ſi per contubernalem licuiſſet.

X. SED nempe COMPANEROSA noſter, *quietis appetentior, quàm conſtantior*; jam tum ab initio decubitûs, concuſſum gelû fatigationéque corpus, à látere cœpit in latus verſare. Non multò pòſt (adhuc me ſemivigili) gemitibus concisíſque queſtibus ululare: ſuſpiriíſque ſubinde vocalibus, ſubinde malè conſtanti ſilentiò ſuſpensìs; ſuam juxtà, viciníque noctem, infeſtare. donec ad extremum, importunâ vociferatione, VICTORIAM, VICTORIAM! inclamando; meum quoque ſoporem deſtruxit. Vt *impatiens eſt omnis inopinatò fractus ſomnus*; cùm *præſertim ex alto proturbatus* eſt: ego (fateor) expergefactus, non ſolùm amicitiam inſupèr, ſed nec meipſum in arbitrio ſatìs habui. Certè quidem, non ſine ſtomachi notis, clarè ſodalem increpitans; *Et quid hoc* (inquam) *tam ſerò noctis nugarum eſt*, COMPANEROSA? *Scilicet, hoc erat, quod utrique*

utrique noſtrum convenerat; ut, à turba ſepoſitum, & quieti factum natúmque penetrale ſcrutaremur: ne tu nos quieſcere, néve reſpirare ſineres, tuis deliriis? locari namque ſuſpicabar hominem; tam opportuni diverticuli commoditate geſtientem: cùm præſertim in vocabulo VICTORIAE, perplexus inter ſerium ac luſum ſermo deliteſceret; & nominis geminatio, tam in lætitiam poſſet, quàm in compellationem, trahi.

Verùm ille, nihil immutatis vocibus; iterum accerſere VICTORIAM, iterúmque, perſeveravit. *Quam in operam?* (inquam ego) Tum ille; *Supremam* (ait) *ad operam; & ad animæ, jam utique fugientis, abſceſſum. nam, ne neſcias,* PETRE; *morior! ac, primoribus in labris, paullò pòſt egreſſurus, ſpiritus ſedet. Accede proinde, per, quidquid ſanctum eſt; &, ſiquando cunque ſyncerâ fide diligentem te dilexiſti nunc, in tanto poſtremæ neceſſitudinis articulô palàm hoc fac obſequiô; quo pretioſius nec ab Amico poſſum, nec ab ullo mortalium, apiſci. Sta, ſta, (quæſo) ſaltem ad latus meum; ne prorſus ſolitarius exſpirem. Qui te conſciô quoad licuit, vixi; te quoque teſte, cùm neceſſitas exegerit, moriar.*

Hæc tam horrida, quanquam ille, verbis in omnem gravitatem compoſitis, ingereret; adhuc tamen mihi per mimum & facetias fari videbatur; cunctanter credenti. Nec enim erat vero ſimile, tam properè, nullóque novorum caſuum inſultu, defeciſſe juvenem: præterito die totô perſtrenuum, & itineris generoſum. Niſi fortè (ſed *cuj ſuccurreret, omnia tunc ſuſpicari?*) ſoli, de toto ſociorum numero, venenum in ovo pullóve pridiano, per ſor-

tis

tis malevolentiam, obtigiſſet? Quod tamen, cur tam tardâ peſte, vel quomodo, ſæviret? Rurſus igitur (& mutuæ familiaritatis fiduciâ, rigidiùs) COMPANEROSAM aggreſſus; *Per fidem*, inquam! *ſi potes, quieſce! ſi non potes; at alienam ſaltem quietem ne vexa! Silentiô ſopor; non fabulis, neque Saturnalium ápinu, ducitur.* Cui COMPANEROSA, ſermone ſimpliciſſimam in mœſtitiam deflexo; *Vellem, vellem* (inquit) *mi* VICTORIA, *Saturnalia nunc potiùs, quàm Februa, Lemuriáque, vel Funebria, luderem! Haberemus nos craſtini ſaltem uſuram & fructum; ad mutuum animorum ſolatium, conſuetique ſermonis refrigerium. Quantô redimerem, etiam unius diecula voluptatem; quam in amici fidelis ſinu deponerem? Nunc verò procul, procùl illa vetera! longè, ſermonum ſales, animique per luſus diffuſio.* Quæ, cùm dixiſſet ille: mox (velut ambages longiores peroſus) *Se loqui*, diſſeruit, *in ſummam conſtricto ſermone: quod ſolum tunc & unicè loquendum eſſet, quódque res ipſa cogeret. In foribus mortem eſſe, cúmque morte, facinorum omnium recordationem: quotquot unquam auſus foret, in omni retrorſum vitâ.* Subjecit; *Ab his citari ſe, dicturúmque cauſſam: Illâ ſi caderet, pœnas, incendiáque ſempiterna, depenſurum. Si quid igitur in me ſenſûs amici, ſiquid Chriſtiani cordis ac viſcerum eſſet; irem curſitarémque protinus: ac votorum ſuorum epilogum implerem. Sacerdotem, qui per omnia maria terráſque nobis inhaſiſſet; etiam nunc ad animæ ſuæ luctam ultimam pertraherem. illius in aures ſe conſcientiam ſuam effuſurum. Et (per Superos) ſiquid in me ſubſidii,*

ſidiſ, ſiquid ſpei reſideret; omiſſis aliis omnibus, properarem! Nunc enim Animæ negotium agi.

XI. FECIT ſerii doloris fidem COMPANEROSA; quòd non ſolùm ultimis moribundorum votis, verùm etiam vocum imitamentis, uteretur. Igitur ego (nihil præterea cunctandum arbitratus) conſurgo ſtratô: digreſſúſque loco, graves imbre frondes, ad aperiendum exitum, manu divello; ſed non abſque larga meipſius tincturâ. Perruptis arbuſtis; ad inferiora montis, pavidô cautóque greſſu, me demitto (nam & ſpiſſa nox erat; & nullum à ſideribus, aut face, ſubſidium) Dextrâ deinde ſiniſtráque, prorſum ac retrorſùm, omnia virgulta, frutices omnes, excutio: latebras obvias, & petrarum prominentium receſſus, digitis prætrectatos, exploro. cúmque per viarum lubrica ſæpius ceſpitarem; capite frequenter totáque mole corporis, allidebar. *Sacerdotem, Myſtam, Reverendum,* ſvetis inſvetíſque vocibus, evoco: qui nuſquam tamen erat. Etenim is in remotiora ſe, prudens & callidus pacatæ noctis, abſtraſerat. Erráſſem igitur ego, conatibus clamoribúſque ſupervacaneis, ad ipſam uſque (ſicut reor) Auroram: niſi ſociorum nonnemo pervigil, ſub arbuſtis in id uſque temporis (incertum quâ cauſſâ?) perſtitiſſet. In hunc ipſe me caſus & error impegerunt; nihil tale ſuſpicantem. Et hic, intellectô, quem & cuj vellem; ſubtiliter repertô latibulo, me perduxit ad virum illum ipſum, quem indagabam.

Con-

Confeſtim Sacerdos, quanquam placidùm ſtertens; meas pro Sodali preces, & ſupremam decumbentis voluntatẽ, ut decuit, admiſit. Ergò cubitu ſe proripere, moras omnes abrumpere, comitem ſe mihi jungere; non viæ tantùm, ſed & doloris, pro dilectiſſimo multis Companerosa; denique properare prorſus, & omnia pro munere viribúſque ſuis, cœpit expedire. Poſteaquam autem & ad arborem, à me commonſtratam, penetravit; ſtatim jacentem quem videre non poterat, tenebris prohibentibus; ex gemitu, déque familiari vocis ſono, recognovit. Ibi, ſalute datâ receptáque, ſolari languentem, eſt orſus: &, quoniam eum credebat, ſupra morbi magnitudinem ac periculum conſternatum; ſategit animos addere juveni. mox, arteriæ temporúmque contactu, ſalutis arbitria colligere; dejectæ menti, ſpem incolumitatis certam addere: demum cuncta facere, dicereque; proludiô rei ſeriæ dexterrimo, comitatéque penitùs ad illud tempus accommodatâ. Progreſſu deinde ſermonum ac ſolatii, ſtimulare morbidum inſtituit (tametſi ſpontè talium cupientem) currentíque calcar addere: talibus ferè monitis; Ne *tamen inter hac ſibimetipſi, néve ſalutu ſua rationibus deeſſet; utcunque tandem ægritudinu fata caderent. Non utique fore quidem hunc morbum internecinum; ſed tantiſper tamen, neque Mentu & animæ curam, obfuturam: immò, plurimùm potiùs ad utrumque profore.* Valetudines, etiam proſtratas, allevari *frequenter & reſurgere*; conſcientiis expiatis. *quantò certiùs igitur, hac præviâ mentu luſtratione, mediocre ſanitatu tentamentum*

tam diſpulſum iri? Talia memorabat; quæque cætera, trahendis ægrorum animis, valida ſunt, ad immortalitatis curam: quæ ſanè, Sacris præfecti, debent in illo tanto rerum articulo, non ſolùm cogitatione; ſed & uſu linguáque, trita circumferre.

SED nempe nullius omnino molis fuit, COMPANEROSAM oratione procemióve præparare; quippe ſponte jam ſuâ cupidum divinorum; & idipſum, nec aliud, feſtinantem. Ei ſermo quicunque (quantumcunque pius) redundans tunc, & longior juſtô, videbatur. Igitur interfatus tandem Sacerdotis orationem: *Quæſo, Domine! potiùs ad rem* (inquit) *& nucleum rei pergamus; omiſſis corticibus præfationum. Dum per mortis adhuc moram licet; morti præparemur, & Deo: tua quidem pietas, noxis meis auſcultandis; ego verò, fideliter enarrandis. Fiat* (inquit myſta.)

Secundùm hæc COMPANEROSA *negotium* orditur, *omnium ponderoſiſſimum*; *totius* (ut mihi quidem ex mora temporis videbatur) *præteritæ* juventutis & *ætatis accuſationem.* In eo judicio dum uterque toti ſunt: Ego, qui tantiſper *ſatisfactum amico* crederem, *ad Aras uſque deducto*; præſentiam meam illis ſurripio. neque corpus duntaxat, ſed etiam aurium minimum quemque ſenſum, ratus ſubtrahendum; propemodùm iraſcebar COMPANEROSAE; nonnihilo clariùs, & pænè cum clamore, ſuam cauſſam tractanti. Ne reus igitur, etiam unici percepti criminis, apud me peragerer; longiùs ſecedo: repertóque, quod commodiſſimum apparebat, quietis aliô diverticulô, ſomnum interciſum cupidè reſumo, connectóque.

XII. Soporis, quantus ſufficere poterat, relibato fructu; ſub noctis medium expergiſcor: & ad Companerosam, valetudinis illius anxius, reviſo. Ducebant me languentis ad locum (etiam ſine facibus & ſideribus) ipſæ jacentis lacrymæ; claro cum ſingultu denſatæ: necnon, intimis è ſenſibus proruptæ, lamentantis voces. Sociabat, prolixo ſermonum tractu, cum Deo cælicolíſque colloquia. jámque *glorioſiſſimam* Triadem, &, *cum* Maria Jesum, ingeminabat: aliàs *Miſericordiam*, & *malæ voluntatis veniam*, expoſcebat. interdum, latè reſonante manûs ictu; pectus & præcordia, tanquam per vindictam, affligtabat. &, quid multis? Totus erat in pœnitudine delictorum; tantâ, quantam egomet fatis meis exoptarem; quandocunque, decurſis vitæ ſpatiis, illa mihi superventura ſunt. Accedo proinde; dimoveóque, ſicut antehac, pluvia fluentes ramos: qui (velut dixi) virgîs ad ſolum uſque flacceſcentibus, dependebant. Nequid autem formidinis ille, vel erroris, adventu meo, conciperet; voce mihi familiari facilliméque recognoſcendâ, præloquor; Petrum *adeſſe* Victoriam! ſimùl placidiſſimis me paſſibus intrò fero; proximúſque ſecundùm decumbentem conſiſto. Solus erat, & ſibi planè, ſuíſque curis relictus; digreſsô jam, ad ſuum cubile repetendum, Sacerdote. Companerosa, ſimùl me ſenſit; gaudiô, quantum ſpiritus ſemiextinctus caperet, exultans; *Cœleſtes* (exclamat) *tibi gratiam, mi* Petre, *referant; quando mortales parem referre non poterunt. Nam ſolus tu fugientem jam animam, extremâ, quoad potes, laciniâ retentas;*

ſitentas, & inhibes. In hæc dextram ſuam dexteræ meæ; nexibus intimis inſertans; lævâ medium me circumplectitur. Multùm inter hæc (ne me quidem ſicco) collacrymatus; morbi ſui ſedem ac violentiam orditur deſcribere. ſed multò tamen effuſiùs amoris in me ſui magnitudinem ingreſſus exprimere, ſimplicibus obviiſque verbis, in hunc ferè modum diſſeruit, &c; *Debet* (inſit) *hoc ipſum eſſe tibi pro teſſera ſynceritatis meæ; quòd per multa membra potiùs & intercisa ſermonum, non phaleratu periodis, & in ſeſe cum artificio refluentibus circulis, ad te verba facio. Diſerta ſatis hæc erunt; ſi ſatis ex affectu. Quòd manum impiico manuis quod amplexu corpus amicum inſtringo; quòd, ſicut animi dictat ſenſus, inornatam orationem texo, cum neglectu facundiæ: velim, mi* VICTORIA*, candori magis meo, quàm morbò, tribuas. Quanquam, extra controverſiam! potes tu* morbo *quoque tribuere:* qui *profectò* verba nō quęrit, ſed ex rapto ſumit. Amor *autem (quô magis etiã langueo, quàm valetudine)* potiùs, quid dicat, quàm, quemadmodum dicat, intentus eſt. *Quòd ſi vel maximè nunc eloquentiæ locus eſſet, & tempus (quod tamen jam totum Animæ debetur) quid, obſecro, tali rerum mearum articulo, ſermonibus expreſſiùs tibi depingerem, ad Amorem conteſtandũ; quàm, quod jam olim factis repræſentavi?* Sunt enim Facta, non Verba, Fidelis amicitiæ viva ſigna. *Conatus autem ſemper ſum, familiaritatis noſtræ certitudinem, quotidianis experimentis tibi ſub oculos ponere. Teſtis animi conſtantiaq; meæ tuamet conſcientia, mei ſermonis hujus approbatrix veriſſima. Teſtis, omni major exceptione fidéque* DEUS; ſecretiſ-

ſimorum *quorùmque ſenſuum* diſcuſſor & arbiter *incorruptus : quem utique nunc irritare mendació formidarem , ad illius tribunal mox iturus; ubi totius præterita mortalitatis meæ judicium ac cenſura peragetur. Teſtes denique veritatis, quam proloquor, tot, quot viarum omnium comites; non* PEDIOSAM, *non alium quemquam, pectori meo tam firmis infixum fuiſſe radicibus; ac* VICTORIAM *meum. Cœpit hic Amor ex eo ſtatim puncto; quô primum notitiæ tui guſtum delibavi. Crevit deinde familiaritate quotidianâ: donec in ſanctiſſimum Amicitiæ fœdus, ſacroſancto nexu glutinéq;,coaluit. Et hujus magnum compendium fructúmque tuli,nec unquam pœnitendum operæ pretium. Poſſum enim dejerare tibi,* PETRE, *magnâ jurisjurandi religione; Tot itinerum inter faſtidia , tot inter adverſa triſtiáque, nihil unquam, præſente te, moleſtum mihi: nihil aſperum toleratu viſum. Uſqueadeò nubem nebulámque mentis omnem, ſpiritus ille tuus diſſipabat; quem intuebar adversùm quævis pericula ſubrectum & arduum. Animi mei (ſiquando ſubreperet) mæſtitudinem, difflabat alloquiorum tuorum aura ; turbatúmque cordis ſtatum , obtutûs tui ſerena lux componebat. Hæc mihi commoda conferebat præſentia tua. quæ verba mea, velim non in adulationem , hoc præſertim tempore ; ſed in teſtimonium veritatis, bonámque partem, accipias. At è diverſo, tam dilecti mihi capitis abſentiam,(etiam breviſſimam) accipiebam dolenter; & ,(ſiqua fides eſt, impatienter amantibus) propemodum ad procorum, ſed honeſtam tamen, intemperantiam : cuj* quævis mora, longum tempus eſt. *Ut totum ſemel expediam; Eſſe ſine te, mihi quoddam exilium,*

&

& extrema Thule; vel ſiquid aliud eſt remotiùs Inſularum in Orbe veſtro, videbatur. Et ſanè nunc etiam, dum loquor, dum hora mihi ſumma devolvitur; non tam amara mihi mors eſt eò nomine, quòd à corpore ſpiritum divellit. quid enim privatim, & ſolus lugeam illud, quod univerſa lex indixit? Efflictim autem, eò potiùs titulô, torqueor; quòd hæc ipſa ſuprema neceſſitas à ſodali ſodalem avocat: & violenter abſcindit. Non eſt igitur, cur te cruciet magnitudo languoris mei: qui, quantumvis vehemens atque gravis; tuî tamen deſideriô remiſſior eſt, & multùm infra cupidinem tuî. Quòd ſi tamen hæc ipſa morbi vis & acerbitas creſceret, alterô tantô, quin & decuplô: ſi (quod vulgò jactant) etiam in Perilli Phalaridiſque tauro gemerem; *ſine dubitatione tibi perſuaſeris, idipſum mihi toleratu pronum, quin & latum, fore: ſi morbis meis incolumitatem tuam; ſi morte vitam ſalutémque, redimere contingeret. Unius etiam diecula lucem tibi prorogare, vel interitu meo, geſtirem: tametſi Neſtoris, aut Mathuſalæ cujuſpiam annos, haberem in arbitrio meo. Sed ſcilicet; aliter viſum eſt Superis, aliter horis meis; ad vitæ præcipitium feſtinantibus. Harum invidiâ, non tantùm juventus & ætatis omnis flos; ſed etiam paullatim ſermo, ſucciditur: immò (quod utroque mihi dulcius erat) tui fructus. Et jam dudum ad arboris hujus, quâ tegimur, radicem, mors adſtat, cum aſcia; truncatura vitæ meæ, parùm frugi, ficulneam. Iam manum violentam, jam pendentem & libratum ictum, intentat: non aliô magis nomine crudelis & inhumana; quàm, quòd, hoc ipſo tempore, ſub unam eandémque plagam, duo funera ſimul deſtinat; & ferrum in Tuam non-*

 minùs

minùs, quàm meam cervicem, torquet. Te namque, comitum omnium (abſit verbu invidia, jactantiáque!) fideliſſimò ſpoliatum it; dum me perimit. Te, te, pæne deinceps ad ſolitudinem redactum; inter ancipitia caſuum deſtituit: incertum, ac pendentem animi; patrióne ſepulcro potiùs, an peregrino, ſis inferendus? Tametſi, quantula tumuli vel felicitas eſſe poteſt, & gloria? vel damnū & infamia? Vita, vita me tua (PETRE *) magis in futurum, quàm occubitùs, miſeret. Hanc inter alienos, ignotos, barbaros, deges: & (quod vel unicum ſatis eſſe poteſt ad miſeriam) extra matrem, & Hiſpalim; extra florentem numeris omnibus domûs tuæ fortunam: quibus in locis, neque* VICTORIA *ſuis virtutibus deeſſet; neque virtuti ſuum pretium & æſtimatio: quippe conſpicuô cumprimis Europæorum hominum in theatro. Sed hic, in Americæ (neſcio quibus) latebris, in quibus, vix ultra tres litterulas, omnis eruditio ſe tollit; quis te celebrabit? In hac morum & gentium incivilitate (quæ recti boniq; ſtudia, raró ſuprà vulgus æſtimat) quid adoleſcenti, polito patriis inſtitutis? quid pietatis cultori, dignitatis polliceat? Quod igitur ſæpius jam dixi, dicámque porrò, quouſque ſpiritus proferetur: De meipſo quod laborem, nihil eſt; utpote, cujus jam pridem peracta meta ſit. At in te,* PETRE, *tuáque pericula, ceu capitis mihi multò pretioſioris; meus dolor omnis mea cura, ſollicitudóque conſumitur. Hinc etiam ſit: ut, hac ipsâ ſtimulante tui curâ, te magnopere rogem; Ne (quod in amiciſſimorum funeribus aſſolet) interitum meum tam preſſè feras; ut vitam quietémve tuámmet diſturbes. Divellimur quidem & manifeſtum hoc eſt: ac divellimur ſpatiô, quô diſtantius reperiri nullum poteſt; Mortis ac*

vitæ

vitæ, Spirantium & Extinctorum, Lucis atque tenebrarum. Sed iſtud corporum duntaxat eſt, oculorúmque divortium; quorum utrumque, fluxis in rebus, & ipſum fluxum eſt. *Animorũ autem & ſanctorum affectuum, æternus erit inter nos, & indiremptus nexus. nam & ego tui memoriam, quantam indulgebit futura mihi vita, ſollerter tuebor: & Tu ſepulti* COMPANEROSÆ *mentionẽ, ad omnes aras, crebrâ deprecatione, renovabis. Illic ſpiritum, ſubterranea ſupplicia promeritũ, miſericordi lacrymâ refrigerabis. hoc ego te, per quidquid divinum ac ſacroſanctum eſt; efflictim, & obnixè rogo; memento, quæſo, memento mei ſæpe,* VICTORIA! *mecúmque cæterorum omniũ, quibus adhuc apud manes debitum & nomen reſtat expungendũ.*

ILLUD *inſuper (quoniam ægriùs ſenſim ægriúſque verba ſubmolior) extremùm abs te peto, mi* PETRE; *quod, obſecro, ne detrectaveris.* PANAMAM *reverſus (revertéris autem ſine controverſia, non ita multò poſt hac) propinquos neceſſarióſque meos, exceſſum meum edocere, ne cunctêris. Et quoniam quorundam in Panamenſium ære nominibúſque ſum; nomina, creditoribus conventis, diſſolvas. Poteris autem è patrimonio meo; quod penès curatores & conſanguineos meos deſidet, conſulari (ſicut ſcis) ſenatoriáque dignatione conſpicuos: & cæteroquin ab opibus luculenter inſtructos. Ad horum nihil, difficiles eos aut pugnaces reperies; quippe, juris omnis non modò conſultos, ſed etiam tenaces & accuratos.* Quæ cùm rogaret COMPANEROSA; ſimul, mirificâ memoriæ fide, ſingulorum, quibus obſtrictus eſſet, nomina cognomináque recitabat. Crederes; ex accepti tabulis eum lectitare. Cujus induſtrię proinde tam religioſæ, nec ego quidem deeſſe

 volui:

volui: ſed continuò palimpſeſtis meis chartis, per ſtylum, intuli; necujus mihi creditoris nomen & jus intercideret. At ille pergere ſuſtinuit; & lacrymis interfluentibus; *In eâdem* (inquit) *urbe Matrem quoque reliqui, patre jam vivis exempto; miſeram, quantum quidem ad hoc pertinet, & ſuperſtitem fatis itinerique meo. Quam equidem, molliora de me promeritam, durius filius reliqui; peregrinitatis aliquo, ſed tui majore, ſtudio pellectus.* (& hæc cùm diceret; ex ſimilis admiſſi recognitione, mentem etiam meam, quamvis non id quærens, transfigebat: teneriore quodam deſertæ parentis ſenſu ſuſpirantem) *Huje* (pergit ille) *verbis meis ſupremum vale dices. quod equidem de calamo maluiſſem, quàm ore tranſmittere: ſi tam manus adhuc ad officium epiſtolæ; quàm vox ad mandata, ſufficeret. Futurum fuit hoc ſcriptum, genitrici pars magna ſolatii; quantumcunque poſt ſe relinquere poſſunt extincti Fuiſſet aliquamdiu dulcium materia lacrymarum, manus filii; matris, etiam in morte, memor & reverens. Nunc illa tamen flebit nihiloſecius (ſed amariore luctu) domûs ſuæ duplicem ruinam: ut, quæ ſub unum ferè tempus & viduitate jaceat. & orbitate, proſtrata. Tu tamen illius afflictum caput allevabis,* PETRE, *fulciéſque: ſi matri, pro* COMPANEROSA, *quem amiſerit, teipſum, filium longè naviorem (neque dubium, quin etiam probatiorem) ſubſtitueris; adoptione meâ (ſiquid ea tamen in jure civili valet) in omnia Filiifamilias ſolemnia transductus. Te mihi ſubrogatum volo; declaróque. Denique tantum*(ait)*quod ſupremâ tibi linguâ mandarem; nec plus, habui. Nunc, quoniam ad lineam ultimam meus halitus decurrit: & auguſtiſſima*

guſtiſſima voluntas, cui parendum eſt utique, me ſuum in forum evocat: vel omnino deinceps, mi VICTORIA, *ſileamus; ſolis cogitationibus* DEO *loquaces: vel, ſiquis ſermo placuerit, de Numine, diviniſſimáque* TRIADE, *de* IESU, *Deiparáque, Superiſque, commercium ſit univerſum, ac ſolum. Sed tum præcipuè; cùm, arctiùs meante jam ſpiritu, ſuprema lucta, vitam inter & interitum, ingruerit (Ingruit autem prorſus,* inquit, *deficítque lingua miniſterium!) Tunc voces atque nomina; tunc apophthegmata pia ſententiáſque, religioſis clamoribus ingere; quas exſpiranti Chriſtiano, ſcis, eſſe neceſſarias. Ità, ſecurior pariter & animoſior, excedam.*

XIII. HAEC fatus eſt æger; eloquentiâ, ſuprà morientis morem ac fidem, prolixa; ſic, ut complures adhuc in horas, aut etiam dies, duraturum ſpiritum ſuſpicarer. Iámque mecum tacitus ità conſtitueram; in languente COMPANEROSA plus imaginationis eſſe, quàm diſcriminis; utpote tam præter promiſſa ſua, facundo: cùm, repentè juvenem linquere vitalis calor cœpit. Tunc percommodùm, perfractîs aliquantiſper tenebris, atque frondibus; lunæ nitor redierat. ad cujus ſplendorem licuit univerſum morientis habitum contemplari: qui tam funebris jam erat; ut planè tandem mihi, diſcedentis è vita, fidem faceret. Tremere manus; palpitare præcordia; pallore ſudoréque gelidô totum ſublui corpus; oculorum acies hebetari; labia, ſubeunte cæruleo lurore, ſuam purpuram dimittere; dentes ad horrorem rigere, nudaríſque; contentiùs laborioſiúſq; meatus animæ trahi. Lacrymis ergo teneritudine nati-

va

viâ ſublabentibus; fugientem ſodalis ſpiritum, quibus poteram, verbis aggredior, atque proſequor; *Meminiſſet in primis, cujus manu potentiâque productus: cujus ſanguine recuperatus: cujus lavacro regenitus, in ſpem ac jus Filiorũ Dei veniſſet! Ad illam æternitatis beatæ poſſeſſionem, hanc unicam eſſe viam, hanc portam & veſtibulum*; In CHRISTO IESU vitam, in eodem obire mortem. *Si fortè, diffidentiâ puſillanimi, ſuæ vitæ rationibus diffideret: allevaret animum, & ſuos mores præteritos innecteret inculpatis* CHRISTI *moribus: pauculóſque ſuos annos, triginta tribúſque noſtri Servatoris annis, innocentiſſimè tranſactis, illigaret. Quòd ſi præterea fatorum & interitûs horrida fugeret: pro comperto teneret; Exceſſum è vivis, terrorum omnium formidabiliſſimum eſſe, videriq; ſed profanis duntaxat & impiis. Piorum autem, & qui toti Deo niterentur, abitum funere* CHRISTI *regis, & illius in* CRUCE *doloribus, conſecratos ac demitigatos eſſe. Si verò, ſuper hæc omnia, ſcelerum illum multitudo circumſtaret; ſi præcipitis adoleſcentiæ lubricum & errores mentem concuterent: adeſſe promptiſſimum adversùs pavores omnes robur,* CHRISTUM *eundem; flagitiorum noſtrorum victimam; & ſcilicet* FILIUM DEI, *propter nos afflictum & excruciatum. Eſſe praſtò, conſcientiæ delictis æſtuanti, refrigerium,* è QUINQUE vulneribus; *seu totidem* Fontibus, *perenne ſalientibus. An verò fruſtra, noſtros ob oculos, pendére* DEI *Miſericordiam; diſpaſſis brachiis, ad reos omnes amplexandos, qui modò complexum ambiant? Hanc enimverò, promptam ſemper & alacrem reſipiſcentibus; interdum in ipſa morte vivaciorem eluceſ viſam. Et verè magnus & efficacibus*

cacibus exemplis. nam, cur alioquin ſub CRUCIS *trabe meretrix* MAGDALENA *ſuſpenſi pedes ſtringeret; & fluentem cruorem lamberet? cur hoſtes, qui Gloriæ Regem in crucem ſuſtulerant, eum ipſum culpæ deprecatorem ſenſiſſent; quem habere debuerant accuſatorem & vindicem? cur, nocens tot homicidiorum, Latro, ſub Paradiſi promiſſis ac pactu, abſolveretur? cur, Inferis debitum ac devotum caput, repentè pro pœnis ſempiternis, æterna Cœli præmia reportaret?* Non poſſe, neque delictis noſtris ſpem; neque ſpei delinquentium, CHRISTI clementiam, claudi. *nam eorum alterum eſſe ſine legibus, & limitibus: alterum omnino ſine fundo. certéq; vel unicâ Miſericordiæ guttulâ, ſynceréque dolentis lacrymâ; cupidinum omnium & Tartarorum incendia potenter extinctum iri. Reſpiceret etiã (ſiquid orthodoxa pietatis imbibiſſet) reſpiceret* MARIAM, *Dei parentem! ſemper illam quidem reſipiſcentium patronam, ſed tamen ſupremâ potiſſimùm hora, præſentem & facundiſſimam advocatã. Miſericordes illius oculos vix efficaciùs ad nos ullâ re trahi; quàm indimotâ ſpe virgineí ſubſidii: quotieſcunque mortaliũ exſpectatio, cæteris omnibus opibus ſe deſtitutam repeteriſſet; & ſub optima Matris pallium convaſaſſet.*

Dicentem hæc, interpellare ſuſtinuit COMPANEROSA; morituris jam & hiulcis vocibus. nam; *In* CHRISTO *ſemper* (inquit) *Virginéque Matre, fiducia mea ſummam defixi, vivens; defixam & ratam habebo, moriens. Eâ ſine, nemo religioſè ſpiravit unquam: nemo feliciter exſpiravit. Hoc ego, ſicuti verbo profiteor; ita pectore ſemper conceptiſſimum retineo. Sed tu,* VICTORIA, *tamen interim* (adjicit) *mihi teſtis aſſiſtito; qui religionem meam, & hominis Catholici notas,*

ad poſteros omnes, clarâ ſignificatione cupio vulgatas. Vides; in plura verba non vigere vocem meam. Ergo tu mihi Symbolum Apoſtolicum *lentè vocalitérque præi. Sequar equidem, quoad potero.* Libenter ultimo COMPANEROSAE voto morem geſſi. néve pietati tam feriæ deeſſem; *Duodecim Articulos* (myſteriorum noſtrorum compendium) ſemel clarâ recitatione, mox iterum, & clariore, ſum præfatus. Ille verò, præloquentis verbis ad ſyllabam inhærens; duravit haſtenus: quoad ſecundæ Symboli recitationi meta fuit. Tum enim & illi reſpondendi finis inſtitit; concidente linguâ. Quod ego, ſimulac ſenſi; propiùs applicitus, majore vi, vocíſque ſonô, IESU nomen, ac MARIAE, morientis auribus ingero. Deprehendebam interim totius halitûs internecínum ſilentium. ſed, ut eum de manifeſtiore vitæ fugâ convincerem; oppono labiis manum: &, animæ nullis deprehensîs reliquiis, ſtatim *Mortuum proclamo; quia mortuum (nec aliter) ſentiebam.*

In hunc igitur modum, diem ſupremum explevit, amicorum intimus, COMPANEROSA; natus ac factus in omnia corporis animíque décora: quanquam nondum ad plenum acto ſeptimo decimo vitæ ſuæ natali.

XIV. VISUM eſt; oculos extincti, priuſquam penitùs obrigeſcerent, ex amicitiæ receptâ lege, ſupremùm claudere. Dum in eo pietatis officio totus ſum; enimverò tunc primùm me (priùs animoſum firmúmque) cœpit ſęvus quidam horror circumſidére. nec mirum; quippe funerum funebriúmque nullo nec uſu magnopere, nec adeò conſpectu,

præpa-

præparatum. Spiſſabant eam formidinem (humanæ trepidationis ingenió) præter inane cadaveris terriculamentum, ſimul multa cætera: *veruntamen vana pleraque; tantúmque pueris ac mulierculis ad timorem grandia.* Talia fuêre: Lunæ ſplendor, paullo priùs redditus, & mox iterum fugitivus; tenebrarum inſolens denſitas; noctis reſiduæ deforme ſilentium. præter hæc verò, recrudeſcens ſtillicidiô nimbus; & ventorum ſonantium procella, ſylvis implexa: tum ramorum inter ſe pugnax colliſio; foliorúmque ſeditioſus fremitus; & frondium ramenta, non ſine ſtrepitu, divolitantia. Super hæc autem, omnibus gravior malis, *Solitudo: formidinum omniũ genitrix.* In hac enim; ne fortè COMPANEROSAE ſpiritus, ſuo tribunali digreſſus, me ſpectrô circumageret: metus ineptus opprimebat.

Quod *in terroribus* igitur *(æquè vanis veriſque) ſolet eſſe proximum*; id mihi tum uſu venit. nam ſudore frigido, per omnes proruptô venarum meatus; *artubus omnibus, totóque corpore, ſuccutiebar.* Immò; Quid priùs tunc, quid poſteriùs adgrederer, aut quorſum omnino me verſarem: penitùs exactum cum animo non reperiebam. Nam, & deſerere Sodalem extinctum, genus videbatur impietatis; &, eidem aſſidére, vel adversùm intueri, mortis nova quæpiam ſpecies. Quanquam igitur, ſupervacaneô mentis ſcrupulo, non rarò mihi veniret in mentem, dubitare; num omnino jam animam egiſſet Sodalis? an quædam adhuc ſpiritûs particula ſcintillaret? *credere tamen* multò *malebam*; *quàm*, explo-

explorante contactu, *ſcire*. Quod unicũ ergò ſupererat, quódque tam amicitiæ, quàm timoris legibus, ſatisfaceret; indulgebam effuſè fletibus: & Amiciſſimi Juvenis rapti deſideria, cum mentis incredibili dolore, retractabam. Sed iterum in animum, iterúmque redibat dubitatio; Prorſúſne vitam complêſſet ille, cujus animam, tanquam meammet, amabam? Hôc perplexæ cogitationis æſtu raptus; poſt horæ propemodum intervallum, ad jacentem revertor. Mox, *vincente metum amoris magnitudine*; manum meam nudam nudo cadaveris pectori (neque negligenter) apprimo. Dictu, creditúque mirum! Sive prodigium iſtud fuit, tam cunctanter recedentis vitæ; ſive (quod propiùs verum eſt) mixtâ formidine, nonnulla tactûs deluſio: ſenſi planè caloris tenuiſſimi, quaſi favillam aliquam; ſub emortua cute gliſcentem ac palpitantem. *An potiùs, (quod ſæpius uſuvenire cernimus) digitorum tangentium nervi ſubſultârant? &, æſtuantibus ipſâ trepidatione venis; motus proprii corporis, viſus eſt motus eſſe cadaveris?*

Sed, quidquid illud fuit: id non multò pòſt in teporem, mox etiam in frigus ac rigorem migravit; qualis funeratis genuinus & perpetuus eſſe ſolet. Itaque tunc primùm bonâ fide credere ſum auſus; COMPANEROSAM *planè vixiſſe*. Quid facerem? non poteram è fatis hominem, nec artibus ullis, neq; votis, revocare. Proximum erat igitur; ut perditum, ducerem perditum: & extinctũ, inter depoſitos relinquerem. Ac ſanè *creſcebat, ex ipſa mentis inductione, mens & audacia*;

tractan-

tractandi jam, & ultrò citróque verſandi funeris; tanquam per indemnem aſſuetudinē, uſu collectam. Ergò mœſtitiam atque curas in quietem; & fatiſcentes oculos ab excubiis in ſoporem, inflecto. Sed capiti, multis imaginibus laſſato, pulvinus in ſomnum deerat: nec præſtò tamen erat congruus lapis, aut ceſpes; quem cervici ſubjicerem. *Neceſſitatu* igitur uſus *ingenio*, quæ *nec abſurda quidem repudiat*; COMPANEROSAE jacens corpus (memoratu quidem lugubre, ſed tamen verum!) transverſim, cervicalis more, diſpono; diſpoſitóque, militariter, occipite tenus, ſuperincumbo.

XV. VERUM, talibus fultum plumis torum, non quies ulla; non ipſa naturæ fatigatio dignabatur. Nox quoque (quantula fuit reliqua) tanquam *exſecrata ſub ſcapulis Chriſtianis tam barbarici ritûs ſtratum*, diurnas inquietudines, & pervigiles æſtus, ingerebat. Erátque tanta curarum importunitas; ut pro ſomno vigiliam, apertis ac pertinaciter diductis oculis, frequentarē; haud aliter, ac Theſſalicô quopiam veneficiô contactus. Duas plus minùs horas ea tenuit inſomnia: cujus tandem indignatus pervicaciæ, locum illum & arborem, quam occupâram, relinquo; tanquam magicis carminibus prædevotum. Hoſpitium autem novum indago: repertóque, quod mihi commodiſſimum erat viſum, ad repetendam quietem me compono. Verùm; etiam illic inimica me ſors invénit, & invidum ſomni ſolum. Ferreos, ac vigilare pertinaces oculos, ad uſque principiū lucis, tenebam; contumaciſſimô rigore ſuſpenſos ſurrectóſ-

reſtóſque. Dictu mirum! ne *concludi* quidem dignabantur: *quod tamen, etiam ſimulantibus ſomnum, facillimum eſſe ſolet.* Id quod tum (& antehac ſæpius) venit in mentem, admirari; *quibus de cauſſis homini quies, etiam in ſumma dormiendi neceſſitudine, non ſuccederet? An, quòd per curas, & formidinum aſtus, humor, quem ſoporando cerebro phyſici neceſſarium perhibent, abſumptus & exſuctus eſt? An potiùs legitimæ requietis tempus, natura ſuis horis ac terminis circumſcribit? quod ipſa nec anticipari patitur, intempeſtivô, vel affectato, torpore: neque, ſi ſponte venerit, ſuperbo neglectu præteriri. quod tempus tunc, quoniam jam dudum avolârat; ſimul etiam cupidinem quieſcendi, ſomnúmque totum, unà ſecum avexit.* Quidquid erat illud; ad pervigilium, tanquam devotionibus, damnatus eram. Accedebant autem ad hanc impotentiam (præteritô metu non minùs importuni) motus cogitationum; &, ſuper extincto ſodali, cum inquietudine recurſantes affectus: qui mentem identidem vellicabant; mœror, miſeratio, tenera deſideria, ſuſpiria gemitúſque, de præcordiis intimis prorumpentes. hîs, ſpiritum COMPANEROSAE, qualiſcunque tunc, & ubiubi regionum eſſet, inter cœleſtes an ſubterraneos? cupiebam ad nos remeare. Simul, (quod ſtultiſſimum quidem erat: ſed, imaginibus agitatæ menti, penitùs inſculptum) tricabar adhuc, & cum credulitate mea priore litigabam; Veréne jam, ac totus COMPANERÓSA, de vivis abiiſſet? Cùm revera, de juvenis interitu, dudum omnis natura conclamâſſet. Inter hæc itaque,

que, ſimiliáque deliria, conſultanti mecum; An ſurgerem, & experimenta funeris certiora caperem? an verò pertenderem, ſopori ſumendo? nox, horæ, ſomnus, & cuncta quietis irritamenta, de manibus in ſolidum effluxêre. Sic deſperantem; ipſum tandem diluculum, (quantum eſſe, continenter pluente cœlo, potuit) excitavit ad labores, diurnáſque ſollicitudines. Curarum prima potiſſimáq; fuit; extincto ſupremum officium, & funeris religionem, impéndere. Sed hoc equidem per compendium, ac pæne per Saturam (quod ajunt) præſtare cogor: æquè manibus auxiliantium deſtitutus, & exſequiarum inſtrumentîs. Extraho corpus arbuſtô; jam ſanè pluſquam exanimatum. &, quoniam me ligo, ſarculúmve, quæque cætera foſſionis ſunt adminiculа, defecerant; ad gladium, quo latus accingere ſolebam, verto manum: ſed malè memorem, & irritam. Nam ferrum, inter turbam & veſtimenta, reliqueram; proximo cujvis commendatum. Tellurem igitur (quà tractabiliorem illam deprehenderam, ac ſequaciorem) digitîs emolior: unguiúmque laborioſis conatibus, argilloſam glebam in tumulum aperio; legitimúmque corpori conditorium. Hujc infero cadàver: illatúmque, recompoſitîs, quos effoderam, ceſpitibus, ſollerter induco. *Deficientibus etiam undis luſtricis,* & aſpergillo, funeribus ſolemni; *ſubſtituo calidum lachrymarum imbrem, ex oculis meis.* Sic univerſum ſocialis humationis obſequium claudo: flexîs, ad extremum, ſuper monumentum poplitibus; unà cum preca-

precatione. Talibus autem raptam animam votis & affabar & proſequebar: gemitu potiùs ac mente, quàm ſonoris vocibus, prolocutus: &; *Proficiſcere* (dicebam) *anima Chriſtiana, de mundo! De corpore digredienti, ſplendidus Angelorum cœtus occurrat! Ignores omne, quod horret in tenebris; quod ſtridet in flammis; quod cruciat in tormentis. In Paradiſum te deducant Angeli! ſuſcipiant Martyres: & in civitatem ſanctam Ieroſolymorum te perducant!* Hæc, è funeralibus Hiſpalenſium libris, decantari ſæpius audieram: ex opuſculo quoque precatorio, quod *Hortulum Animæ* vulgò nuncupant, familiariter edidiceram. Quæ tunc commodùm, & in tempore, *Commendando* Sodalis quoque *Spiritui*, ſubierunt animum; mœſtum licèt, ac tot unius noctis calamitatibus multipliciter oppreſſum.

ARGONAUTICÔN AMERICANORUM,

SIVE

PERICULORUM PETRI DE VICTORIA,

LIBER VII.

CAPITUM BREVIARIUM.

I. *Victoria, regreſſus ad Socios, Companeroſæ narrat exceſſum. Aqua dulcis penuriam inſueto cibo ſupplent, & conſolantur.* Comentar. pag. 69.

II. *Mon-*

II. *Montano deſcenſu prolapſus Petrus, ſpinis Americani rubi pedem induit.* Comment. pag. 69. fin. & pag. 70. princip.

III *Prater corporis reliqui lacerationem, tres paliuri aculeos in planta deprehendit: quorum duos, mox evellit; tertio non ſequente. Petri multiplex atróxque doloris ſenſus; quo tamen ſæviente, interim ad Socios utcunque regreditur.* Comment. pag. 70.

IV. *Ioannes Pedioſa, ad languentem Petrum adductus, alloquio humaniſſimo deſperabundum allevat. Spinam tertiam, ſuperſtitem, illius è planta evellit: cujus granditas, & doloris ſenſus, deſcribuntur.* Comment. pag. 71.

V. *Vulneris intolerabilem ſenſum, Victoria conſultò, ſed medicaminis ſpe, incendit; intincto marinis aquis ſauciato pede: neque ſine fructu. Mox, regreſſus contentione irritatam plagam, obligat: ſecundùm littus corruit, & obdormit.* Comment. pag. 71. fin. & 72.

VI. *Experrectus, Pedioſam excitat: cum eo Socios cæteros antecedit; & crudis veſcitur cancris. Flumen quoddam ingens introgreſſi, regrediuntur, amplitudine alvei periculóque deterriti. Subinde cæteri quoq; ſuperveniunt: numero tamen admodum imminuti. Quibus placet, ratem in amnis trajectum concinnare.* Comment. pag. 72. 73. & 74.

VII. *Cancris, temerè inventis; neque multò pòſt, fructibus peregrinis (ad fluvium, & in nemore, quæ deſcribuntur) Socii paſcuntur: è quorum, per formicas exeſis corticibus, etiam ſitim reſtinguunt. Ratem operosè, tardéque admodum ſtruunt. Petrus à cæteris, deliciarum cauſâ, in nemus ſecedit.* Comment. pag. 75. & 76.

VIII. *Im-*

VIII. *Inter hæc illi, rate expeditâ, flumen tranſmittunt: & in maris altum abreptantur. Victoria poſthac, è nemore ſuo redux, ſuos nuſquam inventos, fruſtra vocat & inclamat. jamque ſolus in ripa deſtitutus, calamitatem ſuam ſeris seriiſque lamentis proſequitur.* Comment. pag. 76. & 77.

IX. *Victoria, ab Sociis tandem, eminus conſpectis, tranare fluvium jubetur, adoleſcens nandi penitùs inſciens. Pedioſa, & vexilliferi quondam ſui, cohortationibus animatus; tandem preces ac vota Deiparæ Virgini nuncupat, felici trajectui impetrando.* Comment. pag. 77. & 78.

X. *Numinis clementiæ, Mariæq; patrocinio innixus Petrus fluvium, diſcriminu alioqui plenum, omni ſine periculo, atque etiam labore, ſuperat: ſociiſque gratulantibus reſtituitur.* Comment. pag. 78. & 79.

PERACTIS in hunc modum inferiis, monte degredior; & ad plana ſocióſq; me recipio. Quibus, poſteaquam COMPANEROSAE ſupremum inopinúmque morbum; mox etiam exceſſum & exſequias, ex ordine retuliſſem: affectio tenera pleriſque lacrymas prolicuit. quibuſdam etiam, ſimilis fortunæ metus eſt ſubortus; *repentina fata paventibus, in tantâ rerum humanarum incertitudine.* Placuit nihilominus profectionis inſtaurandæ labor: & (ſi fortè ſe ſórs noſtra corrigeret) exſpectatio ſucceſſuum meliorum. Sed nempe tædiorum laboríſq; non minùs illo die, poſteróque; quàm præteritis, exhauriendum veniebat. Per virgulta primùm

primùm & fruticoſa loca (plerumque multùm intricata) penetrandum erat: cùm interim, collapſas inediâ vires, non panis, non ferina, non aliud mortalibus ſvetum nutrimentum, erigeret. Neceſſitatis itaque ſubigente lege; tandem arborum plantarúmque ſylveſtrium radices, cultris exſculptas, in cibum vertebamus; inſupèr habitâ ſtomachi nauſeâ: quæ tam inſolens pabulum refugiebat. Cæterùm his radicibus, quantumvis crudis & inſipidis, tamen iſtud inerat commodi: quòd, pluviarum per omnes illos dies noctéſque defluxu continuô, germina fibræque ſubterraneæ cunctæ permaduerant: profundiſſimè demiſsis in ſolum imbribus; & ad intimum perrigatâ terrâ. Quô fiebat; ut, nimbis jam exactis, liquoris tamen & ſucci copia, nobis fontanæ penuriam efficeret tolerabiliorem: ſitíſque remedia ſuppeditaret.

II. VENTUM inter hæc eſt ad montis cujuſdam immane dorſum; præceps, abruptum, & arbuſtis atque fruticetis horridum: cujus extrema littore maritimo ſtringebantur. ad dextram enim, crepidinis ingenti tractu, Pontus procurrebat. Illis igitur jugis Alpeſtribus deſcendendum erat; deruptis ut plurimùm præciſiſque confragis: ſæpe lubricô, ſæpe lapſibus, ac pronâ ruinâ, ſubverſis veſtigiis: greſſu prorſus ancipiti moleſtiſſimóque: neque ſimplici tantùm incommodo. Namque, nec providere ſatis conceſſum erat, adverſus caſum; obſtantibus in deſcenſu virgultis: &, quoties corporum moles prægravârat labantes; irrevocabili, longóque ruinæ tractu, per præceps auferebamur.

ſtur. In fine, vel ad extantes arborum frondiúmque ſtipites proturbati; vel non proviſis obviorum veprium aculeis impacti, periclitabamur.

Me quidem, *ad omnia mala ſortú puncta natum*, calamitas *nec ad mare quidem* & littus; *nedum ad Cœlum & Paradiſum, ire ſine* S P I-N I S, *permiſit*. Ecce namque! novum ſupplicium tormentúmque, pedibus inflictum! tanquam pœnarum nihil in vulneratione proximâ, laceratô femore, contigiſſet. Dum enim (haud ità procul littore) reliquum declivis dorſi, properatione malè conſultâ, decurrere, breviaréque conor: ipſo feſtinationis ſtudio, velut impetu propulſus, detrudor; ac præceps devolvor. Inter decurſum porrò, cujus cohibendi jam nullo modo potens eram; plantarum unam, excalceatam, ad paliuros obſtantes peratrociter affligo. Genus eſt hoc Indicæ ſpinæ ſylveſtris; truncô pariter ramíſque ſpiſſis: aculeis autem, non qualibus Europææ, brevibus, macris & ſemidigitalibus; ſed in præcraſſam longitudinem, & veruti figuram, exeuntibus. Sentires; cum ſolo barbaricô, germinis etiam hujus mores & formam, concordare.

III. T A M ſævâ tunc igitur peſte, vi moléque totâ devolutum pedem, indueram. Sed (quod in atrocibus plagis uſus fert) ad primum recentis vulneris calorem, aut nihil, aut vix notabilibus punctiunculis, indolui: quippe ſtupente ſenſu, ſanguinéque fluxum diſſimulanter ſuſpendente; propter ipſam penetrationis immanitatem, & alti-

titu-

titudinem. At, ſimulac de lapſu gradum recollegi; plantis, &c, ut opinabar, inceſsûs officio priſtino, reſtitutus: tum enimverò, tum primùm diris intimíſque cruciatibus mactari ſum cœptus. Statim itaque, proximâ quâque captâ ſeſſionis occaſione; pedem ſaucium exporrectum, oculis atque tactu ſollerter exploro. Tres reperio truculentos è ligno mucrones, clavorum inſtar; qui cruore largo, non jam rorabant, ſed ad rivuli propè morem ſcaturiebant. Nam, ambulandi ſtandíſque pertinaciâ, preſſum initiò ſanguinem, protervè prolicueram. Eripio ſtatim, reluctanti licèt plantæ (ſpinas dicam, an planè radios duos?) & eos ipſos ſcilicet, qui manûs extrahentis imperium promptiùs ſecuturi videbantur; quíque præcipui doloris incendium ſuſcitârant. Eos cruoris, non tam profluvium, quàm impetus quidam, velut è ſiphonibus propulſus, conſequi cœpit.

Sed parva viſa ſanguinis jactura: dummodo plagæ ſe furor remitteret. Ea, tertiâ ſui parte, reſederat adhuc intrà nervos. Præter plurimam enim reliqui corporis lacerationem; unum inſuper in calce telum ſæviebat: quantô latentiùs profundiúſque, tantô confidentiùs, & implacabiliore cruciatu. Nitebar equidem & tertiam iſtam ſpinam eruere: cæterùm, linquentibus animi membrorúmq; viribus, irrito ſucceſſu. Quid; quòd vepris præfracta radix, non permittebat ſe prehendi? manúmque correpturam, intractabili latebrâ fugiens, eludebat? Quare deſperatâ tandem evulſione, ceſſo; paliurúmque

que retineo. deinde, quod unicum ſupererat, ad littus atque ſocios, claudicantem gradum adurgeo. Quò poſteaquam teſtudineis paſſibus pervéni: reperi comitum pleroſque, ſed alium alibi; ſuper æquoris marginem ſparſos, appuliſſe. Quærebant ſuam ſinguli quietem atque ſitum; ſuis quiſque rationibus accommodum. ego verò, remedium, atque medicum. Nam tanta fuit infixi doloris rabies & crudelitas; ut nullo me loco conquieſcere, nullo recreari ſolatio, pateretur. Vix ſpiritus, & vitalis aura mihi meare: linqui mens atque præcordia: vultus crebris palloribus albari; fúgere vigor & acies oculorum. Ad ſummam! ſemianimis, ac pro depoſito, jacebam. Nec erat hæc muliebris & evirata quædam imbecillitas. Cauſſæ, caſúſque ſanè graves; non valetudinem tantùm, ſed & animam, obſidebant. Inprimis; reliquiæ terrorum atque conſternationis, ex recenti COMPANEROSAE funere. dein, moles ac languor itinerum: tum, corpus univerſum, rhamnis & ſtipitibus conciſum; ac (ſuper hæc omnia) defoſſa, ſub ima ſolea, nequam & barbari furoris ſpina: quæ fluentem ex aliis undique vulneribus cruorem, alio novo, doloſioréque tormento, cumulabat. Ad hæc; biduana jam inedia, ſudor ex ambulatione peramarus, ac perpetuus tridui præcedentis nimbus. Hujus, tametſi denique finiti; tamen aſſiduus mador, nullis unquam ſolibus, nullius pyræ fomentis, ab amictu pelléque depulſus fuerat: cujus proinde gelido rigore, tametſi roboris aliquid habuiſſem, tamen amiſiſſem; propter continuam illu-

illuviem & ſqualorem. Ac neque tunc quidem horum, quæ dixi, malorum finis. Nox enim quarta jam adrepebat; non minùs atroci pluviâ minax & inhoſpita, quàm antecedentes ſeſe præbuerant.

IV. Tot igitur ſimul incommoda, meam adoleſcentiam, veluti conjuratione, proſtraverant; nec, quid priùs poſteriúſque facerem, ſuccurrit: donec PEDIOSAE mei demum in mentem venit. Illum tunc, per devia perviáque littoris me quæritantem; immodica ſollicitudo longiùs abſtulerat: ac *(quod in cura nimia plerumq; fit,) viarum error intricârat.* Et hoc ipſum ignorabam ego; ſed (uti reor) inſcitiâ, non improſperâ. quoniam alioquin & hoc PEDIOSAE malum, ad augmentum fuerat mei doloris valiturum. Sed ego, velut dictum eſt, errorum hominis ignarus: eum, tanquam unum de comitatu, turbæque mixtum, inclamo. Cùm non reſponderet: ſuſpicatus idipſum, quod erat, è proximè ſtantibus unum quempiam precibus adgredior; qui mihi, pedibus capto, PEDIOSAM acceſſat. Et ille nec tardus, nec infelix indaginum; ſocium, paullò poſt repertum, adducit: multis quiritantem, lamentantémque, quòd neque caſui meo (nam expoſueram homini) neque levamini, præſtò fuiſſet. *Quin etiam, tanquam vagum* (inquit) *& circulatorem te quaſivi; cùm littus omne circùm, ac promontorii prærupta, curſitarem, ac fortaſſe palarer adhuc, &* VICTORIAM, VICTORIAM! *inclamarem; niſi noſter hic, injectâ manu reprehenſum, in viam reduxiſſet.* Plura fuerat, in excuſationem allaturus ab-

ſentiæ ſuæ. Sed ego, colloquii protractio-ris hoc tempore fugitans, & moræ cujuſvis impatiens; *Non hæc hora, neque locus* (inquam) *apologiarum*, PEDIOSA; *ſed ultimæ neceſſitatis eſt. Ut totum ſimul ſcias; Itineris contentione, pluviis, madore, fame, præterea mentis deliquio, cunctáque calamitatis mole, preſſus jaceo: tanquam aliquâ de cœlo ſtrage, vel omnium in me fatorum ruinâ, peſſumdatus. Non halitus, non vires, ac ne ſanguis quidem, ſupereſt: quem ego, plurima corporis laceratione, copioſum profudi. Siquid autem hujuſipſius reliquum eſt; illud, intrà plantæ vulnera concretum, deterrimo pure tabóque me torquet. nam, ne neſcias: tribus prælongis, trucibúſque ſpinis, pedem hunc, ecce, per præceps afflixi!* (ſimul, ſicut principiò ſtatim, ità nunc iterum iterúmque, plagas ei commonſtrabam.) *Harum alteram, ac rurſus alteram; quia manifeſtiùs prominuerant, evelli confeſtim ipſe, meopte Marte. Tertia, quæ pedi fixa reſtat; tuam, frater, opem, tuas manus exſpectaret; ſi vel prehendi, cacè defoſſus aculeus, ſe permitteret; vel ego tantum roboris, ad pedem diſtendendum, retentarem. Horum neutrum cùm fieri poſſe confidam: quod his proximum eſt*, PEDIOSA; *Moriar, ſicut & nudiuſtertius* COMPANEROSA *noſter: & ad beatæ mortis leges, per animæ ſupremæ, præparabor; quemadmodum præparatus & COMPANEROSA fuit. Tu proinde Sacerdotem accerſes: ego vitam meam anteactam expiabo: quæ planè jam vergit, & extrema ſpectat. De corpore, poſt exceſſum; ut voles, ſtatues.* Facilis erit *in littoribus & arenis*, ſepulcri gratia: *quam tu propinquè tuo* (*tametſi de te quandoque*

ſequio-

ſequiora merito) nullo paratu, nullu impendiis, exſtrues. Explebunt omnia pietas,& manus tua: quam cadaveri meo non gravatè commodabis; veteris immemor offenſa, tuúmque ſecutus morem: quo ſemper in Bono Malum vincere *conſuevisti.*

Talia prolocutus, effundo lacrymas; & ad parem fletum jam pridem etiam PEDIOSAM impello. Cæterùm ille multis & rogabat, & conteſtabatur; *Non id videri ſibi rerum momentum: nec eum eſſe Fatorum articulum, defungendum ut foret. Omitterem modò fractum &* effœminatū *animum* (nam *reddidit ille mihi*, quanquam manſuetiſſimè, *vetera mea verba*; quibus uſus quondam in languorem ejus fueram) *Potiùs, adversùm tam deſperata mentis decreta, novâ firmitudine pectus erigerem.* Tentanda priùs omnia; quàm ad vitæ neglectum, *& mortis obſtinationem*, devolaretur. *Ac profectò nec paucos, nec incelebres, liquiſſe vitam, non ob aliud, quàm, quòd priùs animum deſtituiſſent: obitûs nullâ neque vi, neque cauſâ; ſed imaginationis ſolius vigore, rabiéque.*

CUM in hæc ego negarem ac pernegarem; ulteriùs aut paſſum unum, aut adeò pedem me promoturum(nec enim poſſe)milliéſque potiùs demoriturum, quàm unicam etiam decempedam progreſſurum: Pedioſa primùm ſtupens corriguit. Mox, ubi ſe collegit; *Atqui, non id* (infit) *diſputatur, Ambules? an ſubſideas? ſed id ſolùm, Moriaris? an ſupervivas? Hoc ipſum enimvero volo, mi* PETRE, *manere te, loco, quo manes: & jacére ſitu, quo jaces, immotum & imperturbatum. At ego, chirurgi*

chirurgi ſuſceptis interea partibus; veprem; totius mali caput, è pede proliciam: & hoc ipſum, tractu quàm fieri poterit, indulgentiſſimò. Matris, *dices*, non medici; *multóque minùs, carnificis, hanc* fuiſſe manum.

In hæc verba, quanquam & antehac pronus ad id conſilii; tantò promptiùs acquievi ſuadenti: quoniam in PEDIOSA cernebam, *non linguam magis, quàm affectum, loqui.* tanta morum erat in eo juvene ſvavitas; tantus ad opitulandum ſenſus ac pietas. Ergò; *Fiat*, inquam, *fiat ſanè; quod primùm omnium opus factu cenſes; etiam me ſubſcribente.* Cúmque dicto, *plantam* homini plagámque *prabeo: ſimul os & patientiam; ad quemcunque cruciatum*, animosô ſilentiô, devorandum. In quo *fortiùs profectò locutus ſum, quàm præſtare cogitáram:* eo metu, ne me rurſus, ut fœminam, ſodalis argueret. At ille, tardè quidem, nec ſine doloris acerrimo ſenſu; tamen ſoleam ſauciatam aggreditur. Mihi, cùm ejulare prorſus jam eſſet in mente; tamen vox & Animus, præter ſpem, conſtiterunt: illéque ſerò, ſed tandem tamen, ex intimo puncto ſentem extraxit. Horridus is erat, mediusfidius, ac prolixus: &, ſiqua fides eſt experto dimenſóque; Calamis ſcriptoriis habitior ſpiſſiórque.

V. POSTQUAM autem, adgratulante plurimùm PEDIOSA, doloris ſævitiem concoxi; *colore magis, quàm animo, mutatus*: primò cruorem, largè fluitantem, non ſine ſenſûs ſtupore quodam excepi. Mox injeci manum ipſe ſedi vulneris: &, utráque palmâ compreſsis plantæ lateribus; ſanguinem ex intimis,

mis, & quàm profundiſſimè, prorumpere coëgi. Sed ſenſim, ſubintrante diductam plagam nocturno frigore; pes ulceroſo quopiam horrore cœpit obrigeſcere. ſimùl cæterorum quoq; vulnera membrorum recruduêre; non ſimplici, neque contemnendo, cruciatu. Sed me perinde nihil, ac languor & laſſitudo, contuderant; planè viribus fractum ac defectum. Itaque, totus in quietem intentus; PEDIOSAM jubeo (quoniam jam nox ingruerat) in proximo ſomnum capere. nec enim, quod amico porrò præſtare poſſet, deberét ve; reliquum videri. Cæterùm ego, ſicuti ſtratus eram, ità decumbo: *per ſolitudinis ſilentium indulturus dolorum ſecreto*. Simùl, ſiquis fortè ſopor plagarum ſenſum, inexſpectato ſuperventu, fallere dignaretur; in incertum intentus, jacebam. Sed me tunc quoque, vetus illa mearum noctium infeſtatrix, inſomnia circumſedit: cujus contumaciâ factúm, ut mihi nec à dolore mentem ſevocare, nec adeò ſaltem oculos ſubmittere liceret; quod minimi tamen, etiam quietem ſimulantibus, laboris eſt.

Subiit denique, ſic pervigilem, nuperi caſûs utilis recordatio: quando, nocturno per ſcopulos delapſu, fœdè femur & corpus omne proſciderам; & mox tamen compendioſam, ex ſubterlabente ſalo, medicinam excogitâram. Cùm igitur de pari ſucceſſu ne nunc quidem diffiderem, in tantâ præſertim pelagi vicinitate; connisſus utroque cubito, ſtratum allevare corpus adgredior: ſenſímque totâ mole membrorum in pedes erectâ, gradum ſuburgeo; proximi littoris alluvio-

nem perſecuturus. Sed neque pes imperio parebat, vulnere tardatus: nec, ad æquoris tutos acceſſus, ulla fax, aut Lunæ nitor, ſubſidio veniebant: per nubes interim & redivivas pluvias extincto cœlô. Ne grallis quidem fulcire greſſum, datum erat; ob penuriam. Quod unicum ergò poteram; gladiô, proximè receptô, tanquam fulcrô, ſubnitor. *pro Lampade verò, viarum duce, Spem bonam, & Genium tutelarem, aſſumo.* Comitibus hiſce, prætentando manibus ſimul pedibúſque ſalebras occurrentes; tandem ad rupem quandam pertingo, littoralem: &, quantū ex alluentium ſonitu fluctuum conjectabam, pelago ſuperimpendentem & immerſam. Ad hujus extantem quempiam procurſum, per tenebras, ac temerè delatus; ſcopulum, brachio toto fortiter circumplexum, aſtringo; ſemiſeſſitantis ſitu, quoniam aliter non licebat. Afflictum autem pedem undis ſubterlabentibus intingo. Confeſtim, ſalis acrimoniâ plagas ſubeunte; concreta ſanguinis liquefieri, ſolvíque cœpta: ſimùl, inflammatione nervorum, doloris vigor incendi, cruciatu grandi; cujuſmodi, neſcio, Spartanúſne quiſquam, aut Calanus Indus inter ignes, ſine gemitu diſſimulâſſet? Pervici tamen ego, (ſiquid ſolitario, teſtibúſque deſtituto, creditur) nihil quiritans; ad horæ quartam, plus minùs, partem indimoto retento crure, perpetuos inter morſus ſaliti gurgitis; donec ſatisfactum patientiæ pariter curationíque viſum. Tunc etenim, damnatô tam atroci lavacro; derepere ſcopulô, veteríſque

riſque requietis coloniam repetere, ſum exorſus. Neque nihilô remitti dolor; paullatímque, dilutâ ſanie, venarum recolligi vires, & robur nervorum pedeſtrium inſtaurari. Quod lenimentum (opinor) ſibi conſtitiſſet in longum; niſi mea temeritas ac feſtinatio, nullo remediis indulto ſpatiô, continuò profectionem reſumpſiſſet. Sic ambulationis contentio, laceratâ planta, doloris ſenſum, jam utcunque compoſitum ſopitúmque, refricuit & irritavit. Quare progreſſu, quem inſtitueram, antiquatô; ſtatim in proxima maris crepidine, ſecundùm rupem, ſubſidére compellor; temporíſque potiùs, quàm meis legibus, obſecundare. Quid autem porrò, demitigando vulneri, per opaca noctis aggrederer? Venit in mentem, intimam corporis tunicam, lino textam, concerpere. Quod equidem nulla morâ (ne mox fortè pœniteret) facio; laciniámque molliculam ſaucio pedi circumvolvo. Sic ſanguinem, modò largiùs ſtimulari cœptum, ſupprimo: ſtatímque doloris aliquod, nec mediocre, temperamentum ſucceſſit.

Cæterùm non eodem vel temporis vel remedii compendiô, corrigi valuit reliqui corporis imbecillitas: utique, corde potiſſimùm, poſt tantum undique dilapſum cruorem, vehementer imminuto. Cujus proinde debilitatione; cùm, obligatâ plantâ, rurſus in viam me darem: pauculos poſt paſſus exactos, relabor; exanimi ſimilis. Ibi tum, quoniam mari proximus, ità ferente caſu, jacebam; ſicuti concideram, immoto ſitu noctem

eam, quàm longa fuit, univerſam perduro: ne quo corporis ulteriore promotu vel agitatione, ſubjectum in pelagus devolverer. Illic, non ut antehac, inclementi ſum uſus ſomni fortunâ. nam haud ità multùm ante crepuſculi principia, quaſi per luſum conſopitus; ſtertere præter morem, ſum exorſus.

VI. Post temporis aliquantum; nondum etiam plenâ luce, ſuſcitor ipſe mecum, & conſurgo. Mox Pediosam; adhuc in propinquo pridiano quieſcentem, expergefacio: vocibus amiciſſimis, ſed cujuſmodi vulgò tamen alacres convaleſcentéſq; tollere clamorem ſolent, increpitum; *Quouſque, frater?* (inquiebam.) *Quin potiùs effricamus tandem oculos? & grabatô tam molli proripimur? Age verò! ſodes: &, quia pes læſus caterorum aquare curſum non valet; ambulemus, quoad vires permittunt, in anteceſſum. Ità, quanquam egreſſu multùm priores; tamen nihilominus non ſine mole, ſub extremum comitibus ſubſecuturis, in contubernium conjungemur.* Non repugnavit poſtulatis bonus Pediosa; ſed (ut erat ad aſſenſum facillimus) *Crucis figurâ frontem conſignans, & ſtratô corpus allevans,* ſtatim eſt iter ingreſſus. Cæterorum autem compellavimus neminem; ne fortè per turbam conſurgentes illi, me debilem ſuo more præcederent, atque deſtituerent. Et jam ambulationis aliquam nactus eram aſſuetudinem; redditâque membris & poplitibus firmitate, paullatim ſolidiùs incedebam. Planta quoque, cum ſuo vulnere, ſatis me clementer habebat: nec jam quidquã omnium tam atrociter nos, quàm fames, infeſtabat.

Cùm,

Cùm, ecce! præter ſpem & ſolitum, ſingulari Numinis beneficiô, littoris quoddam in vadum incidimus; quod cancrorū copiâ, velut de compoſito, pérque luſum, exundabat. In eos ego confeſtim, nullâ ſauciati pedis habitâ ratione, per aquas ſalſuginoſas, irruo. Punctô temporis, obſonium nactus idoneum atque copioſum; prædæ *partem unam in poſteras neceſſitates, recondo.* partem autē alteram, nullâ coctionis curâ facultatéve; ſicut aquis extraxeram, ſic crudam, in ſtomachum demitto. PEDIOSA verò meus, quanquam & ipſe famelicus, nec oblatam ſortem repudians; tamen non tam veſcebatur, quàm epulantem me reſpectabat & ridebat; *utpote, non ità multò priùs emori certum; & nunc tam ſtrenuè comeſſantem.*

Porrò tales inter lautitias, alacriùs aliquantulùm promotô paſſu; ſub ipſum ferè meridiem, ad fluvium appellimur, ignotæ (ſicut in pleriſque cæteris) appellationis. Is, Septentrionis è plagis ac montibus, longô devolutus tractu; poſteaquam, in progreſſu, complurium rivorum fontiúmque bibit acceſſiones: ad extremum, propter amplitudinem, æſtuarii more diffunditur; vaſtus ac ſpatioſus alveô: Maréque, quod Zurium ſeu Pacificum nuncupant, quovis oſtio ſinúque validior, irrumpit. Ponti veſtibulum quoddam, atriúmve, nominares. Sed nobis quidem (quâ parte ſe paſſus amnis eſt adiri) ſpem fecerat, ex ipſa ſonorâ latitudine; poſſe totus vadô ſuperari. Nec enim, quæ ſpatiô valent ac ſtrepitu, flumina; perhibentur vulgò cum inſidiis profunda. Nos igitur, *(quod*

bene feliciterque cederet!) amnis alveo noſmet committimus. & hoc quidem pedeſtres; quoniam & navigiorum inopes, & uterque nandi rudes, eramus. Facilis principio, pacatúſque tranſitus, moleſtiâ cariturus erat: niſi, quam ſalſus torrens, ex æquoris propinquitate mordax, læſo pedi creabat. Ac nec unda quidem immodica, lumbis altiùs corpora tinxerat; etiam illic, ubi ſumma fuit: donec ad fluminis ferè medium ventum eſt. Nam tunc & altitudine creſcente, non ſine vorticibus; & aquarum impetu violenter obvia raptante: labor progrediendi deprehenſus eſt, manifeſtè temerarius & irritus; præſertim, omni tranſitûs inſtrumentô ſubſidióque nudatis.

Celeriter igitur (dum adhuc res & periculum ſinerent) retrogredimur;in ripa citeriore, quam reliqueramus, ſocios,& conſilium, præſtolaturi. Neutróq; fruſtrati ſumus. Nam & comitum aliquot interim eôdem jam acceſſerant: ac cæteri, ſuper alium alius, adventabant. Qui verò convenerant: compertâ, relatu noſtrô, diſcriminis magnitudine, decernebant in medium; ratem in trajectum inſtruere. Nec defuerunt ſalutari conſultô multæ manus: quantumvis ad paucitatem redacto noſtrorū comitatu. De numero quippe juvenum quinquagenario ferè, quos nāvarchi mendax promiſſum navi quondā extruſerat; ad viginti quattuórq; capitum nomen, omnis turba reciderat. Cæteros omnes, ad hunc uſque diem, alium itineris labor; alium fames, ac dulcium aquarum penuria; quoſdam etiam fluctus & incerta gurgitum

in flu-

in fluviis æſtuariiſque, deleverant: ſi *Novem ſolos* excipias, ex univerſo cœtu. Iuvenes hos, natandi peritiâ præſidentes; ſpes compendii, redimendíque circuitûs deſiderium, ab noſtro corpore divulſerat. Id adeò, diebus proximè lapsis, evenerat: oblatâ ſinûs, neſcio cujus, maritimi commoditate, tanquam viarum breviariô; cùm tamen reverâ potiùs ambages eſſent. Nec id odiô faſtidióve noſtri fecerant; ſed intempeſtivâ ſanè properatione, profectionis aliquando tandem (velut dixi) claudendæ. Quorum ego caſus, & exitum, in tempore percenſebo. Tantiſper, ſuis erroribus eos & ærumnis relictos, ſtylo differam: & operis ferè decurſui ſeponam.

Nos interim (ut ad narrationis ſemitam revertar) in unum collectos cœtum; fabricâ ſollicitudóque ratis, diſtentos habebat. Curam injecerat aſſiduus amnis aſpectus, & periculi proviſio; ne fortè compages parùm firma ſolidáve; néve futilibus vietíſque vinculîs, aut fragili ſparto, compoſita: néve cæterîs ad trajectum armamentis deſtituta, vectores mergeret citiùs, quàm tranſportaret. Cumprimis ergò trabium circumſpectus, & ramalium cum delectu congeries; diem illum reſiduum, ac poſterum univerſum, inſumpſit.

VII. Sed, priuſquam materiem contraheremus; primùm omnium colligendæ paſtu vires, & inſtaurandum robur erat; utpote, triduanâ jam inediâ pleriſq; noſtrũ fatiſcentibus. Statim autem, ac citra negotioſam indaginem, ſuccurrit famentibus, illa, toties jam antehac opportuna, cancrorũ piſcatio: quos

tunc,per ripam vagantibus, ſors & fluvii vadum obtruſerunt. Adeò verò redundabat,inter tot licèt captantium manus, edulium: plurimùm ut me pœniteret,quòd in alimenta poſtridiana die toto cancros circumtuliſſem; jam pæne ſitu putres,& inſuper portatu graves: cùm tamen eandem nunc prædam, nullâ meâ moleſtiâ, nactus eſſem & recentiſſimam, & perquam copioſam. Adeò nempe verum eſt, quod prudentes ac pii vulgò ferunt; *Qui nimis in poſterum diem ſolliciti degerent: eos & præſentem perdere.*

Poſt hæc, è chalybe raptam flammam, foliis arefactis excipimus; &, toſtis perfunctoriè, moréque noſtrô, cancris veſcimur; cùm priùs in orbem temerè conſediſſemus. Hæc nobis erat cœna: quanquam alioquin necdum planè veſpera vérgeret; & ad noctis viciniam multum horæ ſupereſſet. Sed placebat nempe, jentaculum, prandium, ac veſpertinam menſam, conjunctis in unum ferculis, connectere; nec præſtolari *tempora convivandi*, ſed facere. nam horum utique *leges non curat Inedia.*

Paſtis ſaturiſque,reſtabat; etiam ſitim placare. cujus tamen importunitatem fluvius, qui ſedare debuerat,incendiſſet. Nam à maris affinitate ſalſedinem etiam ipſe, non diſparem, imbiberat; acrem prorſus, & mortalium potibus inhabilem.

Sed, mirô modô, caſus, & enimverò Numen,etiam huic malo remediũ oſtenderunt; cùm per amnis crepidinẽ,ratis cauſâ, lignatũ vagaremur. Id ejuſmodi fuit. Paullò ſuprà locũ,ad quem acceſſeramus;amœniſſimo naturæ

turæ prodigio, Fluvius, quem dixi, tanquam arcu quodam ingenti ſinuatur. Is, quotieſcunque ſoles (ut tunc, nimbîs deſinentibus) inciderent; vivam exprimebat ac fluentem iridem: fulgurantibus ex ulteriore ripâ, quaſi per picturam, aquîs. At pars amnis citerior (& ſcilicet ea, quam tunc inſiſtebamus; ripa) ſemicirculi figurâ, fluminis ſecuta flexum; ſylvâ prætendebatur denſâ viridantéque; cæterùm incompertæ ſtirpis arborum. Earum fœtus, Europæis minimè gnarus, clypeos imitatur; umbonis, ac reliquo formæ ſimulacrô: niſi, quòd omnis longi procursûs expers, exactâ rotunditate, ſcutū aut parmā antiqui moris effigiat. Cortex illius prætenuis gracillimúſque; tenacî nihilominus duritie malogranatum Indicum æmulatur. Grana ventre gerit nivei candoris: pulpam autem ambit, omnî ſaporis dulcedine comendandam. Hujus ut plenius experimentum ſumeremus; ramos hinc indè, ſanè prægravidos, quatimus, & excutimus. Ea cœnæ fluviatilis erant ſupplementa: raráq; (ceu deſertis in locis) menſæ ſecundæ bellaria nobis exhibebāt. En autem! iterum nos, ac tantò moleſtiùs, ſitis inceſſit; arefactis, ut reor, mellito guſtu faucibus. Ergo fontanam ibamus, per nemus, indagatum.

Id dum facimus; dictu mirum! quódque prima veſtigantium cupiditas non adverterat; univerſam illius ſylvæ ſuperficiem, ejuſcemodi, quæ deſcripſi, pomîs conſtratam, deprehendimus. Venti (ni fallor) & ætas, atque dierum antecedentium nimbi, dejecerant. Ea mox formicæ, velut non omnium temporum annonam, ſubodoratæ nactæque; roſtris ca-

tervatim invaſerant. Erant enim hæ beſtiolæ, non Europæarum in morem, graciles, ac puſillæ: ſed vægrandes, & obeſæ: præterquam, quòd populoſæ quoque, non viritim aut ſingillatim; ſed per ordines & exercitus, incedebant. Non erant autem contentæ delibationibus, fructuúmve ſemeſorum demorſibus: verùm, ingluvie memorabili, depopulabantur interiora quoque medullitus; fibrîs etiam atque granis, ad nudum uſque putamen eroſis. Supererant igitur volvæ tantummodo fructuum, atque cortices: quos ipſos tamen ambedere per eſuriem, & quaſi denticulîs quibuſdam circumſcribere, ſunt auſæ. Perterebrare verò, vel penitùs abſumere; propter tegumenti duritiem, non ſuſtinuerunt. Quidquid igitur inteſtini ſpatii vacuũ in pomis his fuit; id, toto paſſim nemore ſparſum ſtratúmque, continentes tot dierum ac noctium imbres impleverant. Concharum diceres teſtas, aut cucurbitulas, aquâ refertas. erátque lympha (quod ſtuperes) tam lucida claráque; minimas ut in ea glareolas, ac propemodum atomos & pulviſculos, numerares. NOBIS (ut, quos eo maximè die pluviæ defecerant) apta res viſa. Palmîs enim ac volîs; interdum etiam pileîs, excipere ſueti pluviales undas, in hunc uſque diem: tunc nativos hos cratéras, atque phialas, veluti divino munere ſubſtituta pocula, ſuſtollimus. Sublatis, ſinè mora pariter omnes inhiamus: & aquam verè dulcem, tanquam nectar, certatim exſugim⁹ exhaurimúſque; non abſque formicarum præconiis: ut, quarum aviditas non modò ſuæ fami, ſed & ſiti noſtræ,

ſtræ, prælaboráſſet. Paullò pòſt, aliquantâ jam collectâ ſylvulâ, conquieturi digredimur: & in amnis viciniâ, ſub arbuſtis, decumbimus.

Poſtero die, cum primo diluculo, manus & operam fabricæ ratis accingimus: partitíſque, quæ quiſque ſuſtineret, operibus, ac diſtributâ materie; laborem cœptamus. Tardè procedebat opus, propter ipſam, in tam ingens periculum (ut fit) diſtrictam curam: ne fortè fluminis amplitudini, vaſtitatíque, ſtructuræ parvitas parùm reſponderet. Simùl etiã defectus artis tardabat; quippe manibus, fabrilium inſolentibus, & inexpertis. Namque, dum *alius alium*, rudem rudior, *docere connititur, quod nunquam ipſe didicerat*; multitudine, malè cohærente, diſſoníſque clamoribus, *proturbabantur*.

Inter talia, dies etiam alter ſenſim abſumptus; nec tamen opus ad coronidem perductum: donec aurora denique tertia colluxit. Ea finem fabricæ, remóſque rati, dedit. In eam, dum ſarcinas ſocii comportant; ac ſtantes, quod fecerant, contuentur: diverſis animi ſenſibus, alius alium inſectando, commendandóve, diſtrahebantur. Ego verò, quoad trajectionis legitimum ſignum ederetur; tantiſper in ſylvam proximam, corporis cauſsâ, digredior. Mox autem peregrini nemoris miraculô, necnon ipsâ ſolitudinis amœnitate, longiùs longiúſque protractus; ad ſaltûs interiora, per otium, penetro. Quo loco *me*, non ſociorum tantùm, ſed & *meimetipſius oblivio (ſpeculantium vulgato vitiô) circumvénit*, & obruit.

VIII. Ar.

VIII. At, poſteaquam ad me, velut è ſomni profundo, reverſus ſum: celeriter reprenſo pede, ſtultitiam ipſe meam ac ſtuporem incuſare cœpi; quòd longius comitatu ſeceſſiſſem. Ergò, relictâ ſylvâ, regrediebar. Iámque ripam & locum, in quo ratis & ſocii ſteterant, recuperâram. Et ripam quidem ſtationémque, quales reliqueram, tales adhuc invéni. Ratem autem ſocióſque meos (prô malum!) non invéni. nam abſceſſerant, & certè nuſquam id locorum comparebant. Miſer itaque pariter atque miſerandus, non temperavi lacrymis; ſed cum clamore, *Tedioſam* & *Hiſpanos*, citabam. Nemine verò reſpondente; ſuſpicari, quod res erat, cœpi; Quoniam, nullô priùs monitô, digreſſus fuiſſem, & taciturno paſſu cunctos fefelliſſem: videlicet immemores oblitóſque mei; quin etiam, nec advertentes quidem, tranſitum amnis indixiſſe. Mox, commoditate non ferente moram, abnavigâſſe. Cæterùm in eo fallebar; quòd, obliquo trajeciſſe flumine ſuſpicatus, comites in ulteriore ripa requirebam; oculîs, voce, manibus, ac pilei jactatione ſignîs editîs; cujuſmodi ſolent relicti, vel remotiùs diſſiti. Tandem (quanquam omnino ſeriùs) ipſa mora, vagúſque circumſpectus, commonſtravêre ratem mihi, socióſque deſertores; jam pridem in æquoris alto volitantes. Etenim (velut poſtea didici) tranſverſo curſu ſursùm principiò, ſicut ars navigandi dictabat, ratem impulerant; magnáque manuum & remorum contentione, laborârant; ut ripam amnis, è regione poſitam, contingerent. Sed quamvis placidè primùm domitîs aquîs, ad

votum

votum conatus flueret: poſteaquam tamen ad alvei medium perveniri cœptum eſt; rapidi fluminis ablati violentiâ, nec propoſitum tenuêre, neque ratem. Hæc enim, ſecundo delapſu, ripæ tractum omnem citatiſſimè prætervecta; mox & oſtium amnis, eodem abrepta curſu, ſubiit & inſedit donec, contra deſtinatum, & clamorem vectorum, in alta pelagi raptaretur. Videbam id ego tandem; magníſq; vocibus eos revocabam. neque latebam clamans. Adverterant enim aures animóſque plerique ſociorum; & me deſtitutum miſerabantur. Præ cæteris autem PEDIOSA, pro ſuo VICTORIA receptando, totus erat in obteſtationibus & labore. SED, *quis adversùs torrentem conatus valeret?* aut, *quanam tam flexanima facundia maris impetum reflecteret?*

Dum ergo condolent illi; dum per confuſum reſponſant, & obtuſis vocibus advocant; dum in regreſſum palmulas & remos flectunt: momentò citiùs in Oceano ratis conſtitit. Vidíque, mortalium deſertiſſimus (nullâ ſanè ſodalium, ſed meámet culpâ neglectúque) calvam factam omnem opis occaſionem. In lacrymas ergò, quod unicum tunc relictum erat, plenâ jam flendi libertate (quia nemo videbat) reſolutus; *Et quid igitur?* exclamo. *Tot Ponti caſibus ſuperior, tot morbis, navali conflictui, Philippinarum erroribus, ſcopulorum & ſpinarum ſalebris, viarum vulnerúmque languoribus, & ipſi morti, ſuperſtes; in hoc tandem, iracundis mihi ſideribus ſum reſervatus; ut in ſæviſſimi fluminis inhoſpitâ ripâ, deſtituerer? ut me nemoris unius blanditiæ circumſcriberent, & poſt oblectamentum breviſ-*

ſimum

ſimum, Americâ ſimul atque comitatu; quin & ſalute vitâque, dejicerent. Hanc mihi vitam certò certiùs, vel avida nutrimentorum fera, montibus decurſura; vel, inter horrida vallium ſolitudinúmque, mœror elidet, ac triſtitia tabes: aut ipſa denique dies, rerum omnium inopiâ conſlictantem, finiet; ſi modò locô tam barbarô perſiſtendum ſit. Eſt autem omnino perſiſtendum, miſerrime VICTORIA! *Nam regredienti, quanam, obſecro, ſpes? quave ſubſidia? Progredienti contrà, ſuperandus immaniſſimus fluvius: vincendi gurgites, primò ſtatim vertice, natationis inſcium, in præceps contorturi: poſt hæc autem, in exitium manifeſtiſſimum raptaturi. Nempe;* Tantum malorum creat, deſertâ communitate, privatum genium ſectari! *Cujus herculè ſeceſſionis nunc pœnas, nec immeritas, dependo.*

IX. FLEBAM equidem his, & horum ſimilibus, queſtibus; moriendi non dubius: cùm ſocii tantiſper, extra fluminis oſtiíque rapacitatem jam conſtituti, retrorſum vertere ratem cœperunt; quippe, ſegnioribus paullatim aquis, quà pacatior maritimus fluxus incedebat. Senſim ultimæ fluminis oræ, quantìs fas erat, conatibus adnavigabant. Iámque tantâ propinquitate, cis, & ultrà, conſiſtebamus; ut alternas hinc & illinc voces mittere liceret, ac remittere: niſi, quòd adhuc ſermonibus, inſania gurgitum, & latè tumultuantis amnis ſonitus, obſtreperet. Clamabat ergò PEDIOSA meus, non ſecuritate ſuâ lætior, quàm diſcrimine meo conturbatior; *Sequerer, ſequerer! &, quoniam unica pateret per alveum & undas via; per alveum & undas*

undas audacter penetrarem quò locô manſuetior adhuc fluvius incederet, ei me committerem; priuſquam ille maris confinio miſceretur. Temeritatis quidem eſſe genus, cùm vecturâ poſſis,corpore ſolitario gurgites & Euripos invadere. Sed, adminiculis *neceſſariis* ſubtractis; *id profectò* proximum eſſe, Neceſſitatis ſtare legibus; *ſuúmque conſilium ad illius ingenium componere.* Si non poſſem,quod vellem; at vellem,quod ſolum *nunc* poſſem: *ac me ſcilicet profluenti crederem, natationis audaciâ conceptâ. Succeſſurum haud dubiè; dum modò conarer. At ſi timere, cunctarique, perſeverarem; defluxurum interim (unà cum amne) tempus, occaſionem, ratémque ſuam. Si confeſtim hoc, & in calore decreti, tentarem: utcunque conatus ſuccederet, me tamen hunc, ratione dictante, prudentérque, ſuſcepturum. Certéque, periclitari cum ambiguo, ſatius eſſe, quàm, cum ignavia manifeſtâ, perire.*

Dicebat hæc,& acclamabat, PEDIOSA. Pediosam verò cuncti, qui tunc ratem inſedebant, ſecuti; me conſenſu ſummô, magniſque vocibus, ad nandi confidentiam incitabant. In his primas facilè tenebat Hiſpanus quidam, excelſi vir animi; cujúſque ſub vexillo, certamine navali quondam, quod geſtum ad Margaritam inſulam memoravi, ſteteram. Is me, tanquam olim in ferrum,& piratas Scoticos; ità nunc in audaciam & aquas, ſtimulare; brachia jactandi modum, & artem, eminus commonſtrare; fluminis opportuna, quâ parte manſuetiùs vadoſiúſq; decurreret, digitis & baculo deſignare; trepidū adhuc & diffidentem, tanquam ſuæ militiæ degenerē, increpare; prorſus denique, verbis & argumētis omnium

omnium locorum, animum hæſitantem verſare. Docere præterea (*perſuaſibiliùs, quàm veraciùs*) fluvium ſpatiò profundóque ſui, longè, quàm appareret, minorem ferri. *Nec timendum eſſe quidquam: præter ipſum Timorem. Eo, ſimul ac ſemel, per animi magnitudinem, diſpulsô, rem omnem in expedito futuram. Iuncô leviùs plumáque nataturum; ſi generosè ſemel nandi diffidentiam abjeciſſem. Illâ ſolâ, nec aliâ facile ſarcinâ, corpora degravari: quâ demptâ, fluminum & ſinuum victorias, jam vix artem fore; ſed promptitudinem magnitudinémque mentium: paullatim autem, &, ad extremum, perductis in conſuetudinem brachiis, meriſſimum ac purum putũ luſum. Quòd ſi verba ſua probari vellem: enimverò ſe teſtem, ſe vivum ac certum exemplar, inſpicerem. Bati quondam* (aut, neſcio quo præterea violento flumine) *ſubverſum ſe; cùm de cæteris ſubſidiis omnibus deſperâſſet, ſalutem tandem ab iſtis* (quæ monſtrabat) *brachiis & ab animi robore, ſumpſiſſe. Sibi tunc nec opitulatum quenquam, nec inſtructum, ac nec ad ſolatium quidem adſtitiſſe cùm extremè tamen periclitaretur. At mihi ſociorum hortatus in ripa; mihi dictamina, tótque manus, præſto ſtare. Seipſum inſuper (ne dubitarem) ſiquid adverſi contingeret, adfuturum in loco temporéque. Se, corpore fluctibus immiſsô, contraventurum periculis meis; etiam cum ſui capitis diſcrimine.*

Quod Vexillifer meus; idipſum & omnes affirmabant; ut adeò jam pudor eſſet, & *irreverentiæ* cujuſdam *incivilis ſpecimen*; *Adversùm tot amiciſſimè monentes, gerere clauſas aures*. Non me tamen interim fallebat; ab illis nonnulla magìs ad plauſum, ac perſuaſionem;

nem; quàm ad ſenſum animi, verúmque, jaſtari. Memineram etiam; non paucos, & ex hoc ipſo quidem ſodalitio, nuper ad plures abiiſſe: vorticibus & alveis hauſtos. Illis, in ſimillimo caſu (quod in infelici BALBOA videramus) principiò jocum & luſum fuiſſe, tentamen fluviorum: poſt autem in periculum interitúmque vertiſſe. *cùm in oculis meis mergerentur, ut Icari; qui ſe prius auribus noſtris, ceu Dædalos, venditârant* Hæc ego, quanquam probè callerem, ſic ſe, nec aliter habere; nihilominùs erubeſcebam, tot fortibus viris oſtendere toties pallorem meum. Cúmque reputarem ipſe mecum; *inter multos Naufragos, non deeſſe, qui vel ſine tabulis enatarent, ac ſuopte (quod ajunt) Neptuno: conſtitui* denique cum animo meo; Non tam illorum adhortationibus, quàm DEO T. O. M. me credere: *quippe, cujus in manu ſita, cujus è digitis pendula, ferretur omnis mortalium incolumitas.* Quòd ſi tamen mea ſalus hujc ipſi Numini cordi non eſſet: ſi fortè decreviſſent æternæ leges; PETRUM VICTORIAM ab innominati fluminis aquis præfocari ſepelirique; *Præſtare* profectò; *perire* SEMEL, *quàm periclitari* SEMPER. Quæ cùm mecum per ſilentium, atque breviter, expendiſſem: Socijs (tanquam Senatuſconſultô clausô) reſpondeo; *Futurum me libenter, eorum in arbitrio: confeſtímque, quà juberent, ſecuturum.* In hæc mea verba, cùm plauſum omnes manu, voce, remíſque tollerent; nequid ego tamen, impropitiatîs cœlitibus adorirer; poſitîs in ripâ genibus, ad auguſtiſſimam DEI Genitricem, hunc in modum, vota nuncupo; tacitéque lacrymîs inſuſus;

fuſus; O, *Mater*, inquam, *ô Virgo: rerum omnium (ex Filio tuo) potens, & univerſitatis hujus Imperatrix!* *Tuum, ab incunabulis meis, magnum ſemper apud me nomen, ingens auctoritas, & plena venerationis majeſtas, fuit; eſſéque debuit. Hujus affectûs piâ fiducia; quòd à Filio tuo Divino, meis abſterrentibus delictis, non auſim: Abs Te ſupplex contendo nunc, & efflictim expoſco. Succurre miſero; fer opem deſtituto; fove firmáque debilem. Sentiat præſentiſſimam tuam, in aquis, dexteram hic* PETRUS: *ſentiat opitulatricem Reginam illam; cujus Nati manum, in ſtagno Galilæo, quondam eſt expertus Apoſtolus, mei nominis, & ſui collegis, princeps. Ecce, profundum fluminis alveum! ecce, vita mea certam voraginem! Sed tê,* MARIA, *Te præſente, te ſuppetias portaturâ; nihil eorum expaveſco.* PROFUNDIOR omni gurgite, tuæ Miſericordiæ ſinus eſt: potentius omni naufragiô tuum Sidus, ô STELLA MARIS! *Affulge mihi, clementiſſimô tui favoris jubare.* TUOS, *Illos tuos, gratiis exundantes* OCULOS, *ad pericula mea deflecte. Nec immemori, Domina, nec ingrato, beneficium impénderis. Nam, me curante, meis aſſibus; ut primùm in Templo Chriſtiani ritûs figere pedem licuerit; ſacrificiis illic aliquammultis, Filius tuus incruenta* PATRI *ſuo victima litaménque fiet. Hoc votum eſto! Sic tu, glorioſa Regina, periclitantem adjutes; ſicut ego tibi, ſervatâ ſalute, promiſſam hoſtiam exſolvam: Tuóque nomini gratus ſemper & addictus perſiſtam. Quòd ſi verò de mea ſalute ſeciùs cœleſte decretum ſtatuerit; &* VICTORIAM, *placuerit, undis ſuccumbere: Tu tamen hanc, Patrona Mater, animam contamina-*

taminatam, tuis ſatage precibus emaculare. Defende favoribus, ac facundia: demùmque, fluctibus hu elutam, in divinæ clementiæ portum tranſporta; perpetua REQVIE LUCEque *fruituram. Satis incolumis enatare; ſi ſpiritum meum extremum, ad æterna ſeveritatis, ac Iudicii, ſcopulum non afflixero.*

X. SIC precatus ego; jámque pridem alium verſus in hominem, vix ut eundem agnoſceres: toto corde corporéque robur indueram. Dicam iterum, dictu licet mirum & inſuetum! Novos ſpiritus, nervos alios, & inuſitatum pectoris vigorem, aſſumpſeram. Iámque, *Numinis ac Mariæ beneficiô*, tantum animorum erat collectum; ut, ſi vel nemo ſtimularet, ultrò periculum auderem. & flumen illud (quanquam latiſſimum) non ultrà, quàm rivum, ducerem; unico ſaltu ſuperabilem. Haud ergò longiùs cunctandum ratus; ne fortè (more ſuo) tepeſceret recens impetus: DEO *Ter Maximo* me committo; quem profectò, ſentiebam, in me ſpirantem, & animos ſuggerentem. Poſt hunc, Magnæ Matri, cujus ductricem agnoſcebam manum; & ad extremum amni, me credo. Sic periculoſi moliminis opus, Quod bene fortunatéque verteret! aggredior: ſigno tamen ſalutiferæ CRUCIS, *ex veterrima Chriſtianorum caremonia*, præmunitus. Rideant licèt, & explodant, orthodoxæ pietatis pariter & Hiſpani nominis oſores; quibus omnis de MARIA, *déque Divorum interpellationibus & auxiliis* ſermo, nugæ ſunt, & Phrygiæ fabulæ. *Majoris equidem, hiſtoriæ veritatem nudam*;

nudam; quàm illos omnes, ſuis cum libris, facit. Stylus hic, tam mei juris eſt; quàm illorum arbitrii, naſus eorum atque ſanna. Siqua fides igitur, cœlum atque Deum teſtanti: *ſiqua* calami vel *ſermonis auctoritas, homini, nullum habituro mendacii pretium,* niſi ſupplicium ſempiternum; non tranavi (lector) tranſiíve flumen; ſed placidiſſimè fluxi. Quod verum eſſe; tot ſpectantium in ulteriore ripa, tot obſtupeſcentium, religioſum teſtimonium firmare poteſt. Quid igitur erat? aut in quo facilitatis hujus compendium vertebatur? Etiam hoc non diſſimulabo; nequâ parte beneficio cœleſti minùs gratus reperiar. Ecce namque! Tametſi (contrà, quàm PEDIOSA; contrà, quàm Signifer meus cæteríque, promiſerant) nec amni ſua profunditas, nec profunditati ſua pericula manifeſtiſſima deeſſent: mihi tamen tunc, ad hæc omnia deſpectanda, tantopere mens divinitùs obfirmabatur: ut vortices etiam, & latentibus petris illiſos fluctus, nec pili facerem. Quin & à ſociis animorum acceſſio non mediocris, felicitatem transfluxûs adjuvabat. Succlamare namque cuncti; velutíque nautico quodam claſſico proritare, manibus, ore, comploſionibus. Præter hæc, laudibus, & omni blandimentorum arte, tanquam adhuc trepidantem, incitare. Denique prorſus omnia facere, quò diſcriminis ſenſum & contemplationem obruerent; & ſi fieri poſſet, ex omni cogitatione mentis evellerent. Cæterùm, revera nihil opus his omnibus fuit, apud animum meum: quippe pavore, per ingens pectus; & natationis inſcitiâ, per cœleſtem alacritatem,

tem, correctis, & ſuppletis. Ad ſummam! Senſu mentis in DEUM evibratô; cæteram cogitationum ac timorum turbam, in citima ripâ reliqueram. Simùl oculîs inconnivîs, in aſpectu Sodalium defixis; COR meum (quod ſolum & unicè priùs palpitaverat) in Divinæ VIRGINIS manus depoſueram: utrique ſorti paratiſſimus. Et depoſitum illa, cum fide, fovit: fluentémque me, ſubjectîs quaſi palmis ſuîs (ità prorſus ſenſi) molliſſimè ſuſtentavit. Sic in fluminis ripam alteram ſum tranſpoſitus: tranſitu non modò ſecurô ſalvóque; ſed per omnia facillimô, voluptatíſque pleno. Quæ dum fiunt, etiam id magnopere demirabar; quòd, pede tam atrociter ſauciô, non tamen *ullâ nervorum convulſione* contractúve (*natantium vulgari malô*) neque vulneris ſenſu, tentarer. Mirati ſunt & ſocii: quorum etiam rudiſſimus quiſque, quanquam cæteroqui divinorum incurius; tamen divinam in hoc negotio manum, & MARIAM *Thaumaturgam*, eminus cominúſque clamabat. Poſteaquam autem & in ripam, præſentiámque comitum, evaſi; certatim omnes in gratulationem & gaudium erumpere: me, pro ſe quiſque (ſed præcipuè PEDIOSA, Vexilliférque) dexterîs atque complexibus, inſtringere: meum factum laudibus in cœlum ferre; non tam, quòd ſibi ſuíſque monitis, quàm, quòd DEO Deiparæque per votum (quod eis ſtrictim retuleram) conſtanter inhæſiſſem. Poſitîs & ego confeſtim in ripa genibus; Numinis opem, in AUXILIATRICE manu Matris ejus, adoravi; notaturus, ſi licuiſſet, amnem tam prodigiosè

M tranſ-

tranſmiſſum, æternæ memoriæ columnâ; vel Aræ monumentô. Sit ſaltem ille mihi (qui nomine caruit ab omni retrorſum ævo) deinceps amnis nominatiſſimus: dicatúrque poſteris, Divae Mariae *Fluvius*. Qui, dum fluet; dum prono curſu pelagus intrabit; ſit cultûs mei, ſit religionis erga Coeli Reginam, perenne ſignum & oſtentum. Attigiſſent utinam hujus obſequii venerationiſque punctum, etiam veteres illi, Iaſonis comites, Argonautae! qui (ſi Cedreno fides eſt, & idoneis auctoribus aliis) Æde magnificentiſſimâ ſuis manibus & impendiis, ad culmen perductâ: ſuo more, neſcio quod, Oraculum interrogârunt; *Eccuj Tutela nomini̇́que ſuum opus conſecrarent?* His (Deo, velut Sibyllas, ſic & illius oraculi Sacerdotem implente) reſponſum; Deiparae *dedicarent*; quod Græci per vocem Theotókon exprimunt. At Iaſon, ac Socii; *fabularum* (ut idololatræ) *quàm veritatis* & futurorum, *intelligentiores*: Templum illud Cybeli, turrigeræ Deorum Matri, juſsêre ſacrum. Sed emendavit errorem, multîs pòſt ſæculîs, Chriſtiana poſteritas: verámque Theotókon fabuloſæ Deûm genitrici ſubſtituens; delubrum illud, Zenone rerum potiente, vertit in ſplendidam famoſámque Divae Mariae, Chriſti Matris, Baſilicam.

AR-

ARGONAUTICÔN AMERICANORUM,

SIVE

PERICULORUM PETRI DE VICTORIA

LIBER VIII.

CAPITVM BREVIARIVM.

I. *Recepto Victoriâ, religatâque rate; progreſſi Hiſpani, alium in amnem incidunt rapidiſſimum, longéque ſuperioribus formidabiliorem; & procul renidentibus glebis ad Inſularum morem, ſparſum.* Comment. pag. 79. & 80.

II. *Ex virgultis viminibúſque, quæ de ſcopulis flumini prætentis dependebant, oblata amnis tranſeundi ratio: à Pedioſa impugnatur, à cæteris approbatur, & recipitur.* Comment. pag. 80.

III. *De virgultis ac fruticibus penduli, pone rupem, ſurſum verſus, ingenti ſpatio, & incredibili audaciâ laboréque, per fluvium enituntur. Submerſis duobus; in diverſas denique inſulas diverſi, poſt improbos conatus, & intolerabili ſub gelu, evadunt.* Comment. pag. 80. & 81.

IV. *Qui primam in Inſulam exſcenderant; Sacerdotis facetiſſimi optimíque ſuaſu, veſtes, flumine corruptas, ad nocturnos ventos ex arbuſto ſuſpendunt: & curſu membrorúmque agitatione multâ, calorem corporibus quærunt.* Comment. pag. 81. fin. & pag. 82.

V. *In Sylvulam inſulæ refugientes Hiſpanos, pulicum enormis magnitudinis agmen adgredi-*

 tur.

tur. hi morſuum importunitate, nemore Socios, quanquam contrà bellantes exturbant, ac mutare deniqùe locum compellunt frigore propemodum enectos, ob nuditatem. Comment. pag. 82.

V I. *Frigoris acrimoniam Sacerdos temperat, partim feſtiuis jocis; partim, receptâ ſub pallium ſuum expaſſum parte Sociorum. Verùm, quietis conſilium interrumpit formicarum rabies, exoticæ granditatis. De Pediculis Pharaonicis.* Comment. pag. 83.

V I I. *Prioribus evitatis, calamitas tertia gravior, miſeros involvit; maris exæſtuantis eluvio. Deſperantes de ſalute Socios, Sacerdos adducit, ad veſtimenta repetenda: quæ illi, Bacchanalitio ritu, ſibi circumponunt, neceſſitate adacti. Mortem opperientes, eventus rerum melior conſolatur; æſtu pelagi ſenſim in littus retrofluente.* Comment. pag 83. fin. & pag. 84. ac 85.

V I I I. *Orto die, vulnera inflicta recognoſcunt: mox, univerſo ſuperato flumine, Sociis etiam cæteris aggregantur. Sed dum, continenti totâ ſtagnante, procedere porrò nullâ ope poſſunt; retrogredi, veterem ad locum, conſtituunt: Tædioſa maximè conſilio, & nonnullorum pollicitationibus inducti; qui humana in vicino ſubſidia ſpondebant. Regreſſi, magnâ cum difficultate, locum nemúſque priſtinum, ſed non & ratem ſuam, reperiunt.* Comment. pag. 85. & 86.

I X. *In nemore illo, quattuor Americanos, eóſque Chriſticolas, deprehendunt; quos, poſt eorum nonnullam trepidationem, Hiſpani mutuâ ſalutatione complectuntur, déque vita conditione interrogant.* Comment. pag. 86.

PLACUIT

PLACUIT ſub hæc; ratem, quæ ſocios tranſpoſuerat, non diſſolvi (quippe nullâ tunc ignium neceſſitate) ſed potiùs, deligatam ad palum littoralem, in uſus caſúſque ſecuturos relinqui. *Quid enim? ſiquis fortè rerum deterior eventus, ut eſſe multi poſſent, ad eadem loca nos redigeret? In quónam tunc ſubſidium, niſi rate veteri, futurum?* Fuerátque futurum conſilium hoc non penitùs imprudens; velut in loco memorabitur.

Sed interim nos iter, triduô propemodum interruptum, reſumimus; more ſuo ſanè miſerum, invium, & multorum occurſu paluſtrium locorum, quin & rivis, interciſum. Ergo progreſſu tardiſſimo, ſpatium viæ perexiguum emenſi; ſub tertiam denique pomeridianam, ad novas appellimur difficultates, præcedentibus omnibus intricatiores. Amnis hic erat; amni ſuperiore nec anguſtior, nec impetu vorticibúſque manſuetior. Deſcendebat autem mediô, Septentriones inter & Occidentem Solem, limite; locorum tali poſitu, qualem nunc exſequar. Dextrâ, littus erat Zurii matis, arduum, præceps, inacceſſum omnibus (credo) ſæculîs. Ad lęvam; ipſe, quem dixi, fluvius, rupe perpetuâ, plurimùm editâ: quódque caput incommodorum; utrimque deruptâ, nec ullis aſcenſibus deſcenſibúſque ſuperabilî, prætenſus. Et ibat in immenſum, ſcopulorum longitudo; nec erat, eorum finem & exitum oculis aſſequi; quanquam in ampliſſimum ſpatium conſpicuô delabentis amnis tractu. Tantô porrò furore curſûs, & aquarum impetu, fluvius ad cautes frangeba-

tur: ut non modò prætermeantis fremitus fieret auribus horrori; ſed etiam incurrentis reſultus eſſet oculis miraculo. Nam relidebantur, & in paſſuum facilè vicenorum altitudinem emicabant undæ; quotiéſcunque petra paullò vaſtior & aſperior promineret. Tunc enim ſpumabant, perſonabántque latè crepidines: ac vel aſpectu tantùm, tumultúque, locorum ignaros conſternabant. Et tamen, inter hæc tam plena formidinum, tranſeundus amnis erat; niſi regreſſum malles: quem tunc utique deteſtabamur. Hærebat itaque cunctis, ad undas has, aqua: cùm hinc quidem impervium Oceani littus, illinc autem horridæ truculentæque rupes obſtarent, vix damis ibicibúſque perreptandæ. Quòd etſi cuiquam tanta fuiſſet ad natandum fiducia; quam nos, præconſumptis jam viribus, utique perdideramus: nulli tamen lacerti, nulla robora, tam vaſtum aquarum intervallum eviciſſent; tantâ præſertim gurgitum profunditate, quantam omnes cernebamus; tótque gyrîs, & turbinibus cæcarum voraginum, per amnem ſparsîs.

Inter tot arcta deprehenſis; unicum occurrebat, & id quidem ipſum præquam anceps: ſed, ut in tali rerum articulo, planè neceſſarium. Id eiuſmodi fuit. Apparebant eminus, in amnis ſuperiore parte (quà Boream ſpectabat) complures per omnem alveum inſulæ diſperſæ: vagæ, nullo ſitûs ordine, legéve: tanquam minores quædam, in Ægæo novo, Cyclades. Hæ, procùl æſtimantibus, videbantur nec loci ſpatiô contemnendæ; nec adeò ſitûs intervallîs inter ſeſe disjectæ; quò minùs in

aliam

aliam ab alia promptus tranſgreſſus aperiretur. Ità,ſpes erat; poſſe,de citeriore quaque, non difficulter in remotiorem perſultari,ſine luculento diſcrimine: dummodò primam ex his inſulam aſſequeremur. Verùm hæc ſanè quàm procùl, & Hiſpanam ut minimùm leucam, aberat; natatu laborioſiſſimo ſuperandam. Præter hæç autem,tametſi reliqua cuncta prona forent, & in expedito; confliƈtandum erat adverſo cum flumine: quod, etiam demptâ celeritate, tamen ſolo ſecundo defluxu ſuo, contra ſe natantes tendentéſve, laſſaret ac frangeret.

II. Haec,quanquam in hunc, quem retuli,modum, eſſent conſtituta; tamen ipſa natura, clemens quoddam, adversùm tot aſpera,temperamentum obtuliſſe videbatur. Dum enim anxii ſtamus, & in conſilia varia mentem dividimus: quod prima trepidatio,more vitióque ſuô, cæcutientibus abſconderat; diligentior ſubinde contemplatio monſtravit auxilium. Vidimus enim tandem; rupem illam,flumini prætenſam,quàm longè fluƈtibus allueretur, virgultis ac fruticibus præveſtitam. Et virgarum quidem viminúmque nonnulla, jam ævo ſqualida, vitalíque ſucco deſtituta: cætera verò viridantia pleraque, vegetis etiamnum medullis. Ea, promiſcuis inter ſeſe flexibus implicita, conſertáque; perpetuâ quaſi ſepe ſic colligabantur: ut unũ prorſus, & unius ſtirpis radicíſque germen, apparerent. Dependebant porrò,magnam ſui partem, iſthæc fruteta, faſtigiis in flumen pronis: ſic, ut vitilia profluentem (ut ſic dicam) aut biberent,aut certè delibarent.

Exclamat, hîs conſpectis, unus aliquis de cœtu noſtro, gratulabundus, &; *Bonam*, inquit *fortunam! Quin, omiſſâ deliberatione, moram omnem abrumpimus? & immittere torrenti corpora geſtimus? Ecce, naturæ matris ingenio, funes! ecce, natatûs retinacula, remulcóſque: quibus, tanquam in helciariâ navi, contra torrentis imperium enitamur in tutum. Corripiamus, ſocii, corripiamus utráque manu virgas: deinde pedum motu, ſubremigemus. Primus ego viam vobis, & modum, aperiam: vos autem, ſuâ quiſque ſerie ſubſequimini. Non abſurdum* (inquit PEDIOSA) *conſilium: niſi, ſicut ipſi cernitis, nihil hîc virgultis fragilius; nihil viminum iſtiuſmodi fide, fluxius exiſteret; ſiquis præſertim in frondes inciderit, jam aridas aut marcentes. Adhæc, corpora noſtra, tot incommodis exhauſta, tot itineribus, & innumerâ laſſitudine proſtrata; quomodo durabunt ad tanti ſpatii continuos ac pendentes conatus? quo robore ſuſtinebunt inuſitatum, inhumanum, & pleniſſimum exitii ſuſpendium? hæſuris è ſurculo tenuiſſimo molibus corporum, ad leucæ longitudinem; quæ tamen præ gravitate vix jam ad viæ terreſtris unicum ſtadiolum ſufficiunt? Præter hæc; illud miror, non tibi, non cæteris, in mentem venire; quod tamen propalàm in oculis eſt: Amnem hunc, immenſæ, nullíque (ſaltem noſtrum) compertæ profunditatis; ad rupis præcipuè radicem omni fundo deſtitui. Simul igitur illapſus fis (illabéris autem, in tanta virgultorum inconſtantiâ, facillimè) nulla mora, nulláque tergiverſatione, rapieris in alveum: deſcendes ut lapis, & interibis ut naufragus. Quin itaque potiùs, quantulum adhuc diei reliquum eſt, illud hîc ſeſſitando conterimus?*

rimus?

rimus? & in craſtini lucem aliquid melius exſpectamus?

NEGARUNT omnes; in PEDIOSAE tam deſperatam ſententiam, ſe conceſſuros. *Immò; quare non potiùs* (ſucclamat alius, ac, ni fallor, ego) *ſtatim nunc, & ab hoc puncto, difficultatem omnem vel perrumpimus, vel finimus? Qui nihil ſperat, nihil & deſperet. Quòd ſi verò moriendum eſt: in aquis profectò praſtabilius eſt, luctando cum fluctibus, ac fato celeri, defungi; quàm in continenti littoréve, ſiccos, famelicos, omnium egentes, cum lento pendentéque cruciatu, contabeſcere. Valeat vita, longúmque valeat; ſi, tot inter mortes prolatanda, duret. Sin autem quærenda ſalus eſt; per ſaxa, per undas quæratur: ut res magna magnò nobis conſtet.*

III. IN hanc poſteriorem ſententiam cùm iſſent omnes; ne PEDIOSA quidem ad extremum ſecus auſo: *tanquam in arena captò conſilio*, de ripa deſilimus in fluvium. & primus in periculo, qui primus in periculi ſuadela fuerat; undis, lumborum tenus, immerſus, ambabus manibus frutices comprehendit. Atque nunc quidem altior, nunc depreſſior; modò corporis dimidiô ſuperior, interdum ſupra ſcapulas, & ad colli confinia, demerſus; utroque pede, ſtrenuè natatum adjuvante, tam præceps promovebat negotium. Tum relictis, quæ primò prehenderat, viminibus; ex aliis ad alia ſurſum verſùm ſe transjiciebat, irrequieto corporis ſubſultu. Quod autem auctor operis & conſilii, ſub omnium oculis; idem omnes, ad illius exemplum compoſiti, naviter agebamus: urinatoriâ pæne temeritate viam, cæcos inter fluctus, nobis

M 5 aper-

aperturi. Par omnium labor, par clamor & alacritas, invicem hortantium increpitantiúmque; nunc voce, nunc ſcreatu, ſubinde plauſibus atque ſibilis: &, ſi quibus aliis ſignorum ſtimulis ardor incitaretur. Omnes in idem intenti negotium; ſed non iiſdem, ſicut ego reor, affectibus: cùm alii quidem verô magnanimitatis ſenſu geſtirent; complures autem (& inter hos ego quoque, meúſque PEDIOSA, ſi bene ſuſpicor) pectora, formidine trepidantia, jocô diffingerēt atq; verbis, coactâ fortitudine ſimulatis. Non eſt (mihi credite) non eſt omnino calamus, qui cum arte poſſit; neque ſermo, qui cum facundiæ dignitate ſe ſperet expreſſurum: quantum tunc molis, quantum luctæ, ſit exhauſtum, mediis in undis; cùm, ſuprà continuam defatigationem, nos etiam ſarcinæ noſtræ veſtimentáque, ſcapulis innexa, degravarent: cùm mador fluvii, cùm temporis hybernus rigor, intolerandô gelu corpora ſtupefaceret; cùm ſpumæ, cùm alga, cùm lutum & profluentis ſqualor, oculos atque capita cooperirent: cùm, deceptîs frequenter lippitudine proſpectibus, deſtinata ſemel vimina prehenſuras manus eluderent, atque præterirent: cùm creberrimè ſiccæ, vel arentes virgulæ, pro firmis ac viridibus arreptæ, defringerentur; fractæque, ſimùl molem corporum in gurgites abriperent. In quo ſanè tanta ſalutis erat & interitûs vicinia; nihil ut ad perniciem promptius eſſet ac certius, quàm parvula modò cunctatio. remedii contrà vix quidquam aliud, quàm incredibilis celeritas, in ſarmentis recentiſſimis comprehendendis.

Id

Id porrò contingere nulli poterat, abſque corporum agilitate dexterrimâ; ſubſilientium ac reſultantium, ſempérque de frondibus priſtinis ad frondes, & ſpes, novas transfugientium. Inter quæ tamen, ſinguli gurgites nos admonebant inevitabilis fati; quod nos maneret: tam utique ſpatioſo fluminis æquore, ſexcentorum jam funerum ſepulcrô. Quod enim aliis ante nos exitio fuiſſet, idem & nobis eſſe poſſe: quotieſcunque natantûm aliquis petræ radices, & virgarum faſcem, de manibus omiſiſſet. Id tandem è noſtro numero duobus evénit; quos virgultorum, æquô longiùs diſtantium, attactu fruſtratos, ſub oculis noſtris repentinus hauſit interitus; haud abſquē gemitu noſtrò. nec enim facultas erat, neque conſilium, ſuccurrendi periclitantibus; quippe nemine noſtrum non ſuíſmet malîs occupato. Suam unuſquiſque Scyllam, ſuas Symplegadas vitare, totíſque niſibus excutere; magnum opus habebat.

His tot incommodis, tandem etiam veſper ſupervénit; nebuloſus, & in noctem caligine devergens. Cujus proinde rigore ſolito (nam adhuc brumæ tempus ibat) horror aëris intendi cœptus; amnem, ſuopte geniô prægelidum, hyeme pluſquam Scythica paullatim adſtrinxit. Ità manus æquè pedéſque, non minùs acrimoniâ diſcruciatos, quàm ſtupore frigoris illigatos; ad laboris conſtantiam plurimùm languefecit, ipſa tempeſtatis intemperies.

SED nempe, *Nihil eſt neceſſitate potentius: nec aliquid, Deſperatione meliorum, contumacius.*

 Harum

Harum utráque factum eſt; ut, inter incredibiles, & priſcis Heroibus non erubeſcendas, difficultates, aſſiduâ contentione nataremus: ac, poſt tertiam tandem exactam horam, quàm orſi laborem fueramus, ad Inſularum primam (uti deſtinâramus) appelleremur. In hanc, qui cæteros labore præceſſeramus, undecim evaſimus. reliqui, quoniam loci ſpatium non eâdem commoditate turbam omnem erat excepturum; Inſulas proximas inſedêre: prout cujque viſum, bini, ternive; rarò ſinguli. Sed tunc quidem locorum, quem quiſque ceperat, faciem ac ſitum; & quorúmnam feraces eſſent, dignoſcere, temporis vitiô, non licuit. Nox enim, quæ plenis ſtatim tenebris ſuperincubuit, proſpectum omnem extinxerat.

IV. Quod *optimum Natura providit; ut, ubicunque calamitas, illic etiam mixtura levaminis reperiretur*; id neque nobis tunc ex toto defuit. Erat enim in contubernio noſtro Sacerdos; & is ipſe ſcilicet, qui Companerosam, amicum meum, in ſupremis nuper expiârat. Vir imprimis facilis, comis, morúmque civilium; & in utrumque forum inſigniter facundus. Nam, quantum ſermone valebat in divinis, quorum ex officio ſuo dignitatéque ſatagebat; tantundem eloquiô pollebat in humanis, &, quę noſtrę tunc curiæ. Rigidus ipſe quidem, ſed ſibi duntaxat: minimè gentium autem cenſoriæ ruſticitatis in alios. Non (ut quidam interdum) indulgens ſibi ſuíſque vitiis; torvus autem aliis, luridus, tetricúſve. Multò minùs acerbus atque lividus; aut morum omnium, quos in

in ſeipſo fortè nõ reperiret, exagitator. quod equidem genus hominum, iratô creatum cœlô, jam pridem (opinor) exegiſſet è mundo mortalium conſenſus: niſi malis intermixtì boni, communi ſecuritatis umbrâ ſecum etiam noxios tegerent. Quidam enim, ex hac ſeveriorum tribu, Catonúmque familiâ; ſimplicitatem induerunt indocilem: & innocentiã ſuam manifeſtam, ſed ad mitiora flecti neſciam, etiam læſis probant. Alii verò, ſimplicium imitamentô: ſub ſceleſto ſupercilio, ſanctimoniæ figmentô ſe circumponunt: ut impuniùs ſæviant, latiúſque decipiant. Nihil ingenii talis, in Myſta noſtro: ſed pius, familiaris, ſincerus; jocorum ſuorum innocuis ſalibus, tum antehac univerſum iter noſtrum condierat: tum illius maximè diei miſerias attemperârat. Lætâ prorſus indole, facetáque ſvaviloquentiâ; triſtitiæ nubem, quæ plerorumque mentes circumvolabat, ſuæ frontis & oris ſerenô diſſipaverat. Hic igitur talis, in eandem nobiſcum inſulam aſcenderat. & tunc magnopere nobis auctor erat; ut, primô quoque tempore, ſuas quiſque veſtes, ad intimam uſque tuniculam, poneremus: utpote madore triũ horarum continenti fluxas; & idcirco venti, qui tum ſiccior ſpirabat ab Aquilonibus, indigentes. *Eſſe ſingulorum amictus, ad ultimam uſque fimbriam atque licium, non modò fluvio graves: ſed inſuper eluvie, fæce, lutulentáque torrentis algâ, pérlitos: & à dependentibus fruticum ſordibus inquinatos. Periculum eſſe manifeſtum; ne ſæva noctis bruma celeriter eos conglaciaret. Ità liquorem ſimul, lutúmque; ſimulac*

mulac Borea flatibus adſtringerentur, corporibus non cohaſura tantùm: ſed etiam penitùs impactum iri. Penetratô verò violatóque caloris inteſtini viſcere; ſiquid adhuc apud unumquemque virium, ſiquid anima vitalis ſupereſſet, emotum & extinctum fore. Quin potiùs igitur ex hoc (inquit) *loco, tanquam balneas inituri, facimus apodyterium, ſeu ſpoliarium? ac nempe, quoad honeſtas id permittit, renudamur? Et quoniam nulla neque foci, neque rogi copia nunc ſuppetit; cur non, brachiorum & univerſi corporis jactatione, calorem provocamus nativum? Id, quod in frigore ſtupefactis, & pane ſemimortuis, naviculatoribus ac remigibus, videmus frequenter, & ridemus. Multum (mihi credite) comites, multum in omni re valet membrorum exercitatio. Sed tamen agitatio crebrior congelatis pracipuè cerebris atque cordibus medetur, ô frigida, mihíque dilectiſſima, capita!*

Secundùm hanc philoſophiam; SACERDOS, quod ſuaſerat, princeps ipſe fecit: deſtrictóque ſibi, quidquid veſtimentorum attulerat; ea duntaxat membra cum cura velavit, quæ retegi verecundiæ ſacroſanctæ leges probibent. Sequimur nos; ad omnem illius ſenſum ſemper flexiles & obſequentes: tunc autem, in tam intricato caſuum noſtrorum labyrintho, (tantùm non, ad uſq; ſacramenti religionem) homini jurati devotíſque. Tactu deprchenderamus, & confuſo quodam conſpectu; ſylvulæ nonnihil eam inſulâ habere. Suſpensîs igitur, ab obviâ quavis arbuſcula, tegumentis; de cætero, nullâ cœnandi curâ memoriáve, Lupercis atque Saliis ſimillimi diſcurſamus. Et nunc quidem capita rotan-

tes,

tes, Baccharum & Mænadum in ritum; nunc autem lacertos & humeros agitantes; aliâs, in altum ſublatîs plantis, irrequietâ ſuccuſſione, ſubſultímque collisîs talis: calorem arte molimur, quem nox invida nobis negaverat. Deinde, quia cum tenebrarum progreſſu Septentriones horridiùs ſpirare cœperant: ſub nemoris interiora, quà pax aëris major videbatur, refugimus.

V. SED, *nequod* etiam hoc loco *commodum* Afflictis, *ſine morſu moleſtia*, procederet; in media ſylvâ nos, familiare domibus malum, excepit Pulicum exercitus. Hi nempe tellure, ſemper illic humentî, ſempérq; putidâ ſqualentíve, progeniti; ſimùl, ritu ſuo, connubiîs in immenſum excreverant. Ibi congruam, & natalibus ſuis, & alimentîs, humum adepti; glebas uliginoſas perſultare; non viritim (ut ſic dicam) ſed ingentia per agmina; ſcandere plantulas; & in ſtirpes ac ramos eniti; foliáq; depaſcere. Tunc autē, humana ſubodorati corpora, turmatim excurſionibus ſe dare; nuda, caloréinq; ſpirantia, membra latenter & palàm incurſare: latera, ſuras, femora, totúmq; corpus vellicare, præmordere; terebríque more perfodicare. Denticulorum autem, tanta nō modò barbaries erat; ſed etiam cupiditas ac tumultus: ut ipſe multitudinis in paſtu conſenſus (ſicut in bombycū convictu fit) aures noſtras clariſſimo ſonitu ſtridoréque morſuum pervelleret. Vermiculos Serum dixiſſes, mori folia derodentes. In quo ſanè mendacii me non facilè quiſquam arguerit, cui perſuaſum erit; & omnem eſſe Pulicem impudentem: & hos Pſyllos, Europæis fuiſſe

fuiſſe multò grandiores; innumerabiliſq; copiarum colluvie centuriatas. Nos igitur dolor ſimùl, obſcœnúſque ſtrepitus; & potiſſimùm indignitas, impunè graſſantis peſtis huius, exſtimulabat. Cúmque nec manibus, neque membrorum volutatione, ſordidam luem profligaremus: frondes ac ramalia certatim arbuſto diripimus; &, in multipedes illas Harpyjas claſſicô cantatô, per tenebras pérque furias, truces & implacabiles inimici graſſamur: vulneribus, cædibus, cruore, ſtrage. Nec erat animus, conquieſcere; niſi priùs, deteſtandæ gentis internecione, contumeliæ noſtræ litatum eſſet, ſatíſque datum. Dixiſſes; *Pygmæorum eſſe contra grues bellum: aut Ægyptii Pharaonis adversùm cyniphas ac ranas conflictum.* Sed (vel Manichæis aſſentientibus) INFIRMA *contra Pulices eſt omnis mortalium potentia: minimíque censûs Inſecta, maximarum virium ſuperbiam provocant, & irrident. ut manifeſtè videat Homo; Quouſque Numinis contemptu provolutus ſit? utpote, qui jam infrà Pulicem jaceat; cùm pantheris alioquin, atque Leonibus, in Paradiſo jugum injeciſſet.* Quid multis? Fortiores nobis, turpes beſtiolæ fuerunt; inundante (ſicut fit) inter ipſa verbera, multitudine; quam nos tamen principiò, ſicuti pulverem atomóſque, ſpreveramus. Apparuítque tandem, verum eſſe vetus illud, & Atticum; CONTEMPTUM *Hoſtem nocere.* Demum etenim, æquè victoriam, ac nocturnam quietem deſperantes; abjectis ut plurimùm armis, receptui canimus, vaſáque colligimus. Mox, illius Inſulæ digreſſi nemore; ſedes in eádem alias, & alia caſtra,

quæri-

quærimus; póſtque multum inter tenebras errorem, locum paluſtrem, aliquantò remotiorem, capimus; & inſidemus. Neque tamen ulli noſtrum venerat in mentem, ſuſpicari; *Nos ovum* (quod ajunt) *cum ovo; Seriphúmque cum Gyaru, commutâſſe.* Nam & illic malum, nequaquam immitius, advenas; ſed adhuc in latibulis, exſpectabat. Tantiſper nos, ignorati damni nullâ formidine; quieti ſomnóque pariter omnes inhiamus, & componimur. Sed nulla tergo culcitra, nullum collo cervical, præter uliginoſum terræ ſolum: non corpori tegendo lodix, non ſtomacho refovendo ſtragulum. Tantummodo frondes adhuc quibuſdã noſtrum erant in manibus, atque rami; quos, ab recenti Pulicum prælio cruentatos, & jam foliis decuſsis imminutos, attuleramus. Tenuiſſimum id ſcilicet noctis ſolatium reſtabat; ac ſopori potiùs profligando, quàm conciliandæ quieti, factum: maximè, cùm à veſtibus nulli ferè noſtrum quidquam ſubſidii tegminíſve ſupereſſet. nam eas, fluctu graves, & adhuc (velut retulimus) ab arboribus ſuſpenſas, aura deſiccabat.

VI. SOLI Myſtæ noſtro, peregrini goſſypii penula (ventorum pariter, & imbrium, fluminúmque, contemptrix) in ſcapulis hæſerat: elementorum etiam, &, quæcunque naſcuntur ex eis injuriarum, victoriîs, itinere toto ſpectatiſſima. Biberat ea quidem & ipſa, proximi fluminis plurimum. Sed, cito ſibi reſtitutam, & aſſiduâ ventilatione defæcatam, Sacerdos humeris circumpoſuerat; ramalibus abjectîs. Hic, poſtquam humi corpus,

corpus, tanquam grabato quodam, ſtravit & extendit: homo, ſibi ſemper ſimillimus, jocoſâ liberalitate poteſtatem omnibus fecerat; idem ſub operimentum, ſiquis vellet, veniendi. Conditionem duntaxat unicam, ſibi ſeponebat; ut, *Quoniam* PALLIUM *breve cunctos, & totos, operire non poſſet*; Sibi, velut *legitimo poſſeſſori, Locum* OPTIMUM, & utique MEDIUM, nec invideremus, nec præriperemus. Etenim, AB SEIPSA *Charitatem, bene compoſitam, incipere* debere: quantò magìs igitur æquitatē atque Iuſtitiam? Æqua lex erat: & ideò, nullâ morâ, gratiam oblatam, & exceptionem annexam, acceptamus. Certatim omnes, quotquot Sacerdotem tunc circumſtabamus, Lacernam ejus (utcunque ſpatioſam) ſubimus. Illum autem, velut inter nos modò convenerat, medium recipimus. Mihi ſatìs erat; caput, omni frigoris injuriâ vexatum, intrà veſtem recondere; tanquam adversùm ventos Aſylum. Réliqui verò corporis tutelam caſui permitto. Non diſpar erat PEDIOSAE, cæterorúmque, pro ſui tegumento, cura. Nam, quà ſibi quiſque laciniam, injectâ fortiter manu, corripuerat; eam tenaciſſimè retinebat. Cæterùm, malè cohæſuram quietem, in tam arcto plurium ſtrato; Flamen noſter conneſtere ſermonum ſuorum lepóre ſatagebat. Id erat unicum moroſæ noctis levamen. Nam de ſomno quidem, magìs magíſq; conclamatum, in ſingulas horas, videbamus. Ejus omnem deniq; ſpem ultrò projecimus; utique, poſteaquam (deterius pulicibus malum) Formicæ ſuis prorepture latibulis cœperunt;

perunt; compreſſione, ſicut reor, noſtrâ proritatæ. Nam ut primùm corporum decumbentium motum, & quantulumcunq; cohærentium calorem illæ perſensêre; tanquam familiaris & æterna locorum paluſtrium colonia, ſuas inquietari ſedes dolenter tulêre, móxque, velut de caſtello ſuo periclitantes; portis ſuîs omnibus, & cavernis ſubterraneis egreſſæ: per centurias ac legiones adversùm nos tendunt; & prælium non tantùm indicunt, ſed ſtatim, vix datô ſigno, committunt. Nec erant ex vulgaris, Hiſpanæve magnitudinis beſtiolæ: ſed vaſtæ, gibboſæ, ventrioſæ; dentibus præterea morſûque præferoces: &, ſi quando quem illuvie contaminâſſent, penetrabilî tabô contagioſæ. Prorſus, memoriam mihi refricuerant illorum ingentium, in ARABIA PETRAEA, cimicum; quos PHARAONIS vulgò PEDICULOS dictos; (a) ferunt eſſe vulneribus & puſtulis infligendis effrontes, ſævos, & implacabiles. Hos ajunt, corporis mole nuces avellanas æquare; propteréaque difficillimè domari: nec deleri, niſi, ſiquos nactus manu ſis, malleolis ferreis (ſit ſtylo reverentia!) contuderis: aut, ſaxi violẽtîs ictibus, ad ſuppoſitum ſaxum eliſeris: non ſine claro ſonitûs fragore. Simili ferè granditate corpuſculorum, nec diſpari peſte, nos exercebant tunc FORMICAE barbaricæ. Quarum proinde tyrannidem, ut effugeremus; etiam hoc altero damnato diverſorio, mœſti demigramus; & veriſſimè *miſerabiles, atque compuncti*. Poſtea, quoniam noctis plus quàm dimidium ſupererat; ad ſpes alias, & hoſpitia nova, convertimur.

VII. Sed, *ut ubique* Pauper *Domi*; ſic nos, è diverſo, Pauperrimis ærumnoſiores, omnium extorres oberrabamus: ingruente ſtatim tertiâ, ſuper pulices formicáſque, calamitate; per fluctuum eluvionem. Ea neque pedis ullum veſtigium in ſiccitate reliquerat. Cùm enim fortè ſub illud ipſum noctis punctum, ſtatis Lunæ converſionibus, concitaretur Oceanus: æſtuarium amnis, pelagíque vicinia, curſu ſolito refluebant; & exundabant. Ergò, fluminis impetu retrogradô, non modò maritimum littus, & amnis oſtium, reſtagnabant; ſed omnis circúmquaque continentis campus, inſulæ, colles, atque ripæ, natabant. Ecquis igitur, mediis in aquis, lectus? quis ſopor, aut quæ requies eſſet? cùm in momenta ſingula ſalus in diſcrimen adduceretur? cùm ad omnẽ halitum, intercluſus formidine mortis ſpiritûs, tanquam in naufragio, fluctuaretur? Reſtabat igitur; ut moreremur. Et in hoc ipſum, quo pacto quàm molliſſimè contingeret, jam curam intenderamus: omnium obliti cæterorum, & ipſius vitæ ſollicitudine proculcatâ; cujus utique nulla jam ſubſidia reliqua cernebamus. Iam in mentibus, jam in oculis obverſabantur, omnia pereuntium mala; gemitus ultimi, dolor cedentis animæ, pallor extincti vultûs, poſtrema lucta, conclamatio, funus, ſepulchrum, & ſandapila. Tantummodo; quibus modis tumulum honeſtè ſubiremus, non minùs anxiè quærebamus: quàm olim Iulius, in curia Romana cæſus, ut quàm decentiſſimè caderet; ſinu veſtis ad ima crurum deductô. Nobis

bis autem, quò minùs eádem verecundiâ vitam poneremus, nuditas obſiſtebat; quippe nullo penitus, niſi ſubligaris indumentô, velatis. Reliquum enim corporis habitû, ex arbuſto primæ ſtationis (velut retulimus) ſuſpenſum; nullius humanæ ſpei vel opis videbatur, poſtliminiò recuperare. Nam omnes jam amnis Inſulas, & extantes glebas, atque locos, exæſtuans Oceanus operuerat. Vnica ſola, quam tunc occuparâmus, formicarum incurſu pulſi, ſedes (exigua cæteroquin terræ congeries) in collem ac tumulum evecta, caput ſubrigebat; ſubluentibus undis indemerſum.

Ex hoc loco (quoad ipſe quoque fluctu ſuperingruente vinceretur) ſupremam horam opperiebamur: ad unum omnes non tam interitûs avidi, quàm certi. Sed negavit Myſtes noſter, toties mihi memoratus, ſæpiúſque poſtea memorandus; *Occubiturum ſe nuditate profanâ. nec enim id addecere Sacerdotis majeſtatem; nec adeo Chriſtiani cadaveris ornare reverentiam. Si profectò ſe Numinis imperium è vivis evocaret: cum indumento ſe compariturum; & quidem candido byſſinóque, de praſcripto voluminis Apocalyptici: Ne ſua* Confuſio nuditatis appareret, *coram illo tribunali. Quod itaque bene proſperéque ſuccederet*! ſe nemus illud, in quo ſindonem ſuam ſtolámque reliquiſſet; etiam invitis, & repugnantibus aquis, reviſurum.

Hæc dicentem, & dicta factis exſequentem, omnes ſubſequimur; *nullo recuſare periculum* illud auſo, *quod ſacrum Deo caput* ante cunctos *adiret*. Ac certè, nos quoque commôrat

môrat operimentorum diſpendium, jacturâque palliolorum & thoracum; gratìs utique, nec ullius cômodo, cæteroqui periturorum, inter undas. *Neque defuit animoſis conatibus, eventûs boni proſperitas.* Nam, evictîs vadô fluctibus; ſuas quiſque lacinias interuláſque, deripimus ramis illis, ex quibus eas pridie ſuſpenderamus. Non erat autem operoſum admodum; ſuas ab vnoquoque veſtes recognoſci, diſtinguíve; quippe, ſubluſtrî paullatim nocte; redditíſque, cum mediocri ſplendore, ſideribus. Cæterùm; quia, ſiccatione vixdum inchoatâ, cunctorum amicula forìs adhuc ſqualido madore rorabant; intus autem penitùs, tanquam fluviô, natabant: ea, tanquam per hiſtrioniam, aut ſuperſtitionē, invertimus. deinde corporibus inducimus, eâ cautione; pars ùt exterior, quam aliquantillùm jam venti deſiccârant, fieret interior, atque cuti ſcilicet applicaretur. è diverſo verò ſubſutum tegumentorum, quod auræ ſiccanti minùs hucuſque patuerat; quia totum aquis fluebat, foràs verſum, flabris Aquilonum exponebamus: ſiccitati promovendæ. Sic, quiſquis nos tunc notorum ignotorúmque deprehendiſſet, in tam mimico veſtium habitu; vel magos nos credidiſſet; vel Cingaros Ægyptios, aut fatuos, & inſanos; aut hæc omnia denique ſimul, unam in colluviem concurrentia. *Tanta nempe Neceſſitatis vis eſt, & abſurditas; quoties ad ſummum venerit!*

Sed, ut ad nos redeamus: in hunc larvati modum, bacchantibus ſimiles, per æqua, per & iniqua reſtagnantis fluminis regredimur;

mur; veteres ad locos. Ibi, quem aggerem priùs tenueramus; eundem nunc, ceu Tumulum, ac veluti mox ſepeliendi, reſumimus: In ſingula temporis puncta memores, atque prompti; Diluvii quamcunque ſortem, cum exitio corporum, excipere. Nec id abeſſe procùl poterat; utique, poſteaquam omnibus jam circumcircà ſuperfuſis; Inſula noſtra communem calamitatem nec recuſare deberet, nec effugere valeret. Noachæum omnes cataclyſmum, aut Deucalionis Theſſalicam illuviem, animo proponebamus; & lamentabamur. *In exundationibus enim, gradatim incrementa ſurgere tumentium aquarum: & poſt longam diſſimulationem, tandem (ac repentè) parem unámque fieri vallium, camporum, & montium conditionem: etiamſi vel Atlanticu jugis, aut Armenicarum Alpium verticibus, æquarentur. A furente Pelago cuncta vinci, contegíque ſolere. Noſtrum autem illum, in quo tunc conſiſteremus, clivum collémve; quantulum eſſe? quàm non difficulter Oceano ſuperabilem? ut, qui Catoniana veriùs* terræ VERRUCA; *quàm tumulus & agger dici deberet.*

Verùm certè; QUOD *nemo* ſubinde *ſperat*, id *ex obliquo fit*: ac *frequenter ibi* SERVAT *Deus*; *ubi ſemetipſum Homo* dudum *abjicit*. Nam, ecce! dum ſtamus; dum diffidimus; dum & vitæ nos tædet, & mortis metus angit: converſîs ſiderum affectibus, Lunæ malignitas emendatur. Statímque melior nos Hora cœpit reſpicere. Gurgites enim, pedetentim deminuti retróque lapſi; ſuum Pelago ſtagnum, nobis autem ſpem ſalutis aliquam & animum, reddiderunt.

VIII. IN-

VIII. INTER hæc, diluculô quoque redeunte; dies omnia ſinguláque, fide clariore, cœperat aperire; bona juxtà maláque, laboréſque reſiduos, & ærumnas præteritas, oſtendendo. Non ultima præcedentium moleſtiarum, in corporibus omnium (ſpectaculô nimis manifeſtô) patebat; pellibus noſtris membríſque, pulicum ac formicarum morſu, fœdum in modum, proſciſsîs ambeſiſque. Purulentîs quoque tumoribus ſenſim, in ſpeciem utrium, inflata corpora; puſtulas & verrucas contrahebant. Idcirco concedenda dolori mora, dum is deſæuiret, erat: interímque nihilo ſeciùs profectionis labor (etiam invitiſſimis) reſumendus. Eum nos dum urgemus; inſulatim, ſicut pridianô veſpere, péſque gradus, glebam de gleba tranſſultantes, tandem in dexteram amnis ripam, quà portuoſiorem eam quodammodo deprehenderamus, exponimur. Hîc comitum noſtrorum reliquias, à nobis pridie divulſas (velut memoravi) multùm alacres atque gratulantes, recipimus. Iis, ſicut ipſi narrabant, circuitus quidem longior; & ambages natationis, plus aliquantò molis attulerant, quàm timuiſſent. Sed vadum interim (adversô licèt flumine) non paullò clementius ipſe caſus aperuerat. Nobis contrà, tranſgreſſu fluminis obliquô, compendium quidem viæ quoddam; ſed iniqua paludibus æſtuaria, ſed cimices, ſed barbaricæ noctis plena cubilia, provenerant. Ità mutuas inter miſeriarum narrationes, reſpirabamus: recollectô quidem cœtu ſociorum læti; ſed gaudiô (quod in fortuna pendente ſolet) neque

neque ſolido, neque diuturnitatis capaci. Nam hilaritudinem noſtram interluebat, turbabátque, tot aquarum luridus aſpectus: totis antrorſum, circáque campis, & omni littore, reſtagnantium. Earum & abſceſſum opperiri, longum erat jeiunúmque futurum: &, viarum progreſſu vincere; ſuprà vires fuerat, ac ſalutem noſtram. Quæ porrò retrò jacebant; ſicciora quidem pleraque, periculorúmque parciora, ſemet offerebant: ſed regreſſu, quaſi per cujuſdam labyrinthi luſum, reterenda. Nihilominus *quærere tutiora. quàm fortiora, malle; neceſſitatis dictamen eſt.* viſum: &, ſi vivere decreviſſemus, error pernicioſus emendandus erat; nullô decóri fœdíque, nullâ laudis, aut turpitudinis, habitâ ratione. *Quem enim nos viſurum, irriſurúmve; tantâ viventium ſolitudine? Sed & ſi conſpiceremur: præſtare profectò, ſubſannantibus os præbere; quàm periculis vitam, inutili progreſſu.* Comuni proinde conſilio decernimus; relegendum pridianum iter univerſum: labore quidem multo, ſed haud dubiè profuturo; ſi modò priſtinos animos & vires utcunque retineremus.

Quid enim? retrò quidem gradiendum fore, per eadem virgulta riparum, & amnis diſcrimina; quæ duos pridie ſocios merſiſſent. Sed relegendum tamen iter, non (ut tunc) omnium pavidis & ignaris; verùm, ingenti difficultatum compendiô, natatoribus jam expertis & exercitatis. Præterea cœlô, non (ut nuper) turbidô tenebricoſóque: ſed planè ſolaribus radiis illuſtri. Tum denique quod caput eſſet facilitatis; non (veluti tunc) adverſis, atque cum impetu repugnaturis

turis

turis undis. Earum violentiâ magis, quàm hercule fruticum fragilitate, duo Sodalium funera contigiſſe. Nunc autem ſecundiſſimô, ſpontéque nos promoturo, fluminis regreſſum patére; non tam labore manuum expediendum, quàm ſuopte ſucceſſu decurſurum. Contrà vero, ſi propoſitum hoc omitteremus; Quid tandem in hac ſterili torrentis crepidine, quid in tellure fluctibus abſorptâ, præſidii? quid alimentorum reperturos? homines famelicos, ſemineces, depoſitos: & quibus (ad ſummam) anima penderet, ex ultimo Parcarum ſtamine? Sed è diverſo, locum, pridianâ feſtinatione deceſſúque deſtitutum; annonâ ſimpliciter, ac naturæ gratiis, affluere: Pomis utputa ſylveſtribus; quæ nemini, morituro fame, niſi fortè ſuperbiſſimè delicato, deberent in odium venire, ſive faſtidium. Vt autem alia deeſſent omnia; Nónne Cancris ſaltem (exclamat PEDIOSA) *ſæpe ſtomachi rabiem in pacem redegimus, alimentis utique tolerabilibus? crudis autem & incoctis, an igne præparatis, quid refert?* Quis enim IN ſumma fame ſubtiliter diſtinguit? *Et tamen profectò tam parabili nutrimentô, nec ille locus deficitur, quem nos tamen malè grati priores contempſimus. ac ſuper hæc, ſi ſatis oculati fuiſtis, fructibus abundat arboreis: dulciſſimis (uti nóſtis) ac ſui copiâ complures in dies ſuffecturis.*

HÆC Pedioſa dicebat, non tantùm, veritate rerum eliciente vocem; verùm, ut ego reor, etiam nonnullo dolore ſtimulante, ſpreti nuper conſilii ſui. Nam is reſtitandum in ripa citimâ, nobis auctor extiterat: irritus quidem tunc, & exploſus; ſed, ut

exitus

exitus poſtea monſtravit, nemini pœnitendus: ſi prudens conſultor, ante pertinaciam fuiſſet.

Fuêre ſecundùm hanc PEDIOSAE commonitionem, etiam nonnulli, qui memorarent, quod hucuſque ſemper ſuppreſſerant, ignavo damnoſóque ſilentiô. tunc autem, ſerò ſapiente facundiâ, prædicabant; ſive, quòd revera ſic eſſent experti, ſive probabiles tantùm conjecturas ſecuti. Referebant autem; Sibi, cùm ſeceſſu fortè nemorali, ſolitudinis interiora rimarentur; ab obviis quibuſdam agreſtibus cibos villaticos ſuppeditatos; ac, ſuper hæc, itineris remetiendi veſtigia commonſtrata; ſiquâ caſuum neceſſitate reverti compelleremur. Proinde, ſine controverſia (nec ità procùl) videri; pagos & incolas Americanos, per vallium camporúmque cultiora, ſpargi. Neque magnopere dubitandum; quin *Novem illos Hiſpanos*, ab noſtro cœtu diebus ſuperioribus avulſos, ſitus regionis aliquis amœnior, & indigenarum humanitas, pellexerit: compertâ deinde liberalitate, tanquam per hoſpitii fœdus ac jus, irretierit & alligârit. Illos enimverò, lautitiis jam captos, paullatim non ſolùm calamitatum veterum, ſed noſtri quoque penitùs oblitos; illecebris coloniæ melioris inhæreſcere. telluris Americanæ bonis, ac fortunis, adglutinatos, mendicitatem ſociorum per ludibrium inter ſeſe traducere.

Talia, ſive cum fide referentes, ſive (quod in medio malim relinquere) per ja-

ſtantiam, & ex compoſito, blaterantes ſocios: multitudo cætera non implacidis auribus admittebat. Diſſimulatô *ſocietatis inofficioſa vitiô*; quòd rem tantam tamdiù preſſiſſent, conclamamus pariter; *Pariter omnes, unde veneramus, remeaturos!* Simùl ſarcinulas in humeros ac ſuper capita tollimus. Mox, unô pæne jactu ſaltúque, corpora flumini demittimus. Deinde, periculô quantumvis minore (quoniam cum flumine, ſecundùm amnis curſum, defluebamus) conniſu tamen laboréque vix explicabili, ripæ ſpatium omne remetimur; virgis ac ſarmentis priſcis inhærentes. Poſt aliquot demum horas, aquis æquè ſudoréque madidi, maritimum illud oſtium totum evincimus: &, itinere pedum compendioſiore, quàm pridie, deferimur ad primum illum torrentem; quem à me prodigiosô natatu, cæteris autem à ſociis rate tumultuariâ, docui ſuperatum. Hunc, cùm rapidis priùs incitatum undis reperiſſemus; ſecundùm ripam ſollerter obimus: vadum, ſiquod ſe nobis offerret, inquirentes. Id, Numinis inſignî beneficio, quâ parte diffuſior amnis incedebat, negotiô nullô reperimus; ſtatímque, ſine trabium ulla compage, pedeſtres, & alveô non invitô, trajicimus. In hoc *Providentia Divina fautor oculus*, & prona commodis noſtris ſollicitudo; nec inopportuna nobis fuit, nec in obſcuro. quippe vadosô tunc fundo, præter ſpem omnem, feliciter, & in ipſo tempore, commonſtratô. Namque jam pridiana ratis illa, quam, in ulteriore continentis orâ religatam, deſtitueramus: aut abdu-

abducta ſuperventu vectorum recentium, diffluxerat: aut (quod propiùs fidem reor) violentis aquarum incurſibus, præteritâ nocte diſſoluta raptáque, perierat. Quidquid id erat tamen: nos præſenti trajectûs ſucceſſu contenti lætíque, QUOD *amiſſum erat, amiſſum ducimus*: ac, ſecundùm amnis marginem pedetentim deſcendere, concordes; poſtremùm illi, quem præteritâ luce deſerueramus, luco gratulantes ovantéſque, rurſus impingimur. Eum, ex arborum virore, fructuúmque compertâ fertilitate; ſtatim, & facilè, recognoſcimus.

IX. SED, ecce; nemoris in ipſo penetrali, cujus amœnitas me pridie, de comitatu pellectum, avocârat: *Viri Quattuor* jam ſtabant. Priores hi tunc in occupanda deſtinatâ ſede: cæterùm non aliâs nobis antehac conſpecti. vultu verò, formáque (quantùm apparebat) Americanâ, naribus diductis; obtuſóque, vel introrſum preſſo naſo, more gentium illarum. Hi, ſimùl nos, tótque juvenum advenarum globum, ex adverſo tendentem, derepente conſpexêre: paucitatis ſuæ diffidentiâ, peregriníque roboris (ut fit) formidine, confeſtim attonantur. Protinúſque, velut fulminis contactu ſtricti; priuſquam omnino congrederentur, alius aliò diffugiunt. Quâ trepidatione de numero noſtrorum, neſcio quis, externatus; ſicut in re multùm inſolenti ſolemus, per admirationem exclamat: &; IESU *Bene! quid hoc* (inquit) *terroris eſt? Iſti mortales, nos Hoſtes eſſe ſuſpicantur; cùm Hoſpites tamen & Amici ſimus*! In quæ verba, barbari, jam

olim fugitivi, ſimùl pedem referunt, ſimùl errorem ſuum corrigunt : ultróque ſe nobis ſiſtunt. Inter hæc, dum exactiùs nos conſiderant, & (ni fallor) *Cruces* etiam *Caravacas*, de plerorúmque renudatis collis, contemplantur ; continuò *metum vertunt in fiduciam* ; & ruſticitatem, in reverentiam quandam civiliorem. Mox & alloqui nos ſalutaréque perhumaniter inſtituunt, dialectô Peruanâ : quam etiam noſtrum haud pauci, cùm olim Panamæ verſarentur, nec per tranſennam, attigerant. Igitur : O (conclamant) *ô Iuvenes optimi ! Sic in* CHRISTO *nobis, ſic in Chriſti* MATRE, *ſemper ſalvi ſitis & incolumes ; uti vos, inimica gentis ſtirpem, eminus ſuſpicati ſumus : & piratas eſſe Britannos credidimus : cùm vos interim Europaa religionis flos, & haud dubiè gens Hiſpana, ſitis. Illos alteros deteſtari formidaréque, juris gentium eſt : ſicut, è diverſo, nationem orthodoxam diligere complectíque. Rationis hec, & Evangelica legis, praſcriptum eſt : Amare fratres. & hic animorum nexus,* CHRISTI *diſcipulorum publicum eſt, ac receptum, ſignum : ſicut Catholici nota nominis, Haretico perfido nec* AVE *quidem dicere. Gratia cœleſti regi ! cujus divino munere, cujus innocuo cruore, Nos etiam, Americana Barbaries, nos populorum & rerum ultimi, qui ſedebamus quondam in Tenebris, umbráque mortis, reſperſi ſumus : qui, divinorum pariter humanorúmque rudes olim, nuper admodum per Caſtellanos Luſitanóſque Doctores, Lumen, Religionem, fas & aquum, adſpeximus. Ea nunc cuncta ſimul, Angli pradones* (ſi vota perinde fluent, ut naves eorum) *ereptum & extin-*

extinctum sunt. Quæ, cùm illi dixiſſent; nos, invicem ſalute gratulationéque reddita, ſciſcitari pergimus; *Ecquod hominum genus? unde domo? quibus vita rationibus & inſtitutis? quid denique, tam procul Inſulis Britannicis ſemoti, ſtomachi vel bilis adversùm Anglos, conceptum ferrent? quave tam acrium querelarum origo ſimplices mentes inſediſſet? Num læſi, damnìſve laceſſiti frenderent? An ex fama potiùs, & æmulorum obtrectatione navibus indignarentur* Puritanis?

Ad hanc interrogationem, is, qui de *quattuor Americanis* videbatur animoſior, ac fervidioris ingenii; *Quid multis?* (inquit) *Nos indignamur, & ex damnis, quibus per Britannos mactati ſumus; & ex famâ, quâ peſſimâ laborant, hac quidem tempeſtate.* Simúlque, poſtquam nos audiendi percupidos ſe nactum videt; ad narrationem plenam, ſe labiis, vultu, ſtatúque corporis, componit. Nos autem, umbrâ ſimùl nemorali, quietíſque ſtudio provocati; conſidemus in circulum. At is, medio receptus conſeſſu; ſic apud intentos, exorditur.

ARGONAUTICÔN AMERICANORUM,

SIVE

PERICULORUM PETRI DE VICTORIA,

LIBER IX.

CAPITVM BREVIARIVM.

I. *SEnior è quattuor Americanis narrare orditur, ſuam & conſortûm ſuorum vitæ conditionem, captivitatémque; Anglicanis ſub piratis aditam. Eos, unáque Franciſcum Dracum, exſecratur.* Comment. pag. 87.

II. *Subnectit deinde; Suggeſtum ſibi ab Hiſpano quodam nauclero concaptivo conſilium; ad libertatem, per præfecti abſentiam, commodâ fraude repetendam. Ejus Oratio hîc ponitur.* Comment. pag. 87.

III. *Addit; Quibúſnam rationibus, de fugæ modo dubitantes captivos, idem nauclerus animârit, & impulerit; refutatis eorum timoribus. quem item latibulo receptuíque locum ſuaſerit?* Comment. pag. 87.

IV. *Recenſet inſuper; Se, gubernatoris illius monitis obſecutos, lignandi aquandíque ſpecie, navi Britannicâ digreſſos: &, captivitate ruptâ, in illud ipſum nemus feliciter delatos eſſe. Prabent iidem quattuor viri occaſionem Hiſpanis, ſciſcitandi ſuper nauclero illo Panamæo; qui Victoriam atque ſocios ejus, perfidè navi ſuâ e-*

move-

moverat. Commentar. pag. 87. fin. & 88. princip.

V. *Narratur à piſcatore Americano ; quid nuper inter nauclerum illum Panamaum , ac Britannos piratas , quoque ſucceſſu , ſit geſtum.* Comment. pag. 88.

VI. *Nova ratis molitio ; novíque & exotici remi. Tellus ſtagno paſſim infuſa : poſt , tumuli colléſque ſabuloſi, ſociorum iter plurimùm turbant.* Comment. pag. 88. & 89.

VII. *Pedioſam , ſiti confectum , refocillaturus Victoria , cum aliis duobus abit, remotam ad ſylvam. In via deprehendunt (ſed inſcii) ferorum hominum impreſſa ſabulo veſtigia. Victoria nudipes ſpinis ac fruticibus , denuò graviter plantas affligtat.* Commentariol. pag. 89. & 90.

VIII. *Ægerrimè jam progredientem Victoriam , miſerati duo comites , ad Socios remittunt. Redeunti , tertius quidam utrem extorquet ; & præcedentibus duobus ſe comitem jungit. Quos omnes , quo caſu interceptos , vero ſimile ſit ? Victoria, reverſus ad cæteros, cum illis puteum effodit ; verùm , aquis ad uſum inhabilibus.* Comment. pag. 90. 91. & 92.

IX. *Vlteriùs progreſſus cum ſociis Victoria , poſt triduum incidit in ſigna luculenta ; ex quibus colligunt , Tres illos aquatores ab Anthropophagis devoratos. Eorum igitur exitio illacrymati, ipſi ad loca devia, & tutiora, deflectunt.* Commentar. pag. 91.

MARIS hujus, quod vulgus ZURIUM, vos autem PACIFICUM appellatis; in cujus nunc littoris viciniâ ſedemus: pacem diſturbat nemo, præter inquietum Anglorum diſcurſum. Hi procùl, alium in orbem, alio penitùs ex orbe, veniunt ad nos in myoparonibus: nullâ ſalutis noſtræ, ſed ſolâ prædationum curâ; peſtiferô cumprimis thalaſſiarchi cujuſdam exemplô: quem à ſuis DRACUM intelligo nominari. Ferunt; hunc equidem alterâ ſuâ, quam ad noſtras plagas adornavit, navigatione, Panamam incurſaſſe; Nombrediofam veterem ejúſque templum, in cineres magnam partem vertiſſe; Caſtellam Auriferam, & omne Peruanum imperium, affectâſſe; ſi vota proceſſiſſent. Verùm; ante decennium plus minùs (a) ad Portam, quam vocant BELLAM, converſis velîs, mediô tandem maris curſu reſtitare coactum: ac, quamvis ingentibus rei perficiundæ ſpebus inflatum; obſcœno repentè fluxu viſcerum, & ventrem & animam exegiſſe. Viſum eſt in præſens pacatius aliquantò pelagus; interceptô morte, qui fluctus & arma moverat. Sed nunc latronis illius maritimi conatus veſtigiáque premunt (per aliquot jam annos, ab Reginæ gentis illius funere) novi Latrunculi: minorum quidem illi nominum; ſed ſcelerum ſucceſſuúmque vix inferiorum. Hi namque, non contenti ſpoliis grandibus, aut onerariarum opulentîs direptionibus; etiam tenuiſſimas opes, ac pau-

paupertatem capite cenſorum, incurſant: corripiundis lembîs; ac trahendîs in miſerrimum ſervitium iis, quibus omnis ex arundine lineáque ſpes pendent. Ecce namque! *Quattuor nos*, quos videtis, maritimæ regionis hujus indigenæ: cæterùm jam olim CHRISTI cultores, & religionis Romanæ; PORTUM æquoris Zurii, quem ARIAE vulgò nuncupant, piſcatu frequentabamus. & hoc quidem ex inſtituti noſtri vitæque conditione. Fortè ſic uſus tulit; ut ad littoralem oram (nec ità procul coloniâ noſtrâ) phaſelum exerceremus; & retia ſagenámque ſpargeremus: cùm ex tranſverſo, non priùs obſervatus, pirata Britannicus, in nos ab alto decurrit.

Quid exſpectatis deinde? Nempe *quattuor ſenes*, inermes, & repugnare prorſus invalidos, unà cum celoce, ſine mora longiore, capit; mortalium viliſſimos, & navis Anglicæ, non niſi pondera, nullos in uſus valitura. *Sed ſcilicet, id genus prædonibus; quidquid ad numerum accedit, ad commodum etiam accedere videtur: ac, præter hoc, pleriſque mortalibus, (orbem & Solem exterum affectantibus) pro vera gloria ſæpe Vanitas placet. quâ fit: ut, ad ſuos reverſi; quando victorias & opulentiam nequeunt, peregrinæ captivitatis homunculos, tanquam per circum & triumphum, oſtentent.* Id ipſum, animo Piratæ decretum inſederat; in Angliam ut nos ſuam deportaret. Iámque permultum temporis, oberrante per

Oceanum onerariâ, defluxerat; ſine præda,
ſpoliiſque novis. Præfectus autem paronis, intermiſsis in præſens inſidiis: pro furto raptiſque, littus; pro recentibus periculis, quietem reſpectabat ac patriam. Nec id abſurdo prætextu: quippe, ſubigente feroces animos, tum vel maximè, rerum neceſſariarum inopia; quâ ſingulos in dies graviùs conflictabamur. Ecce verò! ſecundiſſimis coortis flatibus; in hujus ipſius littoris, in quo nunc ſtamus, viciniam, ſubducimus navim Anglicam: atque religamus. Indè; quia nondum etiam omnis cœlo deceſſerat hyems: pars vectorum claſſiariorúmque lignatum & frondatum; pars (dulcibus abſumptis jam undis) etiam aquatum exſcendunt. Ac nec archipirata quidem ſibi temperavit; quò minùs, explorandæ viridioris continentis illecebrâ, phaſelo prætoriâ littorum ſemota peteret.

Inter hæc igitur; cùm prædonum deteſtabilem præſentiam, & oculos, felix caſus nobis ſubmoviſſet: ad ſalutis conſilia mentem convertimus; in hunc, quem dicam, modum atque fraudem.

II. ERAT in eadem tunc hólcade nobiſcum, nauclerus quidam præſignis; Hiſpanus gente, moribus ac religione bonis omnibus probatiſſimus: cæterùm captivus etiam ipſe, velut nos; & indignæ ſortis. Hunc, jam olim per mare PACIFICUM annonam ac mercimonia vectantem; Britannus noſter, injectô per vim uncô, victor attinuerat: &, quanquam armîs reluctantē; unà cum oneraria, cúmq; vectoribus, in poteſtatem atque ſervi-

ſervitium pertraxerat. Proceſſu deinde temporis; tametſi compede religatum, magiſterio navis & clavo, propter ſpectatiſſimam gubernandi peritiam, applicuerat. Is talis ergo, poſteaquam, abſceſſu Præfecti cæterorúmque, nos pæne ſolos ſecum relictos conſpicit; gnarus etiam ipſe (quantùm ſatis eſt) Americani ſermonis, nos mœſtos ac deſides, ultrò priórque perhumaniter affatur: ac, *Triſtes* (inquit) *& invitos, jam pridem vos video, neque miror: quippe captivos; & in hoſtica navi ſervitutem tolerantes. Vultus veſter, animum veſtrum loquitur: conceptámque mente nubem, profitetur frons, rugis ſulcata; moroſóque ſilentio reſtrictus, & parcus, ſermo. Nec aliud impræſentiarum ipſa ratio vobis, & avida libertatis natura, dictare debet. Quin itaque, ſi verè ſervitium iſtud exſecramini (ſub tam perfido præſertim capite) ſi vitæ prioris amœnitatem ex animo ſuſpiratis; ſi viri denique, ſi fortes, ſi conjugum liberûmq; memores eſtis: rem pulcherrimam tentatis? & ergaſtulo fœdo, per honeſtiſſimam fugam, voſmet eripitis? Patet, ecce! patet janua felicis ſupra votum occaſionis: abſentia, nempe, deteſtabilis archipiratæ; prædonum & epibatarum digreſſio; remigum, Anglo. juratorum, mira raritas: pauciſſimus denique, per tranſtra navigii ſedens, Corycæus ac ſpeculator; & hic ipſe (ne fortè fugere dubitetis) ſomnô marcidus & oculis auribúſque clauſis. Ad me quod attinet; videtis ipſi ferreos hoſce tibiarum nexus; qui me ſtringunt & inhibent, inexſolubiles: promptum cæteroquin viribus, & animô paratiſſimum, ad idem ipſum Numinis beneficium acceptandum; & vobiſcum unà jamjámque dilabendum. At vos &*

ſine catenis eſtis; ac præter hoc pauciſſimi numeris, proptereáque conjurare tantò fidiores; ſimùl & fallere, diſcederéque, ſecuriores. Quid? quod nec opus quidem eſt aperto profugio? Prætentui capite, maritimas neceſſitates, quæ multa ſunt: ac, palàm omnibus, dicite; Nondum etiam plenè depulsâ brumâ, Verni temporis inconſtantiam inſtare, rigidas auras, immite perfidúmque cœlum, & tempeſtatum Aquilonarium turbamenta, veſtris æquoribus anniverſaria: vobíſque, tanquam indigenis, ante cæteros omnes, notiſſima. Talibus frigorum incommodis, non ſimplici, neque collectitiâ frondatione; ſed, cum induſtria copiáque dejectis ſylvis, obviam eundum eſſe: caduáſque plenâ lignatione ſubruendas, in focorum & camini nutrimenta. Porrò vobis (nec aliis magis) in tota navi, compertiſſimos eſſe littorum ſaltus, in materiem habiles ac feraces. Vobis potiſſimùm, omnia dumetorum ac nemorum excuſſa tritáque penetralia; velut laris domeſtici non minùs, quàm piſcationum, ſtudioſis: utpote, quibus, gelu confectis, ex aquarum uſu continuo; culina, tempeſtivúſque calor, multùm cordi ſint. Hæc ſi jactaveritis; velut boni communis perſtudioſi, nemini non exſcenſionis cauſſas probaveritis: dimittétque vos; etiam ſiquis cæteroquin adverſatus eſſet, rigidus obſervator.

III. Isthaec nobis Hiſpanus (inquit Piſcator) At nos adverſùm illa (pergit) *Haud abſurdè captivis* (inquimus) *nec invitis, conſilium miniſtrares. Sed, quo tandem eventu? quibus itidem vitæ ſubſidiis (ſi ſemel relictâ frumentariâ navi, ſolo ſterili nos commiſerimus) famelicam & exeſam animam trahemus? Finge ſuper hæc, immò, ſine dubitatione crede; Præfectum*

myopa-

myoparonis (ut ſanè furioſus, & in conjecturas pronus eſt) poſteaquam in navim redierit; comperto quattuor captivorum digreſſu quod res eſt, ſuſpicaturum. Propone tibi, graviter animo, velut aſſolet, exarſurum. Puta: dubio procul, emiſſurum adversùs nos ſcapham; quæ fugitivos veſtiget: mandaturum in noſtra capita ſicarios, ferrum, mortem! aut (ſi quàm clementiſſimè nobiſcum agetur) imperata daturum armatis; qui perſequantur; qui deprehendant; qui de fuga reprenſos, in flagra, fuſtes, ac vincula retrahant æternorum nexuum. Cedo, quid tum nobis? quid tergo, cervicibúſque noſtris, & pedibus, fiet?

At ille; *Nihil* (inquit) *& nugæ! Nam ſeceſſum quidem veſtrum ego, communis neceſſitatis colore palliatum, purgabo: Defenſoriâ quàm facundiſſimâ. Cæterùm abſentia veſtra moraq; longitudinem in lignando; Præfectus ipſe (ſiquid adhuc humani ſapit) aut caſibus aſſignabit, qui multi variíque negotiis intercedunt: aut tribuet errori viarum, atque nemorum ambagibus. Immò fortaſſis ultrò, tanquam deceptis & aviis; miſericordiam, ac mollem animum, impendet. Interim ego, gubernatoris jure, cauſſas aut inveniam, aut faciam; ob quas, velut ex Oceani ventorúmque lege, naves in altum ab littore detrudam. Nec Archipirata propter quattuor Senecionum corpuſcula (quæ forſitan ipſa mox ætas diſſolvet) cuncta maris & cœli commoda, ſub ictum dabit; longâ veſtri vel indagine, vel exſpectatione. Cùm præſertim prædonibus, ſervorum æquè facilis ſit, & jactura, per caſum & reparatio, per novum plagium. Tantiſper vos (citiùs, quàm, dum hæc eloquimur) recuperatæ libertatis amor, ac pedes, domeſtici laris cupidine vivaces longiùs*

longiùs pridem abſtulerint : quàm, quò piratarum ſpes & conjectura ſequi poſſit. Verùm, demus hoc tamen veſtro ſcrupulo : concedamúſque; Cuncta, quæ vos metuitis, eventura : quàm facilè patet, quàm propinquum & compendioſum, in ſaltus vicinos, & in montes, iter? Hos ſimulac, tramitibus vobis notiſſimis, penetraveritis : quot (quæſo) vaſtis illis in receſſibus, amfractus? quot teſqua, ſalebræ, latibula, ſubtérque terram montani ſpecus? In iis, quoad ſcrutantium primus ardor deferbeſcat; nullò penitus diſcrimine metúque deſidebitis. Quòd ſi verò requiritis; quid poſt hæc omnia ſpei ſit? ecquod aſylum, aut munitus locus, qui vos profugos receptet? etiam iſtud ex me diſcite. Progreſſu vobis ad littora, Peruvio propinquiora; quà Solem orientem maritima regio contuetur: longa quidem, ac deſerta continens, jacet. creberrimis præterea paludibus, & æſtuariis, interfuſa; ſabulóque difficilis: interdum autem etiam ſylvis implexa. Labor hic viarum, ſupra fidem quidem; ſed non ſupra vires eſt: & tamen omnino devorandus, præſertim viris, ſalutem ac libertatem quærentibus; quorum utique commodorum cupidine, mortales etiam ferrum, & invia, perrumpunt. Poſt hæc verò ſuperata, pauciſſimorum impendio dierum; MANTA jacebit in conſpectu, ZUR: i maris Portus, omnium opportuniſſimus. Secundùm hunc autem, emporium, omni rerum copiâ dives ac felix; civibus inſuper, ad omnem humanitatem factis atque natis. Iſte ſcilicet malorum omnium terminus; iſte ſervitutis finis erit, ac vindicta. Quæ vos utique, vel cum ſexcentis periculis, malle debetis; quàm, ſub profani ritûs navarcho, corporis atque conſcientiæ tyrannidem. Ad me verò quod

quod pertinet : equidem ſalutaris conſilii gratiam à vobis nullam aliam poſtulo; quàm meî, meorúmque vinculorum, in meliore fortuna veſtrâ, qualemcunque memoriam.

IV. SUASIT hæc Hiſpanus, prædatoriæ navis gubernator, nobis, omnium conſiliorum nudis: &, in tot argumenta jam ſinè controverſia credulis, tandem planè perſuaſit. Statim ergo, *ne* CUNCTATIO, *ſolitó ſuô vitiô, bene conſulta deſtrueret*; navî Britannicâ, cum aſciis culleíſque (tanquam poſtremi lignatorum aquatorúmque) digredimur: paucîs tamen priùs, & inter lacrymas, Hiſpanum complexi. Cæterorum, non modò tricas nemo; ſed neque ſermonis remoram, aut interrogationem minimam, auſus interponere: dimisêre nos, de mente vel profeſſione negotii nihil ambigentes. quia nos cum tam manifeſtis operum inſtrumentis, & ſimpliciſſimo digreſſu, contemplabantur. In hunc igitur modum, tanquam lignicidæ ſimul & aquarum miniſtri, denſa ſylvarum petimus; quáque maximè viſus lucus impenetrabilis, concordî ſilentiô nos recondimus. Dum latemus autem (nec multò ſub fugam noſtram) ſtimulante, ſicut opinor, gubernatore; vela prædones faciunt, ſine nobis. Idque, ſive, quòd non ſentirent abſentiam noſtram; ſive, quoniam (quod propiùs fidem eſt) non magni pénderent. Idipſum tunc nos feciſſe piratas, ſuſpicati; præſertim humanæ vocis nullo repercuſſu deprehensô: tandem de noĉte, tenebríſque latebrarum, in lucem & aëris apertum prorumpimus. Deinde, curſu per ſemitas notas ignotáſque continuô; demum

hunc,

hunc, in quo nunc à vobis inventi ſumus, locum ac ſedem tenemus: hilares equidem ac læti, quòd hoſtem evaſimus; lætiores autem, quòd ad amicos. Hiſpano verô nauclero (primo libertatis noſtræ ſuaſori, magiſtróque) quid poſtea factum ſit, aut futurum? quanquam illi, pro meritis in nos eximiîs, eveniſſe quàm optima volumus, ac vovemus: tamen, ex quo digreſſi ſumus; in ignoratione pariter ac metu, pro viro ſumus. Nam illius nationis homines, & quidquid Philippis paret, Britanni pejùs reliquis omnibus oderunt, & accipiunt. Et hæc nobis ſenex denarrabat.

REFRICUIT autem, ultimîs hiſtoriæ ſuæ verbis, memoriam nobis antiquæ navis noſtræ; quam jam pridem ex omnium animis deſperatio deleverat. Tunc verò ſubire mentes ea cœpit cogitatio: Ne fortè, piratarum etiam ipſa ſpolium facta; jugum & arbitrium Anglicanum ſubiſſet? Quid tum igitur (popularibus maximè noſtris, quibus adhuc refertum navigium erat) quid ſarcinarum noſtrarum reliquiis accidiſſet, in ſuſpenſo tenebamus. Itaque, cùm interrogare, viſum eſſet operæ pretium; primus (ni fallor) ego, piſcatores aggreſſus; *Et quàm dudum*, ajo, *myoparonem vos, ac ſervitutem, intrâſtis?*

Hîc illi; *Si meiſ-trum* (ajunt) *aut paulillò productius ſpatium, diuturnum eſt* (*ut ſanè* CAPTIVITAS omnis, etiam breviſſima, *cervicibus ingenuis* annus & ævum eſt) *dudum in illud ergaſtulum incidimus. Idipſum tamen, ſi vobis modicum & arctum tempus eſt* (*quippe patriâ, parentibus, ac propinquitate jam forſitâ ætatèm carentibus*)

rentibus) fatemur; nos exiguo dierum noctiúmque numero, ſine liberis atque conjugibus noſtris degere. Tam modico nihilominus intervallo, multa magnáque mala vidimus: nec ea ſiccis oculis. Inter cætera, religionum contemptum; captas expilatas demerſáſque dromadas, & liburnicas: raptas virgines ac matronas: abſtractos, contra fas, in nefas ingenuos. Experti furta ſumus, ſacrilegia, latrocinia: nec non cruorem, ac cædes; ſiquis fortè, jure gentium & naturæ, defendere ſuas opes auſus eſſet. Quanquam pauca tamen (ſubdit è quattuor viris is, qui narrationem primam pertexuerat) *immò vix ulla navis, inſolentiæ Britannorum obviàm ire ſit auſa: præter unicam (quam quidem ſciamus) actuariam, Hiſpanienſibus, ut ferebant, vectoribus onuſtam: viris, ut ad reſiſtendum alacerrimis, ſic ad victoriam omnium feliciſſimis. Erat autem illa navis, ut ex ejus rectore cæteríſque ſignis, & apluſtribus, collectum eſt; Panamæa.* Quæ cùm ille diceret; nemo ſociorum ambigebat; quin *noſtram* is loqueretur *Navim*, & eam ipſam: quam è Philippinis recurſantem, perfidiâ fraudéque gubernatoris (ſicut ſæpe dictum eſt) nos per exſcenſum reliqueramus. Hunc ergo ſermonem interfatus PEDIOSA noſter, in piſcatorem verſo vultu; *Narra, narra, quaſo te; ſed ſimpliciter* (inquit) *ac fide tuâ; quid nauclero, bipedum ſceleſtiſſimo, deterrimúmque malorum commerito boni caſûs ſucceſſerit?* Simùl raptim, ac velut per tumultum, omnes nos, alius aliter, mixtis queſtibus; facinus Panamæi gubernatoris aperimus: cum quo compoſitus gubernator Hiſpanus, ipſorum conſervator; *tanquam* DEUS *ad* LUPUM, conferri poſſet.

Con-

Conclamamus ſimùl; *Indignum eſſe, vitam et (nedum victoriam) prorogari: quem nos, pro nequàm factis, jam dudum condigna ſupplicia, noviſsimis exemplis expendiſſe ſperâſſemus: & certè ſaltem naufragiô, ſcopulis, marinis belluis, aut, aliter indignante cœlô, deletum.*

V. His auditis, ſenex; *Si, quod narratis, verum eſt* (ait) *ut eſſe, non dubito; ſcilicet, etiam in illum contaminatum hominem congruere, manifeſtè video; quod adagiô populus frequentat;* IN Deterrima quæque capita, fortunam optimam delabi. *Nam ecce! legentem* ZURII *maris littora Panamaam biremem, ſpeculata piratica Britannorum; haud multò poſt, quàm nos in ſervitium incidimus: validis cœpit remis, & omni gubernaculi conatu, perſequi. Porrò, conſectantibus his celeriter, & illis majori celeritate fugientibus: ad extremum Anglus quoniam onerariam ſuam animadvertebat, ad ſperata ſpolia tardioris eſſe moliminis; celocem emiſit, propulſu circumactûque præcipitem atque volubilem. Hanc, ut tantò validiùs navim Panamaam inceſſeret; ab uncis ferreiſque corvis, & harpaginibus, providè imprimis inſtruxerant. cæterùm fiduciâ ſucceſsûs, quàm ſucceſſu, meliore. Cùm enim in congreſſum ambæ naves cominus veniſſent; prior quidem certamen eſt auſa celox: Nec tamen ideò veſtrorum animos fregit. Dum enim hinc fiſtularum glandes, ferrata tela, ſuperbi clamores; illinc autem, pro ſalute dimicantium, ſerius ardor, major virûm copia, grandis & Hiſpanus animus, prompta manus, & creberrima miſsilia, volitant: poſt diu pendentem Martem, Angli tandem veſtratium ſaxis, & imbre lapideô, depelluntur. Namque, futurorum cati; petrarum & ſcopulorum fragmen-*

fragmentis, ingentíque congerie ſilicum, Hiſpani carinam & tabulata ſua, paſſim inſtraverant: eáque, conſumptis armorum cæteris auxiliis, in hoſtiles vultus & pectora feliciter effuderunt. At Britannici, cum dedecore retuſi; terga victoribus & gloriam conceſſêre; longiùs refugi, quàm, ut Iberici funditores porrò ſequi poſſent, aut ſaxis ſuis attingere.

Succlamamus in hæc omnes; O, *nequam hominem, nauclerum Panamæum! ô fortunam, auſpice candidiore dignam! ô fidos, & ſuo gubernatore ſanctiores, ſocios ac vectores!* Mox locô (quem in circulum interim occupaveramus) conſurgimus; & ad curas antiquas, à brevi quiete, convertimur; *ecquam deinceps viam? & quibus adminiculis ac præſidiis inſiſteremus?*

VI. Post ſingulorum dictas auditaſque ſententias; aliud malorum levamen non apparuit; quàm,ut iterum navigaremus. Ergò, cæsâ materie; piſcatores quattuor,ratem ingentibus compactam truncîs, inſtituunt, & abſolvunt. Eam,ne gurgitum incertô,vel intorto vorticum, fluctuaret; geminis in loco proræ rudentibus, totidem etiam in cauda ratis,revinciunt, ad angulorum extremitates deligatîs: &,hôc vinculorum tractu, totam fabricam inter aquas librant regúntque. Nec tamen, inter hæc, clavi qualiſqualis curam omittunt; eo tractante gubernaculum, qui de quattuor ſenibus peritior videbatur. Nobis porrò, ne quis prorſus, in molimine navigationis tam operoſo, ceſſator eſſet; ſingulis in manum dant vexúrum. quo nomine (velut ſuprà retulimus) arundinis quoddam genus Americanæ deſignant; valido craſſó-

que

que ſtipite ſolidum Hi pro remis atque contis nobis erant; ratis progreſſui ſtimulando. Iuvit tam audaces & laborioſos conatus, tandem aliquandò faventior fortuna, proſpero ſucceſſu: tranſvectóſque per amnis latitudinem, priùs incompertam, & tunc novîs undarum acceſſibus adauctam; expoſuit in eam regionem, quæ debuerat eſſe ripa: quanquam (ut fatear) haud omnino diſcriminum immunes. Quod enim de cataclyſmo vates ille cecinit; idipſum & hîc repérimus. Adhuc *Omnia Pontus erant*, atque flumina: *Pontóque ſua littora deerant*; & fluminibus ſuus agger atque terra. Nam quâ parte, diebus ſuperioribus, continentis planities, latè prata virentéſque campos explicuerat: ibi nunc, exæſtuante maris eluvione, circumquaque refuſus Oceanus incedebat; non minùs duûm millium ſpatiô paſſuum. Nullo telluris tumulo, nullo colliculo renidente; planè vetus illud, & *madidum, Noachi ſæculum* repręſentari videbatur. Igitur, dimiſsâ rate (quippe, quæ per ſoli ſtagnantis iniquum vadum, ac brevia, promoveri nullo modo potuiſſet) pedes navigio ſubſtituimus: ac, plurimùm denſato labore, nunc quidem latentibus impactos truncis atque ſaxis; nunc cæcis foveis hauſtos, per horas aliquot æſtuario toto traximus. Ventúmque foret ad deſperationis neceſſitudinē, niſi ſimùl nox ingruens, ſimùl mare ſeſe reſorbens; miro Numinis beneficio, repentè nos, nec cogitantes, adjuviſſent. Cùm enim paullò priùs (tanquam in Oceani gurgite, cum Polyphemo Siculo) liquidum iter carpſiſſemus; plerumque lumbos atque

latera

latera tingentibus aquis: de nec proviſo decedens, & in ſe refluus maris æſtus, nobis in decubitum qualequale ſtratum; & exiguam ſaltem temporis intercapedinem, ad quietem, indulſit. Sic acta nox eſt.

Neque tamen dies inſequens, ærumnarum ultimum hunc *Actum* eſſe paſſus eſt; ſed recentium *curarum theatrum* nobis aperuit. Stabant enim, ſeu primævo naturæ genio; ſeu (quod potiùs reor) creberrimîs Ponti refuſionibus, aggeſti conglomeratíque colles & tumuli; littorali glareâ ſabulóque ſurgentes. Hi, ſparsîs circumquaque clivîs, montium nonnullam valliúmque ſpeciem repræſentabant. Hi perrecturis nobis (velles, nolles) ſeſe ſcandendos offerebant. Mihi, virium ægerrimo, nova peſtis, nova mors: ſociorum cæteris, quanquam paulillò fortioribus, tamen multâ fatigatione confectîs: quibus, in molli fluidóque pulvere, calamitoſus aſcenſus; & moroſior ſæpe moleſtiórque delapſus, obtingebat: reciprocâ clivorum, decliviúmque, viciſſitudine. Summa tandem miſerrimi laboris fuit, jugorum quidem arenæque finis; ſed corpora languore fracta, ſpiritus longô jejuniô macer, víxque jam pendens: ac fauces, undæ dulcis inopiâ, jam biduum triduúmve ſolidum fatiſcentes. Et hîc igitur, *Neceſſitatis dura lex* interjungere nos ſubegit; longioris itineris impotentes.

VII. SED præ cæteris omnibus (ac certè plus quàm me) PEDIOSAM meum ſitis impatientia proſtrârat. Apparebátque; ſine celerrimo refrigerio, juvenem optimum haud de via magìs, quàm ipsâ de vita, periculum aditurum.

turum. Illius ergo piâ miſeratione, mecum tacitus ac ſolus in conſilium deſcendo; de laticis alicujus potabilis indagine. Neque tam longæ deliberationis hanc rem arbitratus, quàm pedum potiùs ac laboris: ad ſpes repentinas conſurgo; vixdum pauxillô quietis delibatô. Nam eminus, ante meos oculos, ſaltus ingens jacebat; ac perquàm frondoſus; & ob hoc ipſum (more nemorum remotiorum) cærulâ renidens amœnitate, nigrorem inter virorémque certante; propter foliorum denſitatem. Et hæc ſylva quin irrigua fontanîs aquîs eſſet, hinc inde ſcaturientibus; nulli dubium eſſe poterat, qui ſaltuum Americanorum, ad *mare Pacificum* jacentium, vel tenuem notitiam haberet. Sed, quanquam ſitirent omnes; tamen omnes torpebant: & idcirco de toto comitum numero, vix unum tandem & alterum, in aquationis ſocietatem, infeliciſſimâ facundiâ, pertraxi.

TRES ad manum erant utres coriacei; quos, navi Britannicâ profugi, piſcatores ad nos attulerant. Hîs igitur ipſis, pro numero, tres inſtructi juvenes, conſenſu vadimus; ceterîs noſtrîs, excurſionem nobis proſperam, magìs optantibus; quàm ſperantibus. Erat viæ principium aliquouſque, terræ clementiâ, placidum atque molle. quod tamen, quantumvis æquum; ſocii mei, tanquam aſperrimum, calceati peregerunt; conſiliô ſalutarî quoſvis in caſus intenti. Mihi verò contigit; nudîs ire, tam tibiis, quàm pedum plantîs. Quanquam enim, quotieſcunque per ſcabra, ſalebráſque pergeremus; pedes totos etiam ipſe conſvêſſem operire, vulneribus decli-

declinandis: ſiquando tamen (ut ſæpiùs)paluſtria nobis, aut arenæ littorales, ac ſabulum, occurrerent; moleſtiæ redimendæ gratiâ,pedeſtria tegumenta ponebam. Tunc tibialia pariter, & ſoccos, de cingulo potiùs, quàm de crure ſoleáque, geſtabam; ne glareis (ut fit) lapillíſve, neu' ſalſugine putidóque luto,refertus hic amictus, plus eunti gravaminis,quàm opis,afferret. Tantummodò, ſub hoc ipſum tempus, calceos ne de zona quidem,veteri more meo,ſuſpenderam: ſed, quòd itineris initia tam oculis, quàm pedibus perplacerent, ad PEDIOSAE ſarcinas contemptim penitùs eos abjeceram. Hôc nudipedum ritu, per campos primùm æquabiles incedebam; tantùm non delicatè: certéque ſine notabili progreſsûs mole. *Charitatis* enim,adversùm ſitientem PEDIOSAM,*affectus, moleſtiam omnem demitigârat.* Non multò verò,poſt iter inchoatum; arenoſos iterum in locos eſt ventum. Illic humanorum veſtigia pedum obſervavimus;ingens regionum ignaris ſolatium; & accolarum(ut rebamur)haud ità procùl diſtantium, argumenta non obſcura. Suſtulimus ergo pariter cum voce manus: ac T. B. R. OPT. Numini gratias habuimus; quòd in loca culta paullatim deducere nos cœpiſſet: ſed(prôh dolor!)ignari rerum, & immemores humanorum eventuum Labyrinthi. Quippe,qui poſſemus iiſdem veſtigiis, tam ad Caci latronis antrum; quàm ad Herculis Servatoris Aram, deduci. Poſtea quidem ſanè compertum eſt; nec Hiſpanorum pedes ea viæ ſigna, nec omnino Chriſtianorum,impreſſiſſe: ſed illàc vagatos bar-

baros, Americæ cultores; &, quod omni terrore triſtius eſſe debuerat, veriſſimos Anthropophagos inceſſiſſe. Quanquam enim procùl locis iis (& ad hybernum ſcilicet Solis ortum) Braſili degant, humanæ carnis voratores; procùl quoque Caribes, Canibaléſve, paris farinæ mortales, ad Orientem æſtivum abſiti: Tamen Occidentalior etiam America; nec non, quâ parte Boream, Hiſpaniolam, *Hiſpaniámque Novam* reſpicit: eorundem gulonum imitatoribus non caret. Et hi, nec audaciâ Braſilis, nec robore virium; multóque minùs, morum atque dentium feritate, cedunt.

Nos interim, futurorum *ignaros, & ideo Periculum, tanquam magnam felicitatem, adorantes*; nihil iſthæc conſternabant. Immò, præcipitî paſſu, ruebamus ignotum in diſcrimen, deſtinatámque menti ſylvam; tanquam veriti, tam præclaram occaſionem damni facere. Sed Sylva quidem illa, quæ jam dudum ante noſtros oculos, ac longô tractu, ſteterat; ſubduci repentè nobis eſt cœpta: poſteaquam ipſe veſtigiorum ductus, nos ad arbuſtum quoddam deduxit, quod itineris ferè circa medium ſurgebat. Id, ſpatiô loci diffuſum, & amplum; atque præter hoc virgultis, præcelsíſque thyrsîs ſubrectum ac denſum: omnem nobis ulteriùs poſitorum nemorum proſpectum intercluſerat. Ad ea teſqua nos, humanorum (de quibus memoravi) pedum notæ, ſemper adhuc arenis immanentes, pertraxerant: à quibus, ad ſcrupulum uſque gradu gradum conſectante, nuſquam exorbitaveramus. Erant autem teſqua veriùs, quàm

quàm arbuſta dumetáque; difficilia profectó perplexáque; ſed tamen perrecturis vincenda neceſſario, perrumpendáque. Quæ progrediendi difficultas ſimpliciter comites meos; at me graviùs, & duplici malò, mactabat. Nam, quòd virgultis internatæ ſpinæ, dumíque, rhamnorum in morem horrerent; non poterat nudato corpori, per medium eorum tendenti, contingere progreſſus indemnis: cùm præſertim, ævò longo brumíſve derupta, paſſim acuta ramalia, ſpinoſáque fragmina, ſemitam omnem operirent. Et hoc tantùm incommodum. Socii quidem mei manibus duntaxat (utcunque veſte tectìs) excipiebant: digitiſque modicè cruentatis, dum vepreta perſtringunt, viam aperiebant; inviolatìs membrorum reliquìs. At mihi dextrâ ſimùl ſiniſtráq; dimovendi ſentes, ſimùl pedibus undequaque renudatìs proterendi: corpus univerſum, vulneribùs proſciſſum, largo ſanguine pingebant.

TUNC ergo demum reputare cum animo meo cœpi; quàm abſurdè, quámque negligenter & improvidè feciſſem: qui, *tam prolixum in iter, tam breve conſilium attuliſſem*; &, adversùm tot vulnera, non ſaltem corio (quod minimi tamen negotii fuiſſet) ſoleas obarmâſſem. Et ego quidem, aut incuriam meam, aut ſtultitiam; aut etiam (*quod* IRATIS *tritiſſimum eſſe ſolet*) *infelicem nativitatis meæ* STELLAM *incuſabam*. cùm inter hæc tamen, de me Stellarum opifex optima quæque Sidera Fatáque diſponeret: &, ex ipſa calamitate mea, ſuo more, Salutem (ſed retrogrado tramite) provocaret.

VIII. PRINCIPIUM incolumitatis meæ, tanquam inſequentium bonorum ſemen, ipſi Socii jecêre. Quibus tamen ego, mirabili Divinæ Providentiæ circulô, periculorum ac mortis initium, inſcius invitúſque ſtruxi: dum & ego meum illis conſilium approbavi; nec minùs illi mihi ſuum. Sic eſt autem acta res: & priores illi, tragœdiæ ſuæ ſtravêre ſcenam; *Quid tu, miſer* (inquiunt) VICTORIA? *Tu tantô ſanguine* (nam cruentatos pedes videbant) *tantillam emis aquam? & omnium laceratione membrorum, exiguum alieni gutturis refrigerium inveſtigas? Scimus enim, & negare non potes; te non tam pro teipſo, quàm præcipuè pro* PEDIOSA *tuo, ſitire. Miſeret autem nos (mediusfidius!) & multùm tui miſeret; adoleſcentis, in omni contubernio noſtro tenerrimi: minimè tamen omnium, ætatulæ tuæ parcentis. Quin tu potiùs,* PETRE; *quin aliquando temetipſum reſpicis? Revertere, per quidquid divinum eſt! ſiquid nos, ſiquid tuos, & matrem, atque adeò* PEDIOSAM *ipſum amas. Nam hunc tu, ſiquid humani patereris, tot ipſius cauſſâ plagis confectus; tecum unà confecturus eſſes. Hoc ergo potiùs, cujus nos auctores tibi ſumus, fac; & redi, ſi ſapis. En, utres (uti vides) noſtri, capaciſſimi ſunt, tuóque, propemodum in duplum, ampliores. Ex iſtis ergo tu, tuúſque* PEDIOSA; *quantum voletis, tantum bibetis: ſimulac nos, fontium potiti, recurrerimus. Tantùm nunc, amabò, revertere!*

NON *fuit difficile,* PERSUADERE *reditum homini: quem* hinc quidem *tot difficultates*; illinc autem tot promiſſa *circumſtarent*, ac preces. Statim itaque *vale* dicto, gradum ſimùl utrémque refero. Sed, ecce, medio regreſſu,

comitum

comitum alius quidam, ex iis, qui ſubſederant, contrà graditur. Eum exemplum utique noſtrum, ac ſitis improbitas, de quietis deſidia, tanquam veternô quodam, excitârat; ad aquarum dulcium indaginem. Is ad me prior; *Quid eſt* (infit) *piger? & tu revérteris? quantúmque video, caſſô, tam ventre, quàm utre?* Cuj,cùm ego raptim, & per compendium,cauſſas mei reditûs detexiſſem; *At mihi* (clamat ille) *longè mens alia, major animus eſt. Contra teſqua, contráque ſpinarum morſus (ſicut ipſe cernis) pedum arma robuſta ſunt: calceique ſutiſſimi: ſed uter nullus. Tuum igitur culleum mihi cede. Tu verò, quô cœpiſti tramite remeare, remea.* Simul,utre de manibus extortô meis, ipſe quidem præceſſores duos curſu perſequitur; & ad ſylvam deſignatam contendit. Ego contrà, pæne mœſtus, eô titulô, quòd inutilis ad omnia viderer aliis: ſicut inſtitueram, retrò pergo.

SED, ô luſum eventuum admirandum! Nam ego, quem ſenſim jam, etiam ipſum, aquæ penuria torquebat, & enecabat; inter ipſos vitæ ſupremæ tractus, in tutum vitam repoſui. Socii contrà, qui mortem fatíque neceſſitudines, utroque pede, fugiebant; ii mortem invenerunt. Nam, quæ poteſt alia de tribus illis aquatoribus, in cujuſquam animo, conjectura vel ſuſpicio, reſidere; quàm, eos expleviſſe diem ſuum? & id quidem per violentiam,alienámque barbariem? Interitûs quidem certè ſatìs clarum viſum indicium eſt; quòd nec illo,nec adeò poſterô die, quiſquam illorum ad nos revénit. Ad ſummam! ne tertiâ quidem luce (quam ne-

mo facilè, jejunus, deſertis in locis, trahit) recurrêre; quanquam ad meridiem uſque Sociis præſtolantibus; & oculos cominus eminúſque, tanquam in redeuntes, inutilî circumſpectu vibrantibus. Omnes igitur, ſocialis opis deſperatione tandem ſubacti, de trium aquatione pariter actum conclamamus: & eodem ipſo, quem occupâramus, loci tractu, terram egerere ſollertes; refoſsis ceſpitibus moliri puteum inſtituimus.

Neque defuit aut operi ſuus fructus; aut ſuis ſucceſſibus inſtrumenta laboris. utique poſteaquam, infatigatâ contentione, gladiolis pariter noſtris, & piſcatorum aſciis (tanquam ſarculîs ac ligonibus) terræ duram indolem expugnavimus. Tandem enim, ad pedes circiter ſeptenos demiſsô foſſionis labore; ſcatebra cœpit affluere.

Verùm, *nequando* nobis *ullum*, naturæ cœlîve *beneficium*, *ſine facibus affunderetur*; eam fatorum invidiam, quam itinere reliquo toto ſenſimus, etiam in hoc fonte guſtavimus. Erat enim, quantuſcunque ſcatebat humor; turbidus, craſſus, lutulentus; ac, præter hæc, marcido putore luridus, & inſvavis. Ad ſummam! inſipidus latex; ac (ſi verum confiteri volumus) cloaca veriùs, aut Stygia ſalſugo; quàm fons, aut Arethuſa Sicula. cadaver denique potiùs, & tabum undarum; quàm ſcaturigo venáque viventium Aquarum. Sed ſcilicet; *Ante cupiditatem Neceſſitas fuit*! Quâ proinde nos perpellente, conſultius eſt viſum; etiam deterrimîs potiùs refici: quàm, per ſuperbum faſtidium, cum extremis incommodis conflictari. Suſtuli-

mus

mus igitur veriùs, quàm hauſimus, fruſtra paluſtria: quodque ſpes eſſet, cum tempore deſiccatâ fontanâ, limum in fundo deceſſurum; omnes, ac totos, pileos undâ replevimus. Ego verò futuræ feræque ſatietatis impatiens: neque contentus rore, tardiſſimè proventurô; ſtatim immineo cupiditati præſenti: ſtrophióque, quod adversùs narium ſtillicidia circumferebam, immersô; quantulum humoris ſupererat, ex limoſo latice colligo. Deinde bibulam ſindonem labris meis applico; lentiſſimóque ſugendo ductu, potûs aliquid prolicio. Sed profectò tardè liquor, & inexorabili quaſi morâ procedens; propter ſpiſſam ac paluſtrem uliginem, mihi pumicem veriùs, quàm ſpongiam aut linteolum, aquâ tinctum, referebat. Donec ad extremum, vix ac ne vix quidem, guſtulum magìs, quàm hauſtum, extorſi: Pauculíſque ſtillis volam primùm, mox fauces utcunque ſubrigavi; non rigaturus, niſi, preſsè conſtrictis digitis, inter utramque manuum palmam ſudariolum, madore roſcidum, diverâſſem. Tunc enim tandem expreſſam lympham ingeſſi gutturi ſiticuloſo; propter extremam quidem neceſſitatem nihil reſpuenti; ſed revera tamen ſordes illas nauſeanti. Faſtidii porrò, tunc ructantis, gravi ſenſu mox ventriculus diſcruciari cœptus eſt; ſtomachi penetralibus everſis, ad vomitûs uſque revomitúſque turpitudinem. Itaque factum eſt; ut jam *atrocius* eſſet, *Bibiſſe, quàm ſitiſſe, tormentum.*

IX. CAETERUM nos, collectis vaſis; quoniam per ferarum metum, & incerta caſuum

à barbaris, parùm tutum erat, iis in locis moram trahi; profectionem omnes uno pede reſumimus: ſciſcitantes interim, & alternis interrogationibus admirantes; *Ecqua tres Hiſpanos illos, à nobis ante triduum digreſſos, aquatio, vel exitus, excepiſſet? Quo nunc ergo loco? quibus indigenarum ſtudiis, aut animis, uterentur? Vivíne ſpirantéſque circumirent? an potiùs, expletâ mortalitate, cum pluribus, in ſeculo diverſo, degerent?* Haec dum inter nos ipſi, vario ſermone, nec ſine miſericordibus curis, agitamus; repentè, nihil minùs cogitantes, ecce, pedibus in unum aliquem de tribus utribus, impingimus: temerè jacentem ante progredientium oculos; & (quantum apparebat) ab aquis adhuc intactum. Etenim corneâ pœne duritie rigebat. Agnovi nihilominus (ô luſum & varietatem caſuum ſtupendam!) agnovi meum ipſius hunc, nec alterius, fuiſſe culleum; aquandi cauſsâ, poſtremo de ſociis, conceſſum: velut ſuprà memoravi. Conſpectô, recognitóque teſtimoniis omnium, aquali (qui nunc tamen tam neglectim projectus jacebat) intremuimus equidem, animo ſuſpenſi; Quid tandem aquanti ſocio calamitatis incidiſſet? Eámque ſollicitudinem auxit, oblata non multò pòſt, eádem viâ, Panis bis cocti cruſta; barbarorum, in maritimis Americæ, ſolemnis, nec à nobis ad id uſque temporis conſpectus, cibus. Ea, quaſi per deſpectum abjecta, voluptatéque melioris epuli faſtidita; volucribus nunc duntaxat in pabulum, aut mendicis, jacebat. His acceſsêre, præter cæteras funeſti latrocinii conjecturas & argumenta; paſſim ad tri-

cena millia paſſuum, itinere toto diſperſa conviviorum ſigna: relicti ſuis in cineribus ignes; &, adhuc ſemuſtis ſtipitibus ſcintillantes,foci: denique, ne ſim longior, cunctæ feralis lætitiæ cæremoniæ; quibus Americani (quoties humana corpora deartuant, atque glutiunt) cum indulgentiâ nepotantur.

Enimverò pleniſſima tunc demum omnibus facta fides eſt; Quòd, tantò pòſt, nemo trium illorum ad nos remearet; eos, citrà dubium, à barbara palantium manu cæſos: & ad flammam, ac lignea verua, lentis, pro more, circumactibus aſſatos, & abſumptos. His ergo, *cùm Quietem in ſolo terráque ſua* ſors improſpera negâſſet (quippe truculentò latronum ventre tumulatis)nos REQVIEM tunc pariter omnes apprecamur; & REQVIEM quidem, in patria meliore, SEMPITERNAM. Fluunt interim certatim,per mitiſſimi cujuſque genas, piæ lacrymæ, lugubréſque ploratus. Simùl, in hæc, crudeles terras, crudeles mores ac mortes,exſecrati; celeri fugâ,totóque pedum ſtudiô, demigramus: & (relictô, quem primùm inſtiteramus, viarum calle) per amfractus obliquos, in loca devia deflectimus. Vt tutiùs autem falleremus;ſine vocibus, ſine veſtigiorum ullo ſonitu, per ſilentium compoſitiſſimum digredimur: &, affectatis ultrò ſemitarum erroribus, inſidias Anthropophagorum, quæ plerumque regias tritáſque vias inſidere gaudent, impræſentiarum feliciter eludimus, & irridemus.

ARGONAUTICÔN
AMERICANORUM,
SIVE
PERICULORUM PETRI
DE VICTORIA
LIBER X.
CAPITVM BREVIARIVM.

I. *Divinam erga ſe curam, Petrus animo grato recognoſcit, & adorat: quæ ſe ab anthropophagis ſervâſſet. Immani fame ſtimulati Socii, vertuntur tandem ad crudos cibos, & avium cadavera: ad quæ devoranda, Victoria ſe ſacrâ profanáque Philoſophiâ inducit & confirmat.* Comment. pag. 92.

II. *Durante eádem, & creſcente, inediâ; Petrus colubrum conficit; confectúmque, clanculum cogitat abſumere. De Cubanis ſerpentibus, mira,* Comment. pag. 93.

III. *Veſcentem Victoriam, duo ſociorum deprehendunt; invidéntque. His ipſe, de colubri æquali portione litem moventibus, prædæ partem concedit: reliquâ totâ ipſe fruitur.* Comment. pag. 93.

IV. *Ad trifidum, ingentémque fluvium perveniunt. Quem, dum, extemporali compactâ rate, ad corporum alimenta conquirenda, Quattuor è Sociis trajicere conantur; fractâ ſcopuloſam ad Inſulam rate, in gurgites excutiuntur.* Comment. pag 94.

V. *Naufragorum territi clade cæteri, ultimam ad deſperationem, lamenta, mortiſque certam*

tam exſpectationem, convertuntur. Victoria verò, etiam ulteriùs progreſſus triſtitiâ, in ſolitudine ſepulcrum ſibi conchylio effodit. Ad illud ſubeundum, ſe precatione ſupremâ comparat. Comment.pag.94.& 95.

VI. *Petrus in conditorium, quod ſibi fecerat, deſcendit: ibíque compoſitus, mortem ac tribunal divinum, præſtolatur. Cur crediderit, ſibi ſummam horam inſtare? Sepultum, Sacerdos tandem jocis feriiſque reſuſcitat: &, invitiſſimum licèt viribúſque deſtitutum, ad Socios reducit.* Comment.pag.95.& 96.

VII. *Reductum, ac frigore prope enectum, Socii, exſtructam ad pyram, reficiunt. Is, ex calore conceptâ ſiti; poſcit aquam ex fonte, quem intereà comites in littore proximo aperuerant. Aquator, pro unda Cancros apportat, & uberis obſonii latum nuntium.* Comment.pag.96.& 97.

VIII. *Ad cancrorum capturam, inter tenebras, concurſant omnes. Eos ad rogum, maximâ copiâ, referunt; coctiſque, ad pleniſſimam ſaturitatem veſcuntur. Petrus, non ventre tantùm, ſed & veſtimentis impletis, ad ignem nocturnum ſedens, conſopitur.* Comment.pag.97. & 98.

TVNC ego primùm, collectâ (velut poſt longum ſomnum, deliquiúmve) ſapientiâ; Numinis agnovi circa me ſollicitudinem. Tunc, defixis humi poplitibus, illius adoravi Providentiam: ut, quæ me per eadem diſcrimina, cum iiſdem comitibus, in idem vadentem exitium; non tamen eodem voluiſſet interitu mactari. Quibuſcum ſi calceatus ambulâſſem; in mortem minimè du-

biam profectus, & corium perdidiſſem & vitam. *Ità* SALUTI *multum ſæpe fuit; Neceſſariis caruiſſe: contrà verò damno peſtique, Copia.* Sed interim Socii (dum ego gratiis perſolvendis intentus ſum) progredi, feſtinare, pedum omni connifu laborare, prævolitaréque; propterea, quòd locis tam ſuſpectis moras trahere, ſtolidum appareret. Eos ego nihilominus celeriter conſectatus, tandẽ aſſequor: ac, necubi divulſus eorum conſortio (ſicut quondam) in vetera mala reciderem; veſtigiis ſocialibus religiosè poſthac inhæreo.

TRIDUI fuit iter, per inculta vaſtáque lapidum fragmentis loca, pérque ſabuloſas terras: nullo victûs humani, nullô potûs, ſubſidiô; quippe rerum omnium, quas natura flagitat, ſterili nudáque regione. Tantummodo paucula, quas (ut reor) gravis aër dejecerat, volucres hàc illàc jacebant ſparſæ: jam pridem putore graveolentes; & in tabum, exedente die, ſemireſolutæ. Suſtulimus nihiloſecius earum fluentia cadavera; crudáque, ſicut erant, invaſimus; utique, poſteaquam nec ignis tunc ad uſum, nec adeò chalybs ad manum, aut fomes fuit. Nam ignium omne ſuſcitabulum, ſociorum quidam ſecum abſtulerât; ex eorum numero, qui complures ante dies à nobis perierant. Itaque truculenta, veréque lupina, fuit illa gulæ rabies; quæ nos ad hanc neceſſitatis obſcœnæ deduxit ingluviem: cùm, in tam abſurdo paſtu, miſta pariter coirent, hinc edendi deſiderium, illinc glutiendi nauſea; cupidóque ſimul, & horror ciborum, nos torquerent. Sed mihi tunc in tempore profuit; jam olim in

teneris

teneris APOSTOLICA *Geſta*, Divo Lucâ ſcriptore, volutâſſe: non quidem ad vitam pro CHRISTI legibus impendendâ quod feciſſe fertur ex eorumdem lectione, DOMNA, Sacerdos quondam ſuperſtitionum; poſtea Martyr. Non (inquam) non ad ſanguinem tunc fundendum, illa me lectio ſtimulavit; ſed ad vitalem potiùs ſpiritum prorogandum. Succurrit enim tunc memoriæ meæ, *Linteum* illud *cœlò demiſſum*; omni quadrupedum, reptilium, alitúmque colluvie refertum: & in mentem venit vocis illius, ſuper PETRUM in ecſtaſi tertiùm devolutæ; SURGE, MACTA, COMEDE! *Quid tu?* (dicebam egomet mihi; faſtidium animi mei, per victoriam meimet, increpitans) *Haccine morticina notiſſimarum avium, ſpurciſſimis illis peregriniſque monſtris, PISTOLO propinatis, ſordidiora tetrioráve ſunt? An tu, PETRE, PETRO ſacri collegii Principe, melior major, dignior? Quin* SURGIS *itaque tu quoque? convivitúmque nullius indigum lanionis, ac jam ab ipſo Fato præparatum, abſumis? Prætende tantummodo manûs alterius digitos oculis: & eos operi. manu vero ſecundâ dentibus oriq tuo fruſta, quæ nunc nauſeas, ingere: putáque tanquam certum; Te nequaquam incoctam, aut vitio ſcatentem, volucrem: ſed Aprugnam gratè putidulam, ſed vitam, ſed ſalutem, ſed multos annos, devorare.*

Dicebam iſta, diffidenti licèt, multúmque diſcordi, ſtomacho; quin etiam, creberrimâ ructatione, jam in anteceſſum, reluctanti. NEC *enim* INVITAM *Naturam rationibus ullis coegeris; Vt libenter acceptet, quod ab inti-*

mis abhorret: útque ſordes ac faſtidium, vertat in delicias & voluptatem. EGO tamen nihilò ſegniùs intrudebam (etiam recalcitranti gutturi) totas mortis reliquias; quæ mihi, partitionis jure, de volucribus ceſſerant. Et, quanquam defluente per gingivas ſanie; vermiculiſque, de corrupta carne, ſub dente crepitantibus: tamen generosè, velut per ſummum Genium, quidquid inveneram, abligurivi; dictitans ſubinde, quodammodo per Intercalarem ſententiam, ipſi mihi: NIHIL, *mi* PETRE, *nihil tam* INSIPIDUM *eſſe poteſt; quod* IMPROBA *fames non ſtomacho conciliet!*

II. EQUIDEM hâc philoſophiâ tantum profeci; nihil ut eſſet, quod poſt eam diem non veſcum & utibile ducerem. Irritavíque potiùs (ſi confitendum verum eſt) quàm conſopivi placavíſque, famem; primæ dapis iſtius audaciâ. QUIS *enim,* RUENTEM *ſemel in vetita gulam, ſiſtat; tanto viſcerum incendio?* Necdum igitur penitùs conſumptâ volucrum Libitinâ; dum (velut aliud agens) huc illuc oculos meos circumfero: derepentè COLUBRUM obſervo; non contemnendi corporis tractu, ſe de vicino ſcopulo gyrantem. Non eram tunc memor NESTORIS illius mei, priſci navigationum comitis: quem ſæpius narrantem audieram, cùm diceret; *In* AMERICA, *mi* PETRE, *non tantùm in uſu ſunt cibi, naturæ dictamine pretioſi, probatíque: ſed ſcito; Tam inhumanum hîc nihil eſſe, quod non humanos ventres intret. Nam & ſui generis ortúſque mortalibus, indigenæ paſcuntur: ac præter hæc etiam*

SERPENTIBUS. *his Braſilorum populi quidem epulantur; ſed innoxiis: & non pauca præterea gentes hujus cœli; ſi non tanquam deliciô, certè tamen, velut alimentô.* CUBANOS *autem Inſulanos, jam non Anguibus duntaxat, ſed propemodum Draconibus victum exercere, perhibent; vagrandibus quidem illis, at venatu captúque facillimis: molli pelle, mitiſſimâ carne; præpinguibus atque craſſis: venenorum interim ignaris, ac proin indemnibus.* Addebat etiam; Ex illis vaſtis Serpentibus nonnullos eſſe Carnivoros; ſvetóſque deglutire beſtiæ quoddam quadrupedis genus, magnitudine partim léporum, partim vulpium Europæarum. quod animal *Guabiniquinácos* vulgus indigitat. Fuiſſe quoque; qui ſeptenas octonáſque meminiſſent id genus animantes, ex unius Colubri Cubani viſceribus, ante coquinam, erutas; ac miraculo convivis tranſmarinis fuiſſe. (*a*) Talia complura mihi NESTOREM retuliſſe, frequenter poſtea per otium mecum retractavi. tunc autem eorum nihil in memoriam erat; dubitaturo cæteroquin, tam periculoſæ fidei tentamentum ſubire. *Maluiſſem*, haud dubiè, *credere, quàm experiri.* Sed, *quid facias in fame, reliquorum omnium immemori; tantúmque ſui ſollicitâ?*

Confeſtim ergo, nullâ carminum aut incantationum curâ, ſolus ac filens, in anguem conſpectum inſilio. Preſſum pedibus, & occupatum, præfóco: reluctantémq; collo, caudâ, ſibilis; gladiolô meô, quo tum ſcipionis vicem per ardua nitebar, contrucido. Deinde, poſtquam cum cruore ſimul venenum (ſi-

quod

quod inſuit) lentâ compreſſione deſtrinxi, totúmque tabum non negligenter eliſi: perſuaſi mihi tandem; quidquid in Colubro peſtiferum latuiſſet, id ad innocentiam uſque defluxiſſe. Quare poſt eandem (in qua prædam oppreſſeram) rupem, ſuſpenſo me gradu refero; tantúmque non, clam ſociis, ſuffuror. illic dentibus, adhuc quidem avidiſſimis, cæterùm modeſtè mandentibus, ac ſine veſcendi ſtrepitu laborantibus; viperam occiſam invado, depaſcórque: deluſurus (ſicut opinabar) & famem pariter, tam opimis rariſque dapibus: & ſociorum meorum conſcientiam, fraudulentâ taciturnitate.

III. SED nempe; NULLA *Felicitas ſatis, vel adversùs Invidiam, vel adversùs Inopiam, latet.* Veſcentem enim me, de noſtris duo, qui proximè radices ſcopuli conſederant, ſpeculati; nidoréque crudæ carnis (ut præ ſe ferebant) excitati, quod res erat, confeſtim ſubodorantur; ac me veſtigant. Senſim deinde pedum meorum notas, per ſabuloſum aſcenſum, inſecuti; clamore PETRUM ſuum cient: ac denique, poſt ſaxum ſedentem, deprehendunt, tunc vel maximè colubrinis cupediis illaborantem. Aggrediuntur illi me precibus: ac tantùm non vi, tantùm non per rixam, expugnant; in partem voluptatis ut admittantur. Animam cæteroquin & ſpiritum damni facturos ſe; niſi miſericordiâ meâ, communiſque calamitatis reſpectu, ſervarentur. Quid multis? Victus illorum importunitate, non modò manus; ſed & fortunæ meæ portionem, flagitantibus dedi. Quo ferro Serpentem confeceram;

eodem

eodem confectum & jam ambeſum, partior: capite collóque, cum corporis dimidio, Sociis duobus cedente; mihi verò, (quia ſic urna ſórſque tulerant) alterô corporis ſerpentini dimidiô, cum caudâ, retentis. Nec tamen fuit (ne ſic quidem, poſt tam profuſam indulgentiam meam) apud illiberales animos, altercandi finis. Litem mihi novam intendunt, *more mortalium avarorum*; *quos nulla nec gratia, neque Iuſtitia ſatiat*. Quoniam enim viſcera cernebant, inteſtináque colubri, ſupereſſe; contentionis funem ex ipſis lactibus extíſque viperinis, trahere cœptant, Flagitant, inſtántque precibus, importunitate, minis, invocatione denique Legum; UT, quoniam hæc Indiviſa remanerent; in *Partitionem* ac *Sortem legitimam*, etiam ipſa venire paterer. Putâſſes, ſi clamorem rixantium audiſſes; *Ajacem inter Vlyſſemque, ſuper armis Achillis occiſi*; non ſuper unius Anguis ſordibus, *coram Agamemnone, regum rege, contendi*. Sed nempe, vici tandem ego, nullo litis arbitro ſequeſtróve; ſed tantùm injectâ fortiter, in rem controverſam, utráque manu: Cùm adversùm competitores interim magnâ facundiâ, totíſque faucium viribus, declamitarem; ÆQVUM eſſe, QUOD *ſuum cujuſque foret, ſuum fieri maneréque*. PRAEDAM, *venantis eſſe debere, non, Intervenientis*; BONUMQVE *Derelictum, Primi* (quod ajunt) *occupantis*. Quantò magìs igitur, hoc qualequale ſpolium; interfectoris ac *Draconicidæ* periculô, ſanguinéque, partum? His illi *forenſibus* auditìs *tonitruis*, conquievêre; ratione tamen, quàm voluntate, promptiores. Ego contrà,

Poſſeſ-

Poſſeſſionem, quam aſſeruεram, adii, quam ne-quis novus turbaret caſus, aut recens interpellator extorqueret; confeſtim ad fibras ultimas uſque deglutivi: ſpectantibus, ac nequicquam infrendentibus, æmulis meis.

IV. QUARTUS interim Dies illuxerat; ex quo primùm tempore campos illos, rupibus arenáque ſqualidos, ingredi cœperamus: dies ater & nubilus; præcedentibúſque, nec Sole mitior, neque ſucceſſu ſecundior. Etenim nec ille quidem ulla vitæ ſubſidia famelicis monſtravit: ac, præter hoc, omnium ignaros ad fluvium deduxit quendam, aliis geminis connexum amnibus; ſanè profundis, iiſdémque rapidis, vaſtis, ac vorticoſis. Eorum, ſub unam collecta menſuram, latitudo; ſedecim ſtadiorum ſpatium, citra controverſiam, explebat. Illic aquarum fuit abundè, ſed maris ſalſugine corruptarum; ac, propter hoc, ad leniendam ſitim, nihil ſervientium. In aſcopéris porrò vidulíſque noſtris, non coctus cibus, non crudus; non aridi cruſta panis, non fragmen aut micula, reſtabat. Quod gravius eſt, ac vel pecudibus conciliare miſericordiam debuit; ne ripa quidem ulla trium amnium (vel citerior, vel ulterior) virenti gramine, vel herbâ, fertilis apparebat.. quorum tamen gignentium pabulô radiculíſve, penuriam extremam mitigâſſemus.

MANIFESTUM igitur erat; nos omnes in ſupremis, inevitabili neceſſitate, conſiſtere: quippe, quos mortalium omnium miſerrimos, non jam res tantùm, ſed omnis prorſus exſpectatio meliorum; ipſúmque conſilium,

lium, defeciſſet. Cùm autem multas in curas animum divideremus; ac, poſt ſeriam deliberationem, aliud alii placitum animo ſediſſet: tandem ad veteres, & hucuſque ſemper eventibus damnatas, ſpes convertimur; POSSE *rudi navigiô, vel tumultuariâ rate, ſuperari truces undas. poſſe, parvâ remorum contentione, magna comparari bona; fortunatioréſque denique terras aperiri. Sed, quoniam uni fabricæ periculosè totum contubernium imponeretur; utpote, quod ipſo ponderè, moléque tot corporum, degravaturum eſſet infidam trabium compagem: prudentiam fore, per partes ac ſingillatim, Quaternos ſenóſve tranſportari; neque lævo caſu, ſimul omnes conferti, mergeremur. Sic utique vecturam Sociorum præcedentium, ſubſecuturis aut præludium atque ſtimulum futuram; aut (quod clementia Superûm prohiberet!) dehortamentum, & conſervandæ Salutis exemplum.*

Cùm hæc ſententia cunctis denique probaretur; morâ nullâ materies comportatur. Fieri nectíque ratis incipit: ac, junctis per diem illum noctíſque partem operis, & improbô ſtudiô; manè poſterô, priuſquam omnino dileceſceret, flumini proximo compacta machina demittitur. EAM *Quattuor*, ex omni Sociorum numero delecti, viribus audaciáque promptiores, occupant: &, adhuc ſubnigrante crepuſculô (ne nobis ſucceſſuris in mora ſint) properè detrudunt, propellúntque; nullo neque remo, neque palmulâ: ſed tantummodo, quas tum caſus obtulerat, vexúrîs. quod genus arundinis Americanæ (ſicuti non ſemel dictum eſt) firmum

ſpiſ-

ſpiſſúmque; ſoliditate ſuâ fluctibus everberandis valet. His armamentis, adversùm fluminis impetum, haud uſquequaq; ſatìs idoneis; quoniam latitudo, remis ſveta, deerat: ornati magìs in ſpeciem, quàm ad neceſſitatem inſtructi, navigabant. Sed amnis vix medium attigerant; cùm, incitantibus ferociter compagem aquîs, & teretibus vexúris fruſtrà contra curſum obnitentibus; tenuî ſpartô colligatæ trabes ſolvuntur: & ad Inſulam quandam, rupibus prætextam, affliguntur. Vectores autem, fractâ rate, gurgitibus, ante noſtros oculos, hauriuntur.

V. Tunc demum clamores, & ultimæ complorationes; qualibus, in charo funere, ne præficæ quidem altiores ederent. Tunc mens omnis, ſenſúſque, conſternatis éxcidit: obverſante, ſingulorum obtutibus, tenebroſâ quadam caligine; venturæque mortis imagine formidandâ. Tunc membrorum tremor; tunc genuum poplitúmque dejectio; tunc immo de pectore prorupti gemitus, & voces, ac fletus, &, ſua deteſtantium errata, luctus: tunc, certatim ad Sacerdotem accurrentium, & flagitia ſua fateri præoccupantium, confluxus, ſtudium, ardor. Tunc, ut quiſque delictorum veniam prior reportaſſet à Petri *Clavibus*; priorem idem, in animo moribúſque corrigendis, ſe præbere; prior odia ponere; delere de mente ſimultates; alter alterum amplexu ſtringere; miſtíſque caſtiſſimô ſvaviô lacrymis, veterum offenſarum mutuam gratiam, vel dare; vel rogare ſimul, & accipere. Tunc (ut in ſummam omnia conferam) Horæ ſupremæ ſeſe ſinguli, per omnia componere.

Quæ nos dum agimus, aliorum omnium, præter Æternitatem, obliti; tempus interim matutinum decedit: & claro Sole meridies accenditur; paullò pòſt ſecuturo frigore brumoſi veſperis extinguendus. At nos, tanquam extremùm conſpecto Sidere; jámque deinceps non niſi perpetuam in Noctem abituri: *vitiò, miſeris omnibus ſolemni, Lucis odium concipimus. Hoc enim habet* OMNIS *Calamitas enormis; ut mortis deſiderium, & vitæ fugam, ſentientibus infigat.* IBI tum ergo nos ſilentes, horridi, pallentes, dejectis oculis atque frontibus, alius ab alio digredimur: & ſibi quilibet, quam mente finxerat commodiſſimam, latebram indagamus. Eam cùm pro ſe quiſque reperiſſet; inſidemus, non jam ut Seceſſum ac Speluncam: ſed planè, tanquam Sepulcrum atque conditorium. Vſqueadeò Mori deſtinaveramus.

Ad me verò quod attinet; libenter equidem confitebor vitæ deſperationẽ; &, *Conſtanti* viro parùm dignam, animi mollitudinem. Hujc tamen, æquos apud lectores, ſpero gratiæ futurum aliquid; tum ex ingenua culpæ publicatione: tum ex ætatis, quam tunc agitabam, teneritudine. Cùm enim omnes eodem mœrore, parſque mutui conſpectûs faſtidiô, dilabi cernerem: cùm obſervarem, ne PEDIOSAM quidem in veteri ſuavitatis officio durare (quippe *Timónem jam* prorſus, *& Miſanthropum* effici cœptum: &, quid dicam plura?) cùm viderem, amiciſſimum quemque, jam, pro Pylade, vel Achate, Lucifugam & alienũ ſeſe gerere: non erubui tandem nec ego, de meo more conſuetu-

ARGONAUTICÔN AMERICANORUM,

SIVE

PERICULORUM PETRI DE VICTORIA

LIBER X.

CAPITVM BREVIARIVM.

I. *Divinam erga ſe curam, Petrus animo grato recognoſcit, & adorat: quâ ſe ab anthropophagis ſervâſſet. Immani fame ſtimulati Socii, vertuntur tandem ad crudos cibos, & avium cadavera: ad quæ devoranda, Victoria ſe ſacrâ profanâque Philoſophiâ inducit & confirmat.* Comment. pag. 92.

II. *Durante eâdem, & creſcente, inediâ; Petrus colubrum conficit; confectúmque, clanculum cogitat abſumere. De Cubanis ſerpentibus, mira.* Comment. pag. 93.

III. *Veſcentem Victoriam, duo ſociorum deprehendunt; invidéntque. His ipſe, de colubri æquali portione litem moventibus, prædæ partem concedit: reliquâ totâ ipſe fruitur.* Comment. pag. 93.

IV. *Ad trifidum, ingentémque fluvium perveniunt. Quem, dum, extemporali compactâ rate, ad corporum alimenta conquirenda, Quatuor è Sociis trajicere conantur; fractâ ſcopuloſam ad Inſulam rate, in gurgites excutiuntur.* Comment. pag 94.

V. *Naufragorum territi clade cæteri, ultimam ad deſperationem, lamenta, mortíſque certam*

tam exſpectationem, convertuntur. Victoria verò, etiam ulteriùs progreſſus triſtitiâ, in ſolitudine ſepulcrum ſibi conchylio éffodit. Ad illud ſubeundum, ſe precatione ſupremâ comparat. Comment.pag.94.& 95.

VI. *Petrus in conditorium, quod ſibi fecerat, deſcendit: ibíque compoſitus, mortem ac tribunal divinum, præſtolatur. Cur crediderit, ſibi ſummam horam inſtare? Sepultum, Sacerdos tandem jocis seriiſque reſuſcitat: & , invitiſſimum licèt viribúſque deſtitutum, ad Socios reducit.* Comment. pag.95.& 96.

VII. *Reductum, ac frigore prope enectum, Socii, exſtructam ad pyram, reficiunt. Is, ex calore conceptâ ſiti; poſcit aquam ex fonte, quem interea comites in littore proximo aperuerant. Aquator, pro unda Cancros apportat, & uberis obſonii latum nuntium.* Comment.pag.96.& 97.

VIII. *Ad cancrorum capturam, inter tenebras, concurſant omnes. Eos ad rogum, maxima copiâ, referunt; coctiſque, ad pleniſſimam ſaturitatem veſcuntur. Petrus, non ventre tantùm, ſed & veſtimentis impletis, ad ignem nocturnum ſedens, conſopitur.* Comment.pag.97. & 98.

TUNC ego primùm, collectâ (velut poſt longum ſomnum, deliquiúmve) ſapientiâ; Numinis agnovi circa me ſollicitudinem. Tunc, defixis humi poplitibus, illius adoravi Providentiam: ut, quæ me per eadem diſcrimina, cum iiſdem comitibus, in idem vadentem exitium; non tamen eodem voluiſſet interitu mactari. Quibuſcum ſi calceatus ambulâſſem; in mortem minimè du-

biam profectus, & corium perdidiſſem & vitam. *Itá* SALUTI *multùm ſæpe fuit; Neceſſariis caruiſſe: contrà verò damno peſtíque, Copia.* Sed interim Socii (dum ego gratiis perſolvendis intentus ſum) progredi, feſtinare, pedum omni connisſu laborare, prævolitaréque; propterea, quòd locis tam ſuſpectis moras trahere, ſtolidum appareret. Eos ego nihilominus celeriter conſectatus, tandē aſſequor: ac, necubi divulſus eorum conſortio (ſicut quondam) in vetera mala reciderem; veſtigiis ſocialibus religioſè poſthac inhæreo.

TRIDUI fuit iter, per inculta vaſtáque lapidum fragmentis loca, pérque ſabuloſas terras: nullo victûs humani, nullô potûs, ſubſidiô; quippe rerum omnium, quas natura flagitat, ſterili nudáque regione. Tantummodo pauculæ, quas (ut reor) gravis aër dejecerat, volucres hàc illàc jacebant ſparſæ: jam pridem putore graveolentes; & in tabum, exedente die, ſemireſolutæ. Suſtulimus nihiloſecius earum fluentia cadavera; crudáque, ſicut erant, invaſimus: utique, poſteaquam nec ignis tunc ad uſum, nec adeò chalybs ad manum, aut fomes fuit. Nam ignium omne ſuſcitabulum, ſociorum quidam ſecum abſtulerāt; ex eorum numero, qui complures ante dies à nobis perierant. Itaque truculenta, veréque lupina, fuit illa gulæ rabies; quæ nos ad hanc neceſſitatis obſcœnæ deduxit ingluviem: cùm, in tam abſurdo paſtu, miſta pariter coirent, hinc edendi deſiderium, illinc glutiendi nauſea; cupidóque ſimul, & horror ciborum, nos torquerent. Sed mihi tunc in tempore profuit; jam olim in

teneris APOSTOLICA *Geſta*, Divo Lucâ ſcriptore, volutâſſe: non quidem ad vitam pro CHRISTI legibus impendendâ quod feciſſe fertur ex eorumdem lectione, DOMNA, Sacerdos quondam ſuperſtitionum; poſtea Martyr. Non (inquam) non ad ſanguinem tunc fundendum, illa me lectio ſtimulavit; ſed ad vitalem potiùs ſpiritum prorogandum. Succurrit enim tunc memoriæ meæ, *Linteum* illud *cælò demiſſum*; omni quadrupedum, reptilium, alitúmque colluvie refertum: & in mentem venit vocis illius, ſuper PETRUM in ecſtaſi tertiùm devolutæ; SURGE, MACTA, COMEDE! *Quid tu?* (dicebam egomet mihi; faſtidium animi mei, per victoriam meimet, increpitans) *Haccine morticina notiſſimarum avium, ſpurciſſimis illis peregriniſque monſtris,* APICIOLO *propinatis, ſordidiora tetrioráve ſunt? Aut tu,* PETRI, PETRO *ſacri collegii Principe, melior major, dignior? Quin* SURGIS *itaque tu quoque? conviviúmque nullius indigum lanionis, ac jam ab ipſo Fato præparatum, abſumis? Prætende tantummodo manûs alterius digitos oculis: & eos operi. manu vero ſecundâ dentibus oriq́ tuo fruſta, quæ nunc nauſeas, ingere: putáque tanquam certum; Te nequaquam incoctam, aut vitio ſcatentem, volucrem: ſed Aprugnam gratè putidulam, ſed vitam, ſed ſalutem, ſed multos annos, devorare.*

Dicebam iſta, diſſidenti licèt, multúmque diſcordi, ſtomacho; quin etiam, creberrimâ ructatione, jam in anteceſſum, reluctanti. NEC *enim* INVITAM *Naturam rationibus ullis coegeris; Vt libenter acceptet, quod ab inti-*

mis abhorret: útque ſordes ac faſtidium, vertat in delicias & voluptatem. EGO tamen nihilô ſegniùs intrudebam (etiam recalcitranti gutturi) totas mortis reliquias; quæ mihi, partitionis jure, de volucribus ceſſerant. Et, quanquam defluente per gingivas ſanie; vermiculiſque, de corrupta carne, ſub dente crepitantibus: tamen generosè, velut per ſummum Genium, quidquid inveneram, abligurivi; dictitans ſubinde, quodammodo per Intercalarem ſententiam, ipſi mihi: *NIHIL, mi* PETRE, *nihil tam* INSIPIDUM *eſſe poteſt; quod* IMPROBA *fames non ſtomacho conciliet!*

II. EQUIDEM hâc philoſophiâ tantum profeci; nihil ut eſſet, quod poſt eam diem non veſcum & utibile ducerem. Irritavíque potiùs (ſi confitendum verum eſt) quàm conſopivi placavíque, famem; primæ dapis iſtius audaciâ. QUIS *enim*, RUENTEM *ſemel in vetita gulam, ſiſtat; tanto viſcerum incendio?* Necdum igitur penitùs conſumptâ volucrum Libitinâ; dum (velut aliud agens) huc illuc oculos meos circumfero: derepentè COLUBRUM obſervo; non contemnendi corporis tractu, ſe de vicino ſcopulo gyrantem. Non eram tunc memor NESTORIS illius mei, priſci navigationum comitis: quem ſæpius narrantem audieram, cùm diceret; *In* AMERICA, *mi* PETRE, *non tantùm in uſu ſunt cibi, naturæ dictamine pretioſi, probatíque: ſed ſcito; Tam inhumanum hîc nihil eſſe, quod non humanos ventres intret. Nam & ſui generis ortúſque mortalibus, indigenæ paſcuntur: ac præter hæc etiam*

SER-

SERPENTIBUS. *his Braſilorum populi quidem epulantur; ſed innoxiis: & non pauca præterea gentes hujus cœli; ſi non tanquam deliciô, certè tamen, velut alimentô.* CUBANOS *autem Inſulanos, jam non Anguibus duntaxat, ſed propemodum Draconibus victum exercere, perhibent; vagrandibus quidem illis, at venatu captúque facillimis: molli pelle, mitiſſimâ carne; prapinguibus atque craſſis: venenorum interim ignaris, ac proin indemnibus.* Addebat etiam; Ex illis vaſtis Serpentibus nonnullos eſſe Carnivoros; ſvetóſque deglutire beſtiæ quoddam quadrupedis genus, magnitudine partim léporum, partim vulpium Europæarum. quod animal *Guabiniquinácos* vulgus indigitat. Fuiſſe quoque; qui ſeptenas octonáſque meminiſſent id genus animantes, ex unius Colubri Cubani viſceribus, ante coquinam, erutas: ac miraculo convivis tranſmarinis fuiſſe. (*a*) Talia complura mihi NESTOREM retuliſſe, frequenter poſtea per otium mecum retractavi. tunc autem eorum nihil in memoriam erat; dubitaturo cæteroquin, tam periculoſæ fidei tentamentum ſubire. *Maluiſſem*, haud dubiè, *credere*, *quàm experiri.* Sed, *quid facias in fame, reliquorum omnium immemori; tantúmque ſui ſollicitâ?*

Confeſtim ergo, nullâ carminum aut incantationum curâ, ſolus ac ſilens, in anguem conſpectum inſilio. Preſſum pedibus, & occupatum, præfóco: reluctantémq; collo, caudâ, ſibilis; gladiolô meô, quo tum ſcipionis vicem per ardua nitebar, contrucido. Deinde, poſtquam cum cruore ſimul venenum (ſi-

quod

quod infuit) lentâ compreſſione deſtringi, totúmque tabum non negligenter eliſi: perſuaſi mihi tandem; quidquid in Colubro peſtiferum latuiſſet, id ad innocentiam uſque defluxiſſe. Quare poſt eandem (in qua prædam oppreſſeram) rupem, ſuſpenſo me gradu refero; tantúmque non, clam ſociis, ſuffuror. illic dentibus, adhuc quidem avidiſſimis, cæterùm modeſtè mandentibus, ac ſine veſcendi ſtrepitu laborantibus; viperam occiſam invado, depaſcórque: deluſurus (ſicut opinabar) & famem pariter, tam opimîs raríſque dapibus: & ſociorum meorum conſcientiam, fraudulentâ taciturnitate.

III. SED nempe; NULLA *Felicitas ſatìs, vel adversùs Invidiam, vel adversùs Inopiam, latet.* Veſcentem enim me, de noſtris duo, qui proximè radices ſcopuli conſéderant, ſpeculati; nidoréque crudæ carnis (ut præ ſe ferebant) excitati, quod res erat, confeſtim ſubodorantur; ac me veſtigant. Senſim deinde pedum meorum notas, per ſabuloſum aſcenſum, inſecuti; clamore PETRUM ſuum cient: ac denique, poſt ſaxum ſedentem, deprehendunt, tunc vel maximè colubrinis cupediis illaborantem. Aggrediuntur illi me precibus: ac tantùm non vi, tantùm non per rixam, expugnant; in partem voluptatis ut admittantur. Animam cæteroquin & ſpiritum damni facturos ſe; niſi miſericordiâ meâ, communíſque calamitatis reſpectu, ſervarentur. Quid multis? Victus illorum importunitate, non modò manus; ſed & fortunæ meæ portionem, flagitantibus dedi. Quo ferro Serpentem confeceram; eodem

eodem confectum & jam ambeſum, partior: capite collóque, cùm corporis dimidio, Sociis duobus cedente; mihi verò, (quia ſic urna ſórſque tulerant) alterô corporis ſerpentini dimidiô, cum caudâ, retentis. Nec tamen fuit (ne ſic quidem, poſt tam profuſam indulgentiam meam) apud illiberales animos, altercandi finis. Litem mihi novam intendunt, *more mortalium avarorum*; *quos nulla nec gratia, neque Iuſtitia ſatiat*. Quoniam enim viſcera cernebant, inteſtináque colubri, ſupereſſe: contentionis funem ex ipſis lactibus extíſque viperinis, trahere cœptant, Flagitant, inſtántque precibus, importunitate, minîs, invocatione denique Legum; UT, quoniam hæc Indiviſa remanerent; in *Partitionem* ac *Sortem legitimam*, etiam ipſa venire paterer. Putâſſes, ſi clamorem rixantium audiſſes; *Ajacem inter Vlyſſémque, ſuper armis Achillis occiſi*; non ſuper unius Anguis ſordibus, *coram Agamemnone, regum rege, contendi*. Sed nempe, vici tandem ego, nullo litis arbitro ſequeſtróve; ſed tantùm injectâ fortiter, in rem controverſam, utráque manu: Cùm adversùm competitores interim magnâ facundiâ, totíſque faucium viribus, declamitarem; ÆQUUM eſſe, QUOD *ſuum cujuſque foret, ſuum fieri manerέque*. PRAEDAM, *venantis eſſe debere, non Intervenientis*; BONUMQUE *Derelictum, Primi* (quod ajunt) *occupantis*. Quantò magìs igitur hoc qualequale ſpolium; interfectoris ac *Draconicidæ* periculô, ſanguinéquê, partum? His illi *forenſibus* auditìs *tonitruis*, conquievêre; ratione tamen, quàm voluntate, promptiores. Ego contrà.

Poſſeſ-

Poſſeſſionem, quam aſſerueram, adii, quam ne-quis novus turbaret caſus, aut recens inter-pellator extorqueret; confeſtim ad fibras ul-timas uſque deglutivi: ſpectantibus, ac ne-quicquam infrendentibus, æmulis meis.

IV. QUARTUS interim Dies illuxerat; ex quo primùm tempore campos illos, rupi-bus arenáque ſqualidos, ingredi cœpera-mus: dies ater & nubilus; præcedentibúſ-que, nec Sole mitior, neque ſucceſſu ſecun-dior. Etenim nec ille quidem ulla vitæ ſub-ſidia famelicis monſtravit: ac, præter hoc, omnium ignaros ad fluvium deduxit quen-dam, aliis geminis connexum amnibus; ſanè profundis, iiſdémque rapidis, vaſtis, ac vorti-coſis. Eorum, ſub unam collecta menſuram, latitudo; ſedecim ſtadiorum ſpatium, citra controverſiam, explebat. Illic aquarum fuit abundè, ſed maris ſalſugine corruptarum; ac, propter hoc, ad leniendam ſitim, nihil ſer-vientium. In aſcopéris porrò viduliſque no-ſtris, non coctus cibus, non crudus; non aridi cruſta panis, non fragmen aut micula, reſta-bat. Quod gravius eſt, ac vel pecudibus con-ciliare miſericordiam debuit; ne ripa qui-dem ulla trium amnium (vel citerior, vel ul-terior) vireнti gramine, vel herbâ, fertilis ap-parebat. quorum tamen gignentium pabulô radiculiſve, penuriam extremam mitigâſſe-mus.

MANIFESTUM igitur erat; nos omnes in ſupremis, inevitabili neceſſitate, conſiſte-re: quippe, quos mortalium omnium miſer-rimos, non jam res tantùm, ſed omnis pror-ſus exſpectatio meliorum; ipſúmque conſi-lium,

lium, defeciſſet. Cùm autem multas in curas animum divideremus; ac, poſt ſeriam deliberationem, aliud alii placitum animo ſediſſet: tandem ad veteres, & hucuſque ſemper eventibus damnatas, ſpes convertimur; POSSE *rudi navigiô, vel tumultuariâ rate, ſuperari truces undas. poſſe, parvâ remorum contentione, magna comparari bona; fortunatioréſque denique terras aperiri. Sed, quoniam uni fabrica periculosè totum contubernium imponeretur; utpote, quod ipſo ponderi, moléque tot corporum, degravaturum eſſet infidam trabium compagem: prudentiam fore, per partes ac ſingillatim, Quaternos ſenóſue tranſportari; nequo lævo caſu, ſimul omnes conferti, mergeremur. Sic utique vecturam Sociorum præcedentium, ſubſecuturis aut præludium atque ſtimulum futuram; aut (quod clementia Superûm prohiberet!) dehortamentum, & conſervandæ Salutis exemplum.*

Cùm hæc ſententia cunctis denique probaretur; morâ nullâ materies comportatur. Fieri nectíque ratis incipit: ac, junctis per diem illum noctíſque partem operis, & improbô ſtudiô; manè poſterô, priuſquam omnino diluceſceret, flumini proximo compacta machina demittitur. EAM *Quattuor*, ex omni Sociorum numero delecti, viribus audaciâque promptiores, occupant: &, adhuc ſubnigrante crepuſculô (ne nobis ſucceſſuris in mora ſint) properè detrudunt, propellúntque; nullo neque remo, neque palmulâ: ſed tantummodo, quas tum caſus obtulerat, vexúris. quod genus arundinis Americanæ (ſicuti non ſemel dictum eſt) firmum

ſpiſ-

Quæ nos dum agimus, aliorum omnium, præter Æternitatem, obliti; tempus interim matutinum decedit: & claro Sole meridies accenditur; paullò pòſt ſecuturo frigore brumoſi veſperis extinguendus. At nos, tanquam extremùm conſpecto Sidere; jámque deinceps non niſi perpetuam in Noctem abituri: *vitiò, miſeris omnibus ſolemni, Lucu odium concipimus. Hoc enim habet* OMNIS *Calamitas enormis; ut mortis deſiderium, & vitæ fugam, ſentientibus infigat.* IBI tum ergo nos ſilentes, horridi, pallentes, dejectîs oculîs atque frontibus, alius ab alio digredimur: & ſibi quilibet, quam mente finxerat commodiſſimam, latebram indagamus. Eam cùm pro ſe quiſque reperiſſet; inſidemus, non jam ut Seceſſum ac Speluncam: ſed planè, tanquam Sepulcrum atque conditorium. Vſqueadeò Mori deſtinaveramus.

Ad me verò quod attinet; libenter equidem confitebor vitæ deſperationē; &, *Conſtanti* viro parùm dignam, animi mollitudinem. Hujc tamen, æquos apud lectores, ſpero gratiæ futurum aliquid; tum ex ingenua culpæ publicatione: tum ex ætatis, quam tunc agitabam, teneritudine. Cùm enim omnes eodem mœrore, parſque mutui conſpectûs faſtidiô, dilabi cernerem: cùm obſervarem, ne PEDIOSAM quidem in veteri ſuavitatis officio durare (quippe *Timónem jam* prorſus, *& Miſanthropum* effici cœptum: &, quid dicam plura?) cùm viderem, amiciſſimum quemque, jam, pro Pylade, vel Achate, Lucifugam & alienū ſeſe gerere: non erubui tandem nec ego, de meo more conſuetu-

ſuetudinéque decedere; MIHIQVE *ſoli poſthac vel ſpirare, vel exſpirare.*

Stabat in vicinia littoris (nec ità procùl fluminibus, quibus incumbebamus) ſaltus ſylveſtris, aſperò ſcopuloſóque ſolô; nec, niſi rarîs admodum arboribus: ſed tunc (ut hyeme, modò depelli cœptâ, veréque vixdum initô) glabrîs calvíſque frondibus, ac lignō nudô. Tantùm in terrà ſparſim arida folia, temeréque jacentes termites, indicium faciebant; Ante brumam hoc nemus viruiſſe. Viſus itaque ſolitudini meæ non alius locus commodior; in quo triſtibus curis ad ſatietatem indulgerem. Et erat in medio rupes; prominente ſurſum ac pendente ſaxo; tanquam in cujuſdam tecti motem. Introrſum autem, receſſerat is ſpecus aliquantò reductior; & ſumendæ quieti, ſeu conſidére libéret, ſeu decumbere, familiarior. Eò poſteaquā conceſſi: reputare mecum ipſe ſum orſus; QUAM *fluxa præſentis vitæ voluptas; quàm indeclinabilis Moriendi neceſſitas, & lex, eſſet mortalibus præſtinata.* SALOMONE *quoque*, IOBÔ*que (virorum regúmque præſtantiſſimis) conteſtantibus, utibilius eſſe*; VEL NASCI NUNQVAM, *in tanta præſertim mala: vel iiſdem quàm celerrimè Denaſci. Feliciſſimos eos eſſe, qui nunquam hanc lucem aſpexerint:* PROXIMOS *autem felicitati primæ, quibus extinctæ citò vita ſit: ac vel* MATER *facta* SEPULCRUM.

Inter id genus cogitationes, non tantùm ad funeris uſque cupidinem proceſſi; ſed etiam (ut quàm citiſſimè finirem) ad impetum, atque feſtinationem. Ea duntaxat adhuc, neque tamen admodum ponderoſa,

cura

cura mentem lancinabat; NE MORERER *intempoſitus*; *néve putreſcerem inſepultus.* Itaque, qui probè ſcirem, & Hiſpali quondam de cathedris audiſſem; IOANNEM, Servatoris noſtri corculum, & inter Evangeliſtas Prototheologum, divina virum prudentiâ fuiſſe: cuj nihilominus in curis non ultimis tumulus fuerit, poſteaquam ad ſuprema ſe veniſſe cognoviſſet; Nam, pro corporis ſui menſurâ, foveam egeri juſſiſſe: moribundóque proximum (ſed tamen adhuc ſpirantem ac vivum) in eam deſcendiſſe: Rumorem tunc illum, ſeu certum, ſeu fide fluctuantem, ſecutus ego; conſtitui, memetipſum, antequam penitùs defungerer, præſepelire. Sed ad hoc tantum opus, nec in promptu ligo, nec ſarculum; ac nec aliud ullum ferramentum erat. Nam gladiolus quidem, quo præcingebar; in proximâ putei foſſione ſubhebetatus, præfractóque mucrone mutilus; in humo petricoſa nullis erat uſibus futurus.

Sed huic quoque difficultati remedium ipſe caſus obtulit. In æquoris enim orâ, meditabundè (ſicut fit apud ſollicitos) oberranti; conchylium inter cochleas obtigerat prægrande. Hoc ego, cæteris maris exuviis inſupèr habitis, ſolum deligo. Quoniam autem & oblongum erat; & acumine, propemodum in linguæ figuram, excurrente: viſum eſt hoc inſtrumentum, palæ foſſoriæ non tantùm formam exprimere; ſed etiam vicem & uſum præbere poſſe: ſi modò dextera, fortiter concham amplexa, manubrii defectum

ſupple-

ſuppleret. Contentus igitur tam opportunô neceſſitatis ingeniô; Teſtam illam utraque manu corripio: tellurémque, quoad vires ſuppeterent, exſculpere ſedulus; foſſam funebrem, ad corporis mei proceritatem, extendo. nam de latitudine (quoniam membrorum omnium ſuccum, & molem, macies exederat) ſine cura penitùs agebam. Iámque contentionem laboris, ad quartum uſque palmum, in terram demiſeram; perfunctoriâ potiùs, quàm legitimâ, Sepulcri profunditate: cùm, ecce! pariter & nervorum debilitas, & ſoli durities inexpugnabilis, finire conatum cogunt; operíque, quamvis infecto, manum ſupremam imponere. Quare, projectâ conchâ; primùm quidem emortuîs ſylvæ foliis, in cumulum corraſîs, monumentum meum inſterno. TANQUAM *intereſſet, Quàm molliter, aut durè, cadaver cubitaret?* Poſtea verò, ſuccidentibus animæ deliquiô genibus, proſtratus; in cœlum palmas, oculos, gemitúſque protendo: precatus imo de pectore, neque ſiccis genîs; *uti clementia Divina vitæ præteritæ pleniſſimã mihi gratiam faceret: ut, qui Numen neque puer irritare, nec adoleſcens in vindictam provocare, veritus eſſem, homuncio paucorum annorum, ſed plurimorum facinorũ jam ſtatim interrogandus.*

CREDE mihi, quiſquis in hæc incideris pervolvenda: Serius tunc, atque totus eram, in me deplorando; circumretitus formidinibus, non tam *hora ſuprema* (Cujus *Dolor aut nullus eſt, aut breviſſimus*) quàm incorrupti Iudicis: Quippe, cujus æquiſſimus rigor ſupra Caſſios omnes, & Thraſeas, ac Reorum

rum Scopulos; quidquid erratum fuit, excutit: quidquid excuſſum eſt, deplectit; nullâ Minöis, aut Trium VRNARUM, fabulâ: ſed veriſſimis æternæ flammæ tormentis. Et tamen iſta nos, ſecordiſſimi mortales, æternorum negligentes, præſentium autem incontinentes, & ebrii; quæ toties audimus, legimus, credimus: quamdiu vita durat, quaſi per ſomnium tramittimus. Vbi verò mortis horror incubuerit; tum denique (quæ totis annis antehac ſtertuit) conſcientia, ſuſcitatur ac palpitat; totâque vitæ præcedentis accuſatio reviviſcit, intrà mentis reæ prætorium. *Ibi, ſeverior omnibus Atticis, Areópagus evigilat.*

VI. DEFLEBAM iſta, talibus ferè, quæ poſui, verbis; aliquantiſper ingeniculatus. Sed, quòd hunc corporis ſitum, exhauſta membrorum firmitas produci non fineret; in Tumulum denique, modò præparatum, pluſquam ſemianimis, me demitto. Supinus illic, protensíſque pedibus, ac decuſſatim pectori ſuperimpoſitis manibus, cubabam: &, ad ſummam, per omnia ſepultiſſimo ſimilis jacebam; niſi quòd adhuc plorabam, & lamentabar. Nam, creſcente Chriſtianæ pœnitudinis impetu; voces mittebam, prioribus longè clariores: cum queſtu, cúmque planctibus, *ad* DEUM T. O. M. *ad* IESUM, *ad* MARIAM, *atque Cælites reliquos*, unicè converſus. Id ſolum adhuc viventis ſupererat; ingeminatio precum: &, quòd Mori me ſentirem; manifeſtiſſimis vitam inter mortémque luctis. Ità quidem tunc ego ſuſpicabar. Nam & hiabam frequenter: oréque diu patulo,

ſingultiebam, inflato collo, pectoréque toto ſuccuſsô. Nec aberant arcti, per intervalla ſua, meatus; ac, tanquam violenter intercepti ſpiritûs ſtrangulationes. Vt proinde, fugientibus oculis, jam non niſi cœlum, ac peccata mea, cum amaritudine contemplarer.

PROFECTÒ tamen, & in ipſa re, nihil erant aliud hæc omnia; quàm picta quædam mortis præludia: mentíſque nihildum expertæ, ſed omnia ſuſpicantis, figmenta. *Plurimum enim (ſi verum confiteri volumus) in juvenili corpore, non magìs ad ingenerandam, quàm ad expellendam, animam, roboris exigitur. nec à filo tam tenui, quale Poëta Parcis vulgò dant, ſpiritus dependet.* Hic tamen ego fatuus; quotieſcunque ſtomachus arctaretur, inediâ vacuus: aut, ſiquando Serpentis, (adhuc indigeſti) reliquiæ, ructum ſuſcitarent: arbitrabar, animam exire; cùm denſior tantùm halitus erumperet. Sic certè poſtea (nec aliter) mecum actum; periti medici, maturiórque ratio, me docuerunt. Vt proinde videas: *Etiam* SCIENTIAM, *neque Parvam, eſſe: diſtinguere, fatum inter, & fati timorem*: NULLAM ARTEM, ARTE MORIENDI, DIFFICILIOREM. Sed quis tunc, ejuſmodi dictaminum rudi; quis, barbaras inter ſolitudines, philoſophiam hanc aut præciperet aut perſuaderet?

ADHUC, & continenti ploratu, lamentabar; *miſerum* PETRUM, *miſerrimum* VICTORIAM, clamitans: cùm, ecce, derepentè vox alia virilior, & (ut videbatur, aliquãdo familiariter mihi trita) cœpit, cum Echonis reſultu, meis auribus intonare; PETRE! PETRE!

VICTO-

VICTORIA! VICTORIA! Nec ſciebam, cujus hunc clamorem eſſe cenſerem; *Hominis, anne ſpectri? Sodalis, an externi?* Tantummodo conſternatus, velut infernis quibuſdam reboatibus; omnéſque per articulos & fibras tremens, quid reſponderem, non inveniebam; utpote, fugiente ratione, penitùs extra me poſitus. Ingerebat nihilominus, aſpero repercuſſu (tanquam & ipſa de profundo rupis prorumpens) eadem illa vox, iterum, iterúmque revoluta; PETRE! PETRE! Donec ad extremum, at pertardè, ſuſpicari ſum orſus; SACERDOTIS noſtri paræneſin hanc eſſe. neque falsò. Nam, ita DEÔ fortunáque ferentibus, in eundem etiam ille ſcopulum; ſed prior, & abſtruſiùs, ſeſe conjecerat. Me verò, paullò pòſt ſupervenientem, ſeu minùs obſervârat aliquouſque temporis; ſeu prudentì ſilentiô diſſimulârat; quò cœptæ pietati meæ tantò quietiùs indulgerem. Ad extremum tamen, quia PERICULOSAM *deſperanti* SOLITUDINEM videbat fore; ſeſe pariter myſtes, ac nomen meum, prodidit: illis, quas dixi, vocibus mœrentem acclamando. Liberiùs deinde prolixiúſque (ſicut erat in effectu meì præcipuus) exhortari cœpit ad Patientiam, & animi firmitudinem; ad ſpem meliorum, & ad fiduciam, erga Numen, retinendam. *Eſſe perfacile* DEO, *languentium ſoſpitatori, depoſitarum valetudinum erectori, mortuorum animatori; mitigare caſus aſperos, diſtortam fortunam corrigere, ſecundare deſperata, profligare triſtia: vitámque ſeu fugientem attinere ſeu conclamatam reponere, ſeu ſepultam, ex ipſis etiam cineribus, inſtaurare.* Cæterá-

que non pauca, ſupremæ ſapientiæ myſteria documentáque, ſuggerebat; quæ Pietatem ipſius egregiè commendabant; & conditionis profeſſionſſque dignitatem inſigniter addecebant.

SED, ut ego reor; MENTES *lethifera mæſtitiâ ſauciatas, nullum Solatium ex tempore ſanat*; ibi præſertim, *ubi profundiùs ægritudo deſcendit in animum*; jam antehac incommodis præconſumptum. *Difficilè* certè, *mentes pertinaciter invitas, verba nuda molliunt*. Itaque pigrè reſpondebam: & ore frigidiſſimo (præter meum cæteroqui morem) hominis ſuaviſſimi civilitati vix gratias agebam; Doloribus (ut verè dicam) pæne confectus: ac præter hoc, veritus; tam bene jam, tam ſeriò compoſitam in DEO mentem, rurſus humano commerciô disjicere, vel obturbare. Cogitabam enim identidem: mecúmque, quantum lingua ſuccederet, mutiebam; QUID *Mortuo cum* VIVIS? aut, *quid* DEFOSSO *cum ſuperſtitibus, & vigentibus?*

AT non etiam ille ſimilis rugæ vel ſupercilii: quippe naturâ moribúſque factus ad omnem humanitatem; & præter hæc, exercitatione longâ virtutis excultus: Sed (ut prudentior) in mei Solatio perſeveravit. Miſtîs itaque ſeriô facetiîs; miſerum, quem diu ratione non potuit, denique *blandimentis* excitavit, atque *conſtantiâ*: *quæ duo plurimum habent virium, in exulceratis aliorum affectibus perſanandîs*. Ergo, non tam, ut mihi leviùs foret; quàm, ne tam Bono Viro diutiùs gravis eſſem: pareo tandem exſtimulanti; cubitóque connixus, de foſſa meâ me proripio; paul-

paullatim in genua, deinde totus, & in pedes, erectus. Sed officium, plantæ nullo pacto faciebant: & poplites, in ipſo progreſsûs primi conatu ſuccidui; reliquum etiam corpuſculum, connexâ neceſſitate, ſecum ad terram trahebant. Eodem igitur, unde modò conſurrexeram, relabebar. jacuiſſémque (credo) ſine cura Salutis ſemper; niſi meus ille fidus & ſacer exſtimulator, alloquii ſui beneficium etiam operâ manûs cumulâſſet. Nam ſpeluncâ degreſſus, cuj ſe ſpe quietis acclinârat; ad me contendit: viſâque telluris effoſſæ ſuperſtitione, principiô quidem in cachinnos, innatâ jocatione, reſolutus; ex me quærere cœptavit: *Quibus* CONSULIBUS, *ante quos Annos, animam egiſſem?* IN PACE *potiùs, an Martyrio, finiſſem? Quánam* VIA? *Salariána vel Nomentanâ? quónam cœmeterio, Priſcillæ, Calliſti, Lucillæve potiùs Arenariâ*, SITUS eſſem? & *alia de piis ſalibus, Antiquitatis quadam reverentiâ: quæ nonnullis, per opportunum interdum jocum, memoriam refricant priſcæ Sanctimoniæ, longè promptiorem; quàm per importunas inculcationes.* Vt verbo dicam: Myſta noſter *animam ſimùl meam quærebat; & hilaritatem.* Sed mihi tunc conridere, volupe non fuit. Et ille, poſteaquam me, deliquiis non prorſus fictîs, exanimem deprehendit; omiſsîs luſibus, Salutis meæ curam ope ſuâ, ſubjectîſque lateri manibus, adgreditur. Reſtitutum in pedes, & humeris ipſius, velut ſcipioni, nixum; me tardè quidem, verùm aliquando tamen, ad Socios perducit.

VII. Ii, mitigato paullatim malorum ſenſu, priſtinam ad alacritatem ſeſe recepe-

rant. Et tunc reditu meo (cùm me jam inter vivos eſſe vix ſperâſſent) alacriores; gratulatione multâ reductum cingunt. Poſtquam autem ferè ſeminecem me deprehendunt; artúſque corporis affecti, non tantùm inediâ, ſed horrore quoque frigoris enectos; *Et* UBI *moratus es?* (clamant.) *Ad ſcopulum* (inquam ego) *nullis unquam ab avo Solibus acceſſum; & in ſcrobe gelidiſſima.* Confeſtim ergò, ſucciſo ſermone, regelandum me proximè pyram locant. Illi namque tantiſper, *dum aut ſupervacaneam cenſent, aut noxiam* MOESTITIAM; vitæ deſideria, quæ projecerunt, reſumpſerant: &, ad ſilicem alliſo ſilice, flammam arentibus foliis ſarmentíſq; ſuſceperant; exiguum ignem primò moliti. Paullatim deinde, contractis ramalibus; focum illum in legitimum luculentúmque rogum promoverant. Opportuniſſimus calor (fateor) non tantùm ſanguinem mihi; ſed prorſus animam, revocavit: dudum priùs intrà viſcera ſtupidam, &, ut videbatur, irreparabilem. Sed rediit ad ſui ſenſum attonita mens; & ad vires priſtinas, torpidum corpus. Itaque tandem auſus ſum, exporrectiore fronte circumſpectare comites; ac vividè ſingulos reſalutare. Recenſebat interim jam pridem Myſta noſter (neque ſine felle verecundiáque meâ) totam buſti mei tragœdiam: &, *tanquam in ſcena* publicâ, PETRUM DE VICTORIA SEPULTUM *ludebat*; ridiculo planè mimô, *Dextríſque* pariter *& ſiniſtris tibiis*, MODOS *facere* callidus. Ac ſocii, plurimùm delectati, certatim pro ſe quiſque, nunc aggeſtu ſarmentorum

in py-

in pyram; nunc hortamentis & plauſibus, indignatiunculam meam accendunt; ut planè tandem, ac totus, calerem. Itaque *SITIM* etiam inter hæc concepi; *magnum, & DVLCE VITÆ revaleſcentis ARGVMENTVM.* Auditô verò, neſcio quo ſodaliū, qui diceret; *Ibo, quoniam veſper eſt; & in cœna vicem vobis fontanam apportabo*: ſciſcitari ſum orſus; Quid iſtud ſibi promiſſum vellet: in ſolo præſertim omnis laticis experte? Tum illi; *Neſcis,* ajunt, *nos in vicinia puteum effodiſſe, tantiſper, dum tu Sepulcra conchyliis aperis, & tuimetipſius veſpillonem agis?* Quibus ego; *Per fidem* (inquam) *itáne vos aquam? & ubi, quaſo? Non procùl,* inquiunt; *ac ſcilicet in ipſo littoris aditu, medias inter arenas.* Secundùm hæc ego, tardâ quidem, ſed nihil ablaturâ fide, credulus; aquaturum, multis precibus, tanquam *cœleſtem* quendam *Hydrochoum*, aggredior: ut meum etiam utrem, quem in Anthropophagorum campis nuper receperam, fontanâ repleret. nam, id ni fiat; undæ me penuriâ non minùs nunc, quàm paullò priùs frigore, periturum. Nec recuſavit ille: ſed, conjectus in pedes, ad maris oram, volare magìs; quàm contendere progredíve, cœpit. En autem! vixdum curſum ingreſſus, alacritate Iuvenis magnâ regreditur: ac, non abſque geſtientis animi ſignificationibus, ſublatóq; jam eminus clamore; Ma *putabatis*, inquit, *aquas allatū ire. Mutate, ſocii, ſpes veſtras. nam aquarum vicē, Aquatilia vobis apporto: ſicut ipſi videtis.* Simúlq;, vix credentibus nobis, vix præ

lætitia noſmetipſos capientibus (Tanta fames apud omnes invaluerat!) CANCROS offert, quibus ſinum ſuum impleverat, utrémque meum: &, *Horum*, ait, *toto littore (quaquaverſum id excurrit) non tam copiam, quàm exercitum: immò, verè Pluviam & grandinem, conſpicietis.*

VIII. AD hunc nuntium, arrectis omnium æquè pedibus ac deſideriis, non ſegniùs emicamus & procurrimus; ac NERO quondam, exhauſtis vectigalibus, ad oſtentatas Africæ gazas; aut Hebræa gens ad coturnicum nimbos, in Arabiæ ſolitudinibus. Ac ne me quidem ipſum, quantumvis adhuc virium invalidum, corporis imbecillitas attinuit: quò minùs in partem tantæ felicitatis advolarem. Et certè neque narratio nos, neque phraſis narrantis, falſos habuit. Nam in agminis morem reptabant; &, *præcipitatæ pluviæ ritu*, natabant in ſicco CANCRI: maríſque marginem univerſum inundabant. Fortè ſic uſus tulerat; ut, ingraveſcente nebulis veſperâ, dies juſtô maturiùs extingueretur: & Nox, ante temporis leges, ingrueret. Igitur, aperiundæ per caliginem viæ; cùm & lampades deeſſent, & lunæ nitor: raptim (ut in metu felicis occaſionis amittendæ) ſinguli ſingulos titiones ardentes è pyra corripimus. Et alterâ quidem manu ſibi quiſque prælucebat: alterâ verò prædam congregabat; eámque tantam, quantam cujuſque fames & vota caperent. Me certè, futurorum metuentem, ſimplex & præſens fortuna, non explevit: ſed poſteaquam ſinum omnem ac thoracem inferſi; femoralia

moralia quoque pedibus deripui. Tum extremitates eorum & foramina, periſcelide geminâ ſubſtringens; tanquam vidulum quendam, aut peram, effeci: neque ſine largo ſociorum riſu, reptilibus, quaſi lagenam, implevi. Tandem in humeros ſublatum pondus; ad conſeſsûs veterem locum, multô comitantium applauſu, reportavi. Neque tamen obliti ſumus, & aquam ex puteo deſcripto petere; petitámque, quibuſcunque cujque viſum eſt, vasîs aut veſtibus auferre. Poſteaquam autem ventum eſt ad rogum noſtrum; celeriter inſtauratis ignibus, in orbem omnes circumfundimur. Et alius quidem Cancros, ramorum furcillis inſertos; alius tigillis in cuſpidem exacutîs, ſtridentem ad flammam frigimus, ac torremus. Ità, concubiam in noctem uſque, productus coquendi labor, & epulum eſt; ad omne votum & ſaturitatem interpoſitô frigidæ ſympoſiô. Nec quenquam piguit extractæ (tales inter comeſſationes) horæ. Nam atrocem, ac ſuperioribus omnibus violentiorem inediam; aliquâ tandem robuſtâ, compluréſque dies duraturâ ſatietate, viſum eſt, exturbare. Nec abfuêre laudes atque Grates: quas *Hoſpitali Numini*, non tantùm vocibus; ſed & intrà dentes ac præcordia, perſolvimus: utpote, cujus manifeſtiſſimo beneficiô, nobis fame, laſſitudine, conſternatione conſumptis, omni neceſſitudinis apparatu proviſum fuiſſet. Oblatum enim erat (quanquam ſæpius ante tempus hoc, tunc tamen opportuniſſimè) cibi genus ejuſmodi, ſupra ſpem omnem, ac numerum; cujus, illo regionis univerſo

 tractu,

tractu, priùs nō ſimulacrū ullum aut umbra; quin neque chelæ vel exuviæ, comparuerant.

Iámque Nox erat, intempeſtâ provectior; & ſoporis admonitu Socii, quò quémque ſuus animus invitârat, ad quietem diverſi conceſſerant. Me verò, necdum ſatìs diſcuſſo totó frigoris torpore; focus noſter, & pyræ propinquitas, ſvavi tepore detinuit. Ibi proinde, ſubmiſsìs lenem in ſomnum palpebrîs; molliter, & pernox acquievi.

ARGONAUTICÔN
AMERICANORUM,
SIVE
PERICULORUM PETRI
DE VICTORIA,
LIBER XI.
CAPITUM BREVIARIUM.

I. *Victoria, poſtridie experrecto, tres naves, barbaris referta, offeruntur. In terram exſcendit Reguli Americani filius; cujus vultus, habitus, ornatúſque deſcribuntur. Hic Victoriam, ac deinceps Socios illius, ſalutatione munuſculíſque colit.* Comment pag. 98. & 99.

II. *Eorum quoque, qui Reguli filium ſtipabant, cultus inceſſúſque deſcribitur. Socii, à barbaris circumdati, poſcuntur arma; tanquam laboris pretium. Ea barbari priuſquam accipiant, ex pacto navigium emittunt; in quo naufragos quattuor pridianos ex inſula reducant.* Comment. pag. 99. 100. 101. 102.

III.

III. *Myſta Hiſpanorum, facetâ dextrâque fraude, & Summi Sacerdotii ſimulatione, à barbaris non tantùm honorem, ſed gallinas etiam ac lautia cætera, extorquet, pro ſe totóque comitatu. De Poculis, ex arundine Americanâ.* Comment. pag. 102. & 103.

IV. *Humanitate paullò pòſt in perfidiam converſâ, Idololatra Hiſpanos, captivorum more, in naves compellunt. Tranſpoſitos, & ipſi, & in ripa conſtituti Latrones alii, diſpoliant; etiam illis, quæ modò donaverant, receptis. Spoliatos, cum ſannis & contumelia, deſtituunt: & quo auctore perfidiæ?* Comment. pag. 103. fin. & pag. 104.

V. *Narratio, de Mauro, patre Iuvenis, Ducis latronum, qui Hiſpanos diſpoliârant. De Novem Hiſpanis, qui antehac ſe à Victoria Sociiſque abjunxerant: déque eorum tragico exitu. Retegitur deniquè tota doloſa liberalitatis, erga Socios ſimulatæ, prima & vera origo.* Comment. pag. 74. ſuprà. & pag 75. & infrà, pag. 100. & 101.

VI. *Mœſtos in ripa Socios, ob rerum omnium nuditatem, Sacerdos potenti eloquentiâ erigit: & , ſpe melioris fortunæ impletos, ad continuandam profectionem impellit. Victoriam, denuò ab Sociis avulſum, & omnium inopem, aſſervati nuper cancri, ſuſtentant: donec comitatui tandem reſtitueretur.* Comment. pag. 104. & 105.

POSTRIDIE, cœptâ jam luce; ſomnô ſpontè meâ reſolutus, oculos adhuc inſvetos circumago: repentéque video, Tres capaciſſimas per flumen (quod ex adverſo decurrebat) actuarias incedere. Mihi tamen non actuariæ, phaſelíve; ſed toti-

dem onerariæ prægrandes, apparebant; per crepuſculi (velut opinor) ludibrium; quod caligine vaporéque ſcintillantis Horizontis, in majus pleraque parva conſuevit intendere. Tam inſperato ſpectaculô vehementer equidem obſtupui: juxtâque, ſpem inter ac metum, anceps; de loco, quem nocturnâ quiete preſſeram, corpus corripio: nullâque paventis animi præbitâ ſignificatione, ſeu pacem illæ naves, ſeu bellum portarent; in fluminis crepidinem obvius progredior. Ibi rerum eventum opperior. Applicatur interim navigiorum unum, quod cæteris principari viſum: IUVENEMque præcipui roboris, ac proceri corporis, in ripam exponit: poſt hunc cæteram vectorum turbam.

Is porrò, qui primus ac princeps exſcenderat, Matre genitus Americanâ; ſed Mauro patre: genus utriuſque colore vultûs, & oris ferociâ præferebat. Cujus de patre pauca paullò pòſt, ſed ex alto, repetenda venient. Hujus Filio, de quo mihi nunc ſermo, furor in oculis; Mars atque latrocinium in manibus, erant: quippe dexterâ lanceam; alterâ ſagittas, in faſcem renodatas, geſtanti. Collo verò torquem demiſerat, auro ſolido ductum: cujus ut copiam oſtentaret, aures inſuper ac labia paris metalli divitiis exornârat; pendentibus hinc & hinc magno numero, catenatímque conſertis, annulis. Hi tam erant appoſitè per medium fiſſi diſtentíque; nihil ut corporis mollitudinem læderent, à quo pendebant. nec enim illa membra perforabant, ſed tenaci

coitu

coitu duntaxat mordebant; nequâ ſuccuſſione defluerent. Apparebat ex his ipſis inſignibus; Barbarum eſſe juvenem, & DIs addictum. Nam, qui de populis illis DEUM unum, & CHRISTI legem, accepêre; morem iſtum, ut plurimùm, procùl habent. Cæterùm, quem auri fulgor nobilitaverat; colorum obſcœnitas è diverſo maculabat, inquinamento fœdiſſimô. namque vultum, brachia, femora, tibiáſque cum ſuris, ſuccorum variâ mixturâ; non tam expinxerat, quàm infecerat. Ità fiebat; ut, atrô, viridi, ruffóque coloribus, inter ſeſe purulentô quodam ac lurido tabo ſociatis, & diſcordibus; horror aſcititius nativum hominis ſqualorem haud parùm efferaret.

Hic porrò, ſimulac me contuitus eſt; inflexâ correctáque (quantum potuit) in familiaritatem fronte, congreditur: ac, velut animaturus (fortaſſe, quia pavorem non totum abdideram) *Agè ſodes,* inquit, *agedum!* more gentis, hôc verbô ſalutem impertitus homini, non antehac viſo. Neque contentus hoc officiô; brachiîs inſuper effuſiſſimîs invaſit hæſitantem, ac ſtrinxit. Cui, nequid ad amicitiam mutuam obicis aut moræ ponerem; pares ego voces, parem amplexum & ſalutationis officium, redhibui. Sed *non intrà ſola verba cæremoniáſque liberalis* Barbarus; munificentiâ longiùs proceſſit: ac POMA DUO (maturos Americanæ Platani fœtus) in cibum ſimul ac fœdus porrexit. Poſthæc, raptim ad comites (uti dicebat) meos veſtigandos, decurrit; ut idipſum de condicto compoſitóque geri ſentires. Eos, in vicinia cu-

bantes, alium alio loco continuò ſuſcitat: & expergefactos, eádem verborum ſuavitate, paribúſque ſalutationum lenociniis adoritur: quin & lautiis iiſdē, quibus me primùm affecerat, excipit. Et poſt hunc, ad heri ſui leges moremque compoſiti pediſequi, quíſque cæterorum comitabantur; nihil dominicæ civilitatis prætermittebant. Erat autem iſtorum, ex utroque ſexu, frequentia non modica, quæ juvenem partim ſervitii jure, partim clientelæ titulo, ſtipabat. Eorum, operæ pretium eſt, cultum atque corporis habitum, non prorſus ſilentiô tranſmitti.

II. SINGULIS (viris æquè fœminiſque) collum aureô monili conſpicuum fulgebat. torquéſque, pretioſus ille quidem, verùm opere rudi, nullóque flexûs artificiô; nobilitatem ſeu propriam, ſeu magìs herilem, commendabat. Et hîs quidem opibus cervix circumfluebat. Naribus autem atque labiis, oblongæ fibulæ (ſive quis bullas nuncupare malit) eádem materiâ, pretióque, mordicus hærebant; non ingeniô quidem meliore, quàm ſpinter modò deſcriptum; ſed aliquâ tamen artis imitatione, folioli ſimulacrum exprimentes; & in quernæ ferè comæ figuram inferiori parte deſinentes. Supernè verò, tintinnabulis (etiam ipſis aurô ſonantibus) iiſque percrebris, diſtinguebantur. At fœminas, incompertæ mihi plantæ ſuccus obleverat; aſcito captatóque livore pallidus. nam, quod nos *pallorem* ac *funus* nominamus, in coloribus; hoc illæ mulieres *Gratiam & Veneres* arbitrantur. Primævus autem congenitúſque color (in viris æquè fœminiſque) candi-

candidus, vultu genarúmque tenus; & in Germanorum Europæũ nitorem caſtigatus: præter unum alterúmve de ſtipatoribus; genere, Maurum inter & Peruanum, mixtô prognatos. Omnes hi gæſa frameáſque lævâ manu; dextrâ verò miſſilia tela, vel áclides, amentô deligatas, vibrabant. Amictus autem erat, non, pro barbarorum inverecundia, nullus; aut, pro laſcivorum impudentiâ, paſſim perſpicuus: ſed goſſypinæ telæ, laboríſque tranſmarini colobia, cum ſubuculis. lacernæ præterea, ſtaminíſque tenuioris ſubligaria, renibus circumducta. Perizonia denique, ſpiræ ritu convoluta, non diſparis materiæ; quæ, cùm ab humero dextro demitterent; ſub ala ſiniſtrâ rurſus, pectore lumborúmque tenus, circumducebant: tanquam *Gabino cinctu* retorta. Paludamenti cujuſdam exotici formam agnoſceres; quali veteres ego Fabritios ac Cincinnatos, &, ab aratro rapíſque devocatos ad Dictaturam triumphúmque, circumfluxiſſe reor: nondum videlicet peregrinâ repertâ luxuriâ; de Serum arboribus, aut Babyloniorum Phrygúmve doctis acubus, aut ſucco Sidonii muricis, ornari geſtiente.

TALES hi, tanto numero, contra longè pauciores nos (& inermes) inſtructi militaribus minis & opibus; non diu ſcilicet dubitavêre circulô nos includere: continuóque ſariſſas noſtras, & enſes, & quidquid ferri portaremus, per imperium poſcere; ſine controverſia, non aliam ob cauſſam; quàm, ut, armis traditis, nos ipſos quoque dederemus: aut certè victos oppreſſóſque ſciremus; nemine

mine votis eorũ auſuro contravenire. Quid, quòd ultrò per jactantiam *dignos* ſe dicerent; *quibus non iſta tantùm, ſed etiam, ſiquid charius haberemus, ex animo largiremur? Se namque, ſalutis & incolumitatis noſtræ tam avidos, tam ſollicitos & anxios agere; ſuis ut neceſſitatibus domeſticis inſupèr habitis, conſultum ac ſuppetias latum irent hominibus peregrinis; ne quid illi graviorum periculorum adirent. Se, complures jam dies (ac certè ſolidum novendinum) deſertos incultóſque circùm locos errare: ne nos in errore perſiſteremus: quos idcirco tantâ ſollicitudine veſtigâſſent. Actum eſſe deſperatúmque, de* THALASSIA*, quam nobis fingeremus; quam tot per ambages fatuo curſu perſequeremur: actum de Mantæ portu; quem jam pridem cæci præteriiſſemus. Quare, ſe potiùs ſequeremur; ſiquid adhuc ſanæ mentis retineremus: ſi viam ac vitam meliorem vellemus, in Peruvii regna navigaturi.* Quæ cùm dicerent; mirari nos interim, & apud nos præ ſtupore vix eſſe. Cúmque vocem ac verba nemo reperiret, quibus interrogaremus; *Vndénam myſteria noſtra mortalibus alieniſſimis innotuiſſent? modò nos ipſos inter nos, nictibus vel obtutibus, examinabamus;* modò verò planos illos ac circumſeſſores, taciti contemplabamur. At nihilo propterea modeſtiores illi ſilentiô noſtrô; tantò contentioſiùs urgere noſtra ſpolia: quæque popoſcerant, inſtrumenta defendendæ vitæ.

Nobis (ne tamen gratìs, ac nullô diſpendii pretiô, deſpoliaremur) viſum eſt cum pactis & conditione, poſtulatis annuere. Quare, cùm necdum omnis animo deceſſiſſet quattuor Sociorum recordatio; quos pridianum

num diſcrimen in ſcopulum impegerat (incertum, an cum eorum ultima pernicie) ſpem recuperationis eorum, ex præſentium navigiorum opportunitate conceptam; in pacta fœderis ac deditionis deducendam exiſtimavimus. Signis ergo, geſtibúſque, quibus viſum eſt; apud ignaros ſermonis noſtri, vehementer inſtare cœpimus: ut navigium de ſuis aliquod agerent in fluminis partem illam, quam nos eis digito deſignabamus. Iis ex locis erutos extractóſque comites longè dilectiſſimos, nobis reſtituerent; dignos eo beneficio vel ob hoc ſolum (ſi cætera deeſſent omnia) quòd ſoli primíque, pro cæterorum omnium ſalute, capitis eſſent aggreſſi periculum. Hîs talibus, tam nobis impensè charîs, in libertatem ac vitam aſſertis; poſtea pro laboris manupretio, quæcunque vellent, quæcunque peterent, auferrent.

NEC fefellit callidos ſenſus noſter. continuóque, Ducis delectu, de ſcientiſſimis ſtipatoribus unus quidam, cum actuaria cæteris firmiore, cúmque remigibus & claſſiariis, expeditur; & amni, contentîs remîs, immittitur. Et quia NON *aura magìs navem; quàm* PRAEDAE *cupiditas mentes, impulerat:* dictum, factum! commonſtratam Inſulam, ſimùl vident, ſimùl adnavigant, tenent, occupant. Ibi *Quattuorviros* illos noſtros, in carecto latitantes, recipiunt; &, jam pridem à deſperatione mutuâ conclamatos, nunc autem planè redivivis ſimiles, revehunt. Expoſitos tandem in ripam, lætos lætis nobis (quis dubitet?) incredibilî mentium congratulatione reſtituunt. TUNC denique ſtipendium

ſuum,

ſnum, ex condicto ſtipulatóque; nec jam velut precarium, ſed, ut legibus debitum, exigunt: ac nos ità, meliorum armorum majore parte multant; vilioris ſubſidii telîs, per diſſimulationem fictiſſimam non tam prætеritîs; quàm revera dilatis.

III. SED, priuſquam hæc expedirentur; abſentibus adhuc ſociîs illis inſulanis, res non lepida minùs, quàm mira (ſucceſſúque tunc felix) intervenerat: in hunc modum. ILLE, mihi toties memoratus, & ab ingenioſa pietate commendatus, SACERDOS noſter; ſtabat (ut ipſe ſibi videbatur) tanquam unus de numero: certéque ſaltem Barbaris inglorius, ignoratione viri. Pupugit iſthæc ruſticitas animum tam ingenuum; ac fortaſſe, ſuprà fas, ſupráque cauſſam. *Nam* AB INSCIENTE *nemo* DESPECTATUR; *nec* POTEST *contemnì negligíve*; *niſi* DIGNITAS INTELLECTA. RUDES *animos, ut Æſtimatio*; *ſic & Reverentia, prætervolat*; Inurbanitatis nullo planè damno (*Quis enim Ruſticos curat?*) niſi, ſiquod *Ambitio* ſibi fingit. SED ego *Myſtam* noſtrum, non ſanè tam, gloriæ ductum cupidine; quàm commodorum noſtrorum rationibus: cenſuerim, opinionis ſui jacturam ſenſiſſe. Providebat enim (ut erat acutiſſimarum ſuſpicionum) ſuî veneratione reſpectúque, præcipites ſylveſtrium hominum impetus refrænatum iri.

TALI proinde conſiliô, cùm ille nos omnes oculorum nutu, de circulo ſevocâſſet; Hiſpano ſermone paucis orſus; *Audite contubernales*, inquit. *Si Muphthus ego Turcicus, aut Iogues Malabaricus, aut Brachmanes Indus, Bonzíuſve*

Iapon eſſem; ſceleratorum Deorum conſceleratior Sacrificulus: agreſtes iſti (quos videtis) Satanâ docente ſubornantéque, me procul dubio magnificis ritibus ac prono corpore coluiſſent. Nunc Altiſſimi veriſſimíque DEI, *nunc cœleſtium ſacrorum adminiſtrum; habent algâ projectiorem, & titivillitiô contemptiorem. illorum nemo me ſupra communem ſortem aut effert, aut æſtimat. Id adeò veſtrô, veſtrô, mei populares, vitiô (ſi verum audire ſuſtinetis) veſtro neglectu, contingit. Vobis enim ipſis, hucuſque non ſuccurrit; profano Sanctum diſtinguere. Quapropter, ſi mihi, ſi Sacrorum noſtrorum honori, conſultum vultis: cedite, ſi non mihi, ſaltem tempori tantiſper; ac ſucciduîs genibus, oréque pronô, baſia manibus meis imprimite: certi, non mihi vos honorem iſtum; ſed, in me, Summo* NUMINI, *deferre. Sequentur exemplum idololatræ; meíque ſuſpectu, mitiores ſeſe vobis dabunt, in quodvis obſequium. Hóc vos experimentô diſcetis; verum eſſe, quod docti vulgò jactant;* HONOREM honorantis magìs eſſe, quàm HONORATI. *nam hinc veſtris potiſſimùm lucru accedet.*

VISUS eſt, haud abſurda ſvadere. quare, nemo fuit, qui rem tam æquam, tam confectu pronam, abnueret. Tantummodò; *Confeſtímne vellet hac? an potiùs in locum ac tempus differri placeret?* interrogamus. At ille; *Confeſtim*, inquit; *ut*, DUM *Calet ferrum, cudatur.* NULLA fit igitur per nos mora. Digredimur: &, in diverſa ſciſſi paria, tanquam in ſtudia partium, ac velut ex diſſenſu; ſimulamus, ſuper re propoſita, deliberationis atque conſilii ſollicitudinem. Ac principiò quidem; meditabundis ſimiles, non-

nihil

nihil diſpatiamur. Repentè deinde, tanquam in conceptam ſententiã pedibus euntes; ad Myſten noſtrum, ordine compoſito, pérque ſeriem, accedimus. Hic autem, ingenio ſolitô feſtivus; campi locum editiorem occupârat: quò conſpectior oculis ignarorum ejus auctoritas immicaret. Et is quidem venerationi ſe noſtræ propinabat; parùm herculè pro perſona, próque faſtigio. Nam ſtabat, non niſi ſubuculâ contectus: prælongâ quidem illâ, byſſináque; ſed erubeſcendâ tamen *Europæi Pontificatûs* majeſtati. quanquam & ſcapulis ſuperinjecerat deperam lacernulam: &, præter hæc, *apicato* capite *Sacerdotium* oſtentaturus; lato ſpatioſóque pileo verticem & capillos circumdederat; in morem fungorum ignobiliter petaſátus. Erátque tiaras ille (ſit veritati ſua reverentia!) planiſſimè non tantùm ventorum, ſed & noſtrum ludibrium; ſicuj tamen riſus tunc cordi fuiſſet. Vſqueadeò flaccus ac fluidus à capite dependebat.

SED, ut ego reor: NON *indumentis Auctoritas; potiùs Animô, paratur*: INGENIISQUE *vilibus, non veſtis, non ſplendor*, quantumcunque circumpoſitus, *majeſtatem conciliat*: ſed longè magìs generoſus vigor, & in dignitatem lucentes oculi. Certè tanta Sacerdotis noſtri fuit, in lacinia ſemet efferentis, gravitas; ut, etiam nihilo præmonitos, tamen nos in obſequium ac venerationem, aſpectu ſolo, permoturus fuerit. Singillatim igitur omnes, & ad pedes advolvimur; & de genu, manibus pronis oſculum impingimus. At ille, nequaquã incallidus Perſonam cœptam explere;

explere : SUPREMI cujuſdam PONTIFICIS in morem , adductâ primùm fronte , deinde paullò pòſt explicatâ; bene precari nobis, & adversùm nos CRUCIS figuram in aëre ducere. Quô factô tenuimus, in admirationem non vulgarem implicitos, *Idololatras*; ſtantes eminus, & contemplantes : neque tamen vel Hominem adoratum ſatis, vel cauſſam adorationis, animo capientes. ET tamen (etiam ſic) rudium nonnullos traxit *Exempli potentia* ; QUAE *plerumque multum in religionibus valet*. Nam , *neque quid*, *neque quare*; Chriſtianum Sacerdotem etiam ipſi, ſimpliciſſimo ſenſu, cœpêre venerari. Tunc planè patuit, verum *Aſceticos* dicere : quibus HUMILITAS *animi*, ſemet demittentis, *non protrita* contemptáque; *ſed* profectò *maſcula* magnificâque *virtus eſt* : &, quoties uſus fert, etiam ad adorationem uſque ſui conſpicua. Namque ſanè, ne Ductor quidem agminis barbarici ſine motu tunc adſtitit : ſed, ſuſpicatus id quod erat; AB HISPANIS *non* VESTEM *coli*, *ſed* VIRUM : continuò juſſit, in ejus ſinum, etiam de ſuo commeatu , xenia congeri. Confeſtim igitur de corte corbéve portabili, promptæ SEX GALLINAE, præpingues, opiparæ, peregriníque delicii; myſtæ noſtro pro victimis ceciderunt. Immò , Quò *magìs et ſaperet* GRATIA FESTINATA; de gallinis unam aliquam repentè Dux exenterari voluit : &, in cibi præludium, promulſidémve, mandavit exempta viſcera præparari. Nulla fuit ergò mora : ſed, quo loco pridie rogus ille noſter arſerat ; ibidem, reſuſcitatô focô, coquus barbaricus jecur, & inteſtina cuncta galli-

gallinacea, redegit in extemporale jentaculum.

CAETERUM, Ne veſcentem Sacerdotem Socii reliqui ſpectarent duntaxat; & vacuîs interim ventribus aſſiſterent: liberalitate creſcente, profuſior anteſignanus, omne penus ſuum nobis impendi, pretium operæ putavit. Igitur; OLLAM etiam, ollam (inquit) illam, quam infertam aprugnâ ſalitâ ſimul adportaſtis, inferte nobis: ac, præter hanc, ejuſdem ferinæ pernas aliquot, hybernóque conditas ſale ſuccidias: NE PARS tantùm iſtorum hominum *epuletur*; *& Altera pars eſuriat*. Iacebant inſuper in actuariis navigiis ARUNDINES, quas Indicas nominant; alterius tamen, à Vexúris (quas ſæpius memoravi) generis & magnitudinis. Aderant harum non paucæ; truncô vaſto teretíque; necnon internodiîs aliquot, per certa ſpatia, planè nativîs & elegantibus, interſtinctô. Globos ſphæráſve crederes, aut perfectæ rotunditatis cucurbitas; quarum ſingulæ *congiorum* octonûm capaces, dulcis aquæ copiam tantam includebant; ut jam non cannæ, ſed canales conchæque dici poſſent; propter calamorum amplitudinem. Nequid igitur ad abſolutam hilaritudinem deeſſet; etiam hos Aquales, ſic impletos, afferri ductor Americanorum præcepit: intérque ſitientes convivas diffundi. *Genio putáſſes, aut thalamo, non ſoli Neceſſitati, Sacra fieri.* TANTA ſcilicet cunctorum animos laxitas, & oblivio curarum, invaſerat: jactante, vocibus non obſcuris, maternáque linguâ, Sacerdote noſtro; SE *jam non aliquem de grege,*

plebéve

plebéve presbyterii; ſed planè PAULLUM *& Apoſtolum eſſe: quippe, qui cum Summis illis viris* ET ABUNDARE SCIRET, & PENURIAM ſuſtinere. *Nec ſe jam adeò gratias agere noſtris genibus, & adorationi; ſed à nobis ultrò gratias exſpectare, ſibi debitas: ideóque ſe nobis imputare. Nam dignitatem, à ſociis in ſe collatam, ſe confeſtim copioſô præſentarióque donativô; quin &* Congiario, *remuneratum eſſe.*

IV. LUDEBAMUS in hunc modum; nec immodeſtè, reor: SED mox & Fortuna nobiſcum; verùm inverecundiore protervià. Proh mortalium fidem! & *nullam, in riſu felicitatis, conſtantiam!* ADHUC in patinis eramus, & arundineis illis aqualibus; nihil, niſi Pacem, & amicitiam, & Hiſpani nominis reverentiam, animo concipientes. Nec jam Barbaros hos, tales, quales erant revera; ſed fidos, hoſpites, & omnem ab illis opem tutelámque nobis pollicebamur: cùm repentè ſignum à ductore datur, & vox, nautico celeuſmati ſimilis, intonat; *Conſurgeremus! & in lembum grandem, quem hos in uſus ad ripam incitâſſent, nóſmet ſimul omnes conjiceremus!* QUIXIMIORUM) ſic enim appellabant) hæc æſtuaria ſinúſque, multîs inter ſeſe conſertîs amnibus, aliter non ſuperari; niſi generis iſtius celocibus.

Secundùm hoc tonitru, contractis metu pectoribus, pariter emicamus; ſequimúrque tam ductorem, quàm imperium. Suppreſsîs autem, quæ jam tum mentem lancinabant, ſuſpicionibus; ſpem, lætitiámque vultu præferimus; phaſelóque remîs agillimîs æſtua-

ria cuncta pervolante, tandem in ultimæ ripæ viciniam pervenimus. Vbi truculentos, neſcio quos, excubitores conſiſtere globatim cernimus; ac noſtræ navis appulſum opperiri. Neque tamen adhuc manifeſtos ſeſe prædones ferebant; ſed potiùs ultrò, vocibus, nutu, geſtibus, ad exſcenſum nos invitantes; etiam manum nobis, tanquam in operam ac fidei pignus, protendebant: donec ad marginem fluminum poſtremum allidi prora cœpit. Tunc enimverò, celerrimè converſò lintre, prora fluvium, & puppis continentem; nos autem alter alterum, orſi ſumus reſpicere. Continuóque remiges applicant; & clamoribus inconditis, *Primos* jubent HISPANOS *in terram exponi. Se verò, ſimulac exſcendiſſent homines ſuæ fidei commiſſi; gradu poſtremo, juréque cuſtodiæ, ſecuturos.* Nos, non invento, quid contra vim mutiremus; inſtantibus morem gerimus. SED ecce, vixdum expoſitis; latronum omnis turba, quæ ripas inſederat, agmine frequentiſſimo nobis circumfunditur. Tum deni duodenive ſingulos Hiſpanorum adorti; perfidiâ pluſquam Punicâ, prehendunt, trahunt, pulſant: ea, quæ paullò priùs donaverant, jam repetunt; ſuámque liberalitatem & ſpontanea munera, nunc ſuum furtum, & violentam rapinam, faciunt. Veſtes præterea, ſarcinas, argentum, &, quod auri ſignati, cum notis Hiſpanienſibus, nobis ſuperfuerat; id univerſum diripiunt. Porrò numos aureos, quos noſtri Patacos appellant, probatiſſimi pretii; ſeligunt ex univerſis ſpoliis: &, quoniam eos tam figura, quàm rutilus ſplendor, delectabat; medios

dios perterebrant. deinde collo quiſque ſuo, monilis in ritum inſertos ligamentis, ſuperbè circumponunt.

QUAE poſteaquam omnia, nec ſilentibus omnino nobis, neque tamen palàm expoſtulantibus, patrâſſent: tum demum non ſine ſupercilio nobis innuebant; HIS SE CONTENTOS, *neque* PLURA *requirere*; poſteaquam *Omnia* nobis ademiſſent. Mox, tanquam beneficiô præterea nos ornâſſent: propterea, quòd nullo maleficio majore vitam eripuiſſent; ovantibus ſimiles, ac valedicentes, in ſua navigia ſimul omnes regrediuntur. Ibi, veluti præclarè geſtâ re, partitíſque (ſicut ex hoſte) manubiis; triumphum & Pæana canunt. Nobis autem à tergo luctum, & næniam, & ſupremam calamitatem relinquunt.

HIC exitus fuit illius vaferrimæ, quam nobis oſtendere ſuſtinuerant, hoſpitalitatis, atque cultûs: ut exigui damnum impendii, quò nos reficere viſi ſunt; majoris prædæ latrociniô ſolarentur, non ſine luculento fœnore. Cujus nequitiæ totum mimum is, qui cæteros duxit, ſolus in via, compoſuit, dolo ſuo; direxit arte; moderatus eſt conſiliis; expedivit imperiis. Hujus de Patre, genere, moribus, cæteríſque, quæ connexa ſunt; & quæ nos ſerò pòſt comperimus: quoniam ſuprà promiſi; nunc, quia tempus, & res admonent, memorabo: narrationémque, quàm veriſſimè fas erit, ab ovo (quod ajunt) acceſſam; & ad mala, nullis ambagibus, perducam. Sic autem ea res, quemadmodum ſubjiciam, habet.

V. Ex reliquiis Maurorum, quos Grana-

tenſi regno quondam, adeóque totis Hiſpaniis ſuis, exegêre Ferdinandus & Iſabella, Caſtellæ reges; hæsêre non pauci: magis charitate ſoli, quod natalibus inſederant; quàm adversùm reges ſinceritate, vel in Chriſtum fide: quorum utrumque, *temporis ſervitiô, ſimulabant*. Sed, DIFFICILE fuit, animo corruptos Mauros, ab integrioribus diſtinguere; quoad utrique pariter in obſequio mansêre. Poſtea, quàm alius alias ad fugam januas, occaſionéſque ſpeculati; pars quidem exiguô freto vicinam Africam, pars piratarum Inſulas ac receptacula petierunt: tum demum eſt cognitum; QUID *apud* GENTEM, *ab ſtirpe fallacem, coacta Servitus* roboris & fidei teneret. Mancipiorum certè plurimi dilapſi manipuli; religionem juxtà dominóſque fefellerunt, & exuerunt. EORUM in numero Maurus quidam, ruptô ſervitiô, patriáque ſpretâ (quorum utrunque multis annis Hiſpali quondam habuerat) poſtea myoparonem, ac perfidiæ ſocios nactus, poſt longos Oceani curſus erroréſque; tandem in AMERICAM venit, Occiduo Soli ſubjectam. Ibi, quem nunquam bonâ fide ſumpſerat, CHRISTUM excuſſit; ac Mahometem reſumpſit. Poſt, in hunc modum ſemel depoſitâ fronte, paullatim impudentiori ſuperſtitione, Deorum multitudinem, Americano ritu, cum Alcorani fabulis conjunxit. Progreſſu verò temporis, Mexicanæ fœminæ connubium, & ex eo ſobolem, adeptus; apud illos civilium inſvetos populos, tantùm Europæâ facilitate, moruinque callido temperamentô, perfecit; ut volentes lubentes, ultrò

ſuum

ſtum Publicum ei permitterent; eúmque cœtibus agreſtium Regulum imponerent.

Hôc tali patre genitus is, qui nos cum ſuis ad æſtuarium eo die diſpoliaverat; genitoris artes, non degeneri nequitiâ, perſeverabat extendere: ſimulationis cumprimis, & latrociniorum docili ſucceſſione.

Nec tamen primi nos Mauricum ſcelus & vim incurrimus. Namque jam ante nos, pluribus retrò diebus, ab noſtro comitatu divulſi Novem (quorum ſeceſsûs ſuprà meminimus) cùm arte natatoriâ, viarúmque breviariis, confiderent, omnes ſe fluvios, & ſolitudinum ambages, perrupturos ſine magno periculo: poſt longos tandem & noxios errores, in eos ipſos, quibus ille Maurus jura dabat, Barbaros inciderunt; & ab his ad Regulum deducti ſunt. Ac principiò quidem Hiſpanis profuit Hiſpanienſis hominis, ceu *notorii*, favor & humanitas. Illius exemplum (an ſpeciem magìs & ſimulationem?) ſectati cæteri; non inciviliter noſtros habuêre: fovente præſertim gratiam mimicam Principe; dum eos *Gentiles ſuos, & ejuſdem auræ patriæ conſortes*, tertiò quoque verbo perfamiliariter compellat. Sed interim Hiſpani, navigationis noſtræ totam Odyſſéam, ac navarchi Panamæi fraudes, recenſere cœperunt. explicare quoque Sociorum, poſt relictam navim, pericula; quæſitámque tot erroribus Thalaſſiam, & Mantæ portum. Quibus omnibus Regulo ſollerter explicatis, adjecêre preces; *Ut, emiſſâ ſuorum armatâ manu, Socios, etiamnum*

errantes, veſtigari juberet: & ſive forent à ſylveſtribus excepti, per vim in libertatem vendicari: ſive viâ tantummodo per imprudentiam excidiſſent, in viam imperaret reduci; quoad in Iberici juris oppidum aliquod pervenirent. Pretium humanitatis, fore gladios ac ſariſſas; quarum copiam haud contemnendam, nec operis inelegantis, illi ſecum apportarent. His iſti dictis, lucri geminata ſpe, flagrantem jam antehac avaritiâ Barbari cupiditatem, acriùs incenderunt. Filium itaque confeſtim accerſit, jam adultum; & eum ipſum videlicet, cui nos in prædam poſtmodum ceſſimus. Ei mandata dat, quædam propalam; alia, pluráque, clanculum ac ſevocato. Servos, clientes, & infra ſe quocunque titulô poſitos, adjungit; miſtô virorum fœminarúmque ſatellitiô. Denique cum tribus illis Liburnicis, inſidioſo commeatu diligenter inſtructis; ad hoc delectos dimittit. Eum tantum támque munificum, qualem ſupra deſcripſimus, apparatum excogitârat, non officium, neque liberalis animus; à quorum utroque, vel procùl ſemper abfuerat; vel profectò per fugam apoſtata diſceſſerat: Sed, verè rem æſtimando; totum hoc parandarum opum ingenium, dictaverat improbiſſima cupiditas: ſuſpicante Regulo (neque prorſus abs re) *quoniam enſes ac lanceas pollicerentur à Sociis Socii; non procul ab eis Aurum eſſe poſſe, penès quos* FERRUM *foret*, AURI CUSTODIA. Iam ergo non eſt, cur quiſquam admiretur: illum, quem ſuprà deſcripſi, Iuvenem, cum ſuis aſſeclis, poſtquam nos reperit; tam multa, támque noſtris caſibus connexa, garriviſſe; cùm dierum novem indagi-

nem

ſtem nobis jactarent; cùm Thalaſſiæ nomen, cùm Mantæ portum, afferent in medium. Etenim revera, Mauri toparchæ juſſu, nos veſtigabant; & ab Novem illis noſtratibus intima quæque perdidicerant. Nec in obſcuro jam eſſe poterat; cur exotici ſaporis illa Poma, cur gallinas tranſmarinas, cur jentacula cum artis exquiſitæ poculis, in nos congeſſiſſent: quoniam, niſi talibus illecebris ac ſaginâ, nunquam ignaros aut inhamâſſent, aut captos traxiſſent. Nec illud denique cuiquam (qui modò Barbarorum haberet cognitos mores) præter exſpectationem cadere viderive debuit: quòd nos iiſdem omnibus, quæ priùs liberaliter donârant; ac fortunis præterea noſtris, quas non donaverant, per ſummum ſcelus evertiſſent. Id enim imperium, non tam Iuvenis prædonis, quàm patris; nec tam ſatellitum, quàm dominorum, fuit. Quanquam cæteroquin & hi, qui nos emunxêre facultatibus, ab inſtituto ſuo nihil receſſerant: aſſueti prædas ac latrocinia, jam ex antiquo, tanquam Artem, exercere; plerumque per fraudes, interdum etiam per cædes & cruorem: in corporibus præſertim Hiſpanis. Nam hanc gentem odiis innatis atque tralatitiis, ad uſque perniciem, inſectantur. Ad ſummam! Ex profeſſo vagi, latrones, & graſſatores: *Vitam univerſam in Idolis ac ſuperſtitionibus*; *animum in prædis & ſanguine*; *mortem in Gehenna, degunt.*

VERÙM, ut ad noſtros illos *Novem*, ſtylô regrediar: Expeditîs emiſſariis illis, quæ dixi, navigiis; & Filiô præeſſe ducereque juſſo, quem ad paternam omnem perfidiam ne-

quam Senex inſtituerat: Hoſpitibus ille quidem menſam qualemqualem apparavit. Præter hæc autem, & commeatum viaticúmque mendicantes; fide publicâ, quocunque vellent, ire permiſit: ac victu profectionibus neceſſariò juvit. Cæterùm hos in itinere (non dubium, quin de compoſito, colluſionéque Reguli) Barbarorum alius aggreſſus globus: *Quinque* de *novem* illis oppreſſit. *Quattuor* reliquis ſua manus, ac DEI tutela, viam aperuerunt ad effugium. Hi, longô pòſt tempore, nobis (jam PERUVIUM tenentibus) reſtituti; rerum geſtarum ſeriem, qualem modò deſcripſimus, triſtes; neque ſine mutuis lacrymis, explicârunt. Ibi demum patuit *Danaûm*, ac DONA FERENTIUM, DOLUS: ibi ſceleſtum exſecrabilis hoſpitalitatis figmentum. SED res hortatur; ad nos ipſos, ac ſcilicet calamitatum noſtrarum ordinem, Mauricîs actîs interſciſſum, reverti.

VI. DIGRESSIS, ſuo cum Duce, latronibus; omníque ſimul abductô nauticô ſubſidiô: ſtabamus in æſtuarii crepidine mœrentes; ſine veſte, ſine vitæ nutrimentis: & omnium nudi conſiliorum. Nulla deinceps ſpes affulgebat; nulla fortunæ melioris exſpectatio: cùm præſertim, omnia nobis maria, ſinúſque, proſpectu pererrantibus; non cymba, non ratis, ac neque tabula quidem vel remus, offerretur. Ad ultimam itaque perducti deſperationem; marcida cum animis corpora ſolo ſternebamus. Solus unicus, in omni ſorte ſemper ſibi conſtans Sacerdos noſter; ubi nos animadvertit, feriò fractos; neque, niſi fortibus ſtimulis, excitari

faciles;

faciles : laxare tota Spiritûs & eloquentiæ ſuæ fræna cœpit; &, in ignaviam noſtram plenô ſermonis effuſus impetu, detonare. *Quoties jam mortuos? quoties ſitos, ac tumulatos? & tamen revixiſſe. Semel ab uno nauclero, per fallaciam, navi detruſos; tamen adhuc quotidie Charontis in cymba ſeſſitare. Non indignandum ſibi, quia fabulis luderet: cùm nos, natio tam Orthodoxa, tantopere Divinæ* VERITATIS, *ac Fiduciæ cæleſtis, obliviſceremur. Adhuc, adhuc enimverò, priſcum vivere, regnaréque,* DEUM; *& humanos caſus ac negotia diſponere: Cuj, ſi cordi fuiſſet, in nos ſævire pro meritis; ſi gratum, Perire miſeras naufragorum reliquias; nihil faciliusfuerit; quàm nos modò per latrones perdere. Sperare ſe; Chriſtianos & Hiſpanienſes (nec ità procul) abeſſe; quoniam Barbari cis necem, nec ultrà prædæ licentiam, in nos ſæviſſent: ultorum haud dubiè metu ferociam inhibente. Diffiſos utique, propinquam & majorem vim ſe ſuſtenturos.*

NIHIL eſt *Oratore nervoſô*, neque *potentius* ad erigendos animos;neque penetrabilius ad perfringendas diſſonas voluntates. Dum loquitur Sacerdos; dum exprobrat; &, more quodam APIS *Atticæ*, ſermonum ſuorum *melli*, reprehenſionum *aculeos* intorquet:nos,diſcuſſô torpore, ſimul omnes pudibundi conſurgimus;erectíque meliorum exſpectatione, jam hilares, jam pedum alacres, viæ reliquum geſtimus exigere. Dixiſſes; non, ut antehac, in incerta ſolitudinum, ſed in lacteam PROMISSIONIS-TERRAM, nos feſtinare. Triduum tamen inter littorales errores exactum; nullo nec homine, nec diverticulo, pa-

labundis obviô. Die verò quarto; ne diſcederem à conſvetudine mea, ſemper in exſortem aliquam & lævam fortunam, præ cæteris, illabendi: Sociis rurſus omnibus, & viâ pariter, éxcido. Quo tempore, quantis in curis, fletu, periculis, egerim; non equidem oblivione prætereo, ſed planè faſtidiô mei, lectoríſque reverentiâ: quem, ſimilitudine caſuum, toties obtundere; paullatim meritò religioni debet eſſe. Tunc, ab omnibus penitùs deſtituto viæ levamentis, & ab univerſis deſerto vitæ miniſteriis, apparuit; quid homini conferret in tempore, ſagax futuri providentia. Nam extremam mihi famis neceſſitudinem depulerunt Caligæ; quas nuper cancris, in cullei modum, inferſeram: quáſque mihi, direptis omnibus aliis, Barbari (tanquam inutilem ſaccum) ultrò redditas, in faciem miſerant; non tam miſeratione mei, quàm irriſu. Quatriduum, in hunc modum, aquatilibus in cibum abſumptis, extraxi. Poſt hanc autem, anno mihi longiorem, moram; ego Socios, illi me, receperunt: incredibilî mutuóque gaudio perfuſi. Quorum ego ne quando deinceps jacturam facerem; veſtigiis illorum ad uſque ſcrupulum hærebam. interdum & prægrediebar: non auſus vel agmen claudere, tardiùs inſequendo; vel antevolare ſpatioſiùs, nimiis eos paſſibus antevertendo.

AR-

ARGONAUTICÔN AMERICANORUM,

SIVE

PERICULORUM PETRI DE VICTORIA

LIBER XII.

CAPITVM BREVIARIVM.

I. *Exacto dierum aliquot errore Hiſpani, tandem in Crucis ſtatuam incidunt; quam lætitiâ pietatéque multâ colunt. Sub hac ad pagum Charapótum, Chriſtianis frequentatum, hilares perveniunt.* Comment. pag. 105. & 106.

II. *In templo Charapotao divinis myſteriis interſunt. Ab loci Parocho, & incolis, dierum aliquot hoſpitio, rerúmque neceſſariarum ſubſidio, humaniſſimè juvantur.* Comment. pag. 106.

III. *Relicto Charapóto, Victoria Portum Veterem petit. Illic morbo longo detentus; curationis ergò Mantam poſtea deportatur: quo loco cognoſcit, de navi illa ſuâ Panameâ. Pánamam deinde profectus, Companeroſæ defuncti ſuprema mandata defert, & exſequitur. Narratio de Petro Aria; déque via, Pánamam inter & Nombrediosam, apertâ.* Comment. pag. 106. & 107. & ſuprà, pag. 88. med.

IV. *Panamâ Petrus Victoria navigat in Peruvium. Quæ regna, quæq; inſulæ, in eo curſu ſe oſtenderint. Limam denique, Peruvii metropolin, appellitur: quam deſcribit.* Comment. pag. 107.

V. *Limâ, poſt ſemeſtre, ſe confert Potoſium, ad*

auri argentique fodinas. Depingitur primùm ſitus ipſe plagáque Potoſiana; cum lacubus Tiquacácâ, & Aulóga. Deinde mons Potoſinus, metallifer. De Auri generibus; déque obryzo. Argentariarum cuniculi; venæq. Foſſorum multitudo. Scala, deſcenſúſque altitudo; & eruendi metalli modus. Comment. pag. 107.

V I. *Poſt Potoſium aditum, Victoria non pauca alia Americæ loca, metallifera, nominatioráque luſtrat; triennali morâ.* Coment. pag. 107.

V I I. *De Novo Orbe, ejus primis appellationibus, & Inventoribus. Quo præmonſtrante, Chriſtophorus Columbus, inſulas Atlanticas, & continentem Orbis novi, retexerit? Quem ſecutus Americus Veſputius, Americæ nomen dedit.*

V I I I. *America generatim deſcribitur. Ejus ſpatium; &, in Meridionalem ac Septentrionalem, partitio. Opes ejuſdem, fruges, fructus, gemma, & Smaragdifodina: jumenta feræq., tam indigenæ, quàm importatæ. Oves, Indicæ vulgò dictæ.*

DIe nono, poſtquam à Barbaris expediti ſumus; cùm jamjam Sol vérgeret: in ſemitæ quoddam bivium incidimus, luculentum ac tritum. Hujus altera veſtigia montium pandebant aditum; qui, connexô dorſo, ſiniſtrum ad latus, ab Occaſu porriguntur in Orientem. alter autem callis, maritimum littus; quàm latè procurrit, ſecans; *Oceani Pacifici* præſtringebat oram. Ipſum porrò Bivii principium, collis erat modicus, æquori proximus; & venerandæ CRUCIS, ex incocto latere, Columnâ ſpectabilis. Dici non poteſt, quantô Spectaculum, hoc,

(obe-

(*obeliſcis* omnibus & *Coloſſis* Rhodiis magnificentius) OCULO præſertim *ſincerè* CHRISTIANO, voluptatis infuderit? natantibus gaudiô cunctorū præcordiis; nec abſtinentibus dulcem lacrymam genis. Ergo primus hîc, ſicut ad viæ ſtimulos, ſic ad exemplum & gratulationem, *Sacerdos*; O CRUX, exclamat, AVE, SPES UNICA! Certè videtis, inquit! VEXILLA REGIS PRODEUNT! FULGET CRUCIS MYSTERIUM! Omnibus autem pari pietate lætitiam illius ſubſequentibus: ſubjecit ille, gaudio profuſiore geſtiens; *Hoc nempe* (comites) *hoc illud eſt*; *quod ante Septimum abhinc diem vobis, ego neque vates, neque vatum filius, ſed tamen præſagivi: divinis (ut puto) veriloquiſque mentis inſtinctibus; Neceſſum eſſe, Chriſtianos (nec ita procul) abeſſe*. Quæ cùm ille diceret: idem omnes nos vaticiniū confeſtim recognoſcimus; gratóq; præconio comprobamus. Subinde, certatim concinentes; aliiq; quidē cum ANDREA beatiſſimo, SALVE, *Crucem Pretioſam*, jubemus: cum Eccleſiæ choris & hymnis, *Dulce Lignum, dulces Clavos, Dulcia pondera*, modulamur; elati religioſâ lætitiâ, quod poſt tot menſium ſpatia, noſtratium Sacrorum indubitatas notas, ſub ignotiſſimo cœlo, reviſeremus. Inter hæc, omni mentibus decedente formidine; ſpe novâ, novis animis ac robore, complemur: &, jamdudū ſtratis ſolô genibus, vultúq; prono; CRUCEM iterū, iterúmque, lacrymantes, & orthodoxis ſenſib⁹, adoramus.

Cùm deinde, propinqui littoris ejectamētis vivis cœnati, conquiêſſemus (namq; nox fatigatos oppreſſerat) quidnā dies poſterus, &, quid *Crucis omen* allaturū eſſet; præcupidiſq

mentibus opperiebamur. Iámq; diſcuſsô crepuſculô, Sol admicabat: cùm repentè tintinnabulô penſili, de neſcio qua turricula, perſonare ſignũ cœpit; tanquã æditumi manibus, ad *Liturgiam* divinam *Catholico* ritu plebem convocantis. Ad eum ſonitum (jam pridem auribus animíſque noſtris deſuetum) arrecti pariter, & horrore ſacro perſtricti; nullâ morâ cuncti conſurgimus. Indè, felicitati jam inſperatæ contentîs pedibus occurſuri, locum eum, ex quo *Campana nola* tinniebat, proſequimur: fugientibus, quàm feſtinantibus, ſimiliores, præ novæ rei deſideriô. Nondum ultra paſſus centum proceſſeramus: cùm ad lævam, ecce, poſt arbuſta littori prætenta, pagus ſive municipium occurrit; CHARAPÓTUS nomine; locus ſanè, poſt quadraginta pluriúmque dierum intervalla, poſt quadringenta paſſuum millia peragrata, primus; cuj tandem imponere nomen auderemus, ab incolis illius auditum. Nam antehac inter innominata ſimul infandáque, ſemper oberraveramus. TUNC primùm reddi nobis Terrarum Orbis viſus; & rerum Natura, veluti demptô longiſſimô ſui theatri ſipariô, retegi. Tunc demum creditum eſt; humanum nobis reddi genus: mortaliúmque ſocietas, hucuſque clauſa vagantibus, aperiri. Fumigabant enim eminus tecta, renidebántque (modicîs licèt culminibus) ſed Chriſtiano tamen ordine modeſtiáq; connexa, mapalia, quæ nobis proinde fortunæ mitioris aliquid, ipſo ſolo ſui contuitu, ſpirare promitteréque viderentur.

II. NIHIL itaque cunctati, curſum inſtitutum premimus; &, ad coloniam celeriter perlati,

lati, Sacram ædem rectà ſimul omnes petimus. Ingreſſi verò; confeſtim Aram, ad quam illius pagi ſacer antiſtes faciebat, accedimus; eámque, nec ſine noſtris, nec ſine ſpectantiũ lacrymis, gratantes ac de genibus circumvenímus: divina beneficia deprædicantes, quorum noviſſimum, *nec* tamen *minimum* erat; *Errare tandem deſiiſſe.* Decenter hæc agebamus; collectíque ſpecioſum in circulum, qui comprecantes & ornaret, & commendaret. at horridi cæterà, ſeminudi, capillîs hirtîs, ac ſparſis; &, ad ſummam, naufragis ejectíſque, quàm viatoribus, affiniores. Tantò magis erga nos incolarum mota miſeratio, qui templũ complêrant. Chriſti quippe cultu, teneríſque mentibus, imbuti; miſeriam noſtram putabant ſuam: & quoties nos ingeniculantes, quoties manus cum oculis in cœlum tendentes, aſpicerent; cùm IESUM, cùm MARIAM, claris ſuſpiriis audirent compellari, totîs ipſi viſceribus concitabantur. Itaque, vixdum perlitatò; Nequis dubitaret, AMORIS *conciliatricem eſſe Religionum ſimilitudinem:* Chriſtiani pro Chriſtianis ſolliciti, per cœtus ac viritim, *Sacrorum* adeunt *Curionem*. Is erat ipſe, qui modò publico ſacrificio ſupplicaverat. Apud eum memorant, quidquid de rebus noſtris per interpretem didicerant: *Hiſpani generis adeſſe viros, Iuvenéſque tempeſtatibus & viarum erroribus agitatos. in his etiam adoleſcentulos, primæ (ſicut de vultibus appareret) apud ſuos originis. nunc (ut in orbe peregrino) non linguâ, non indumentîs, non hoſpitiis aut opibus ullis humanis inſtructos; latrocinantium ſcelere Barbarorum, exſpectare cogi miſericor-*

Q 7 *diam*

diam alienā. A quibúſnā autem juſtiùs, quàm ab iis, qui, cultûs illis conſortiô colligati, CHRISTUM *agnitum, hujc, & non alii nationi, deberent? Divideret igitur in Charapotenſium caſulas per contubernia peregrinos; nullo ſuo, niſi tantummodo ſollicitudinis, onere: diſpiceretque, quod cujque congrueret, pro diverſitate nataliū, diverſorium. Nam penès ſe quidē (velut exterarū nobilitatum incallidos) delectum eſſe diſpectúmve non poſſe: ſed hanc auctoritatem illi reſervari debere; cujus civilitas ac prudentia nôſſet, inter* Grandes, *ac* minores, *diſtinguere. Nec verò multitudine ſe terreri; quæ novem paria juvenum excipiendorum hoſpitiô, non excederet. Potiùs optaturos (ſi ſic Numinis placita tuliſſent) totum adhuc agmen, quod quinquaginta circiter capitum fuiſſet, hujc beneficio ſupervivere: cùm interim eum numerum varia mortes diverſiſſimis caſibus ſuccidiſſent.*

HAEC, & his congrua complura, cùm ad Sacrorum Præfectum incolæ Charapotenſes dicerent: ille, ſuâ jam ſponte currens, & animô, ferendam ad opem, incitatus; promptitudinis novum calcar accepit. Quare, mirificè tum ſuorū humanitate, tum *noſtrorum* captus *indole* (ſicuti memorabat) continuò partiri ſocios cœpit: ac, ſpectatis cujuſque ſuorum facultatibus & re familiarī, ſollerter, aliū alibi, diſtinctis hoſpitiis induxit. Ipſe verò (*ne conſiliô liberalior eſſet, quàm ope*) ſibi, quos viſum eſt, reſervavit: ac, niſi me fallit memoria, præ cæteris Sacerdotem noſtrum; & conditionis ſimilitudine ſibi conciliatū, & noſtrâ creberrimâ prædicatione commendatum. In hos omnem ſuū animum atq; geniū (qualis apud eas gentes eſſe poteſt) effudit; non *Unius* duntaxat

taxat (*quod facillimum, etiam* AVARIS *eſt*) *ſed complurium dierum indulgentiâ. Curionis* exemplum ſecuti municipes; in nos corporum omnia fomenta, contra nuditatem pariter & inediam, officioſè productéq; congeſſerunt.

III. DIERUM igitur aliquot moram Charapóri traxi: donec, magalium atque ruris nonnullô faſtidiô (fortaſſis etiam, elegantiarum urbicarum deſideriô) placuit, & reliquam Chriſtiani littoris oram peragrare. Quare, *famâ* præſertim invitante, QUAE *plerumq;* PRAESENTIA *criminatur, & in majus extollit longiùs poſita*, collegi ſarcinas: & antiquæ cujdā gentis noſtrę colonię, cuj PORTUI VETERI nomē, immigravi; tutæ cęteroquin ſtationi; quippe, mœnibus atq; propugnaculis circumcinctæ. Quinque menſes illic, haud ſanè peregrinis animi laxamentis, quæ vulgò quærim⁹ Europæi; ſed adverſæ valetudini dati: deſidiâ prolixâ moleſtâque. Namq; tum reliquū corpus omne, tum pręcipuè pedes tibiáſque; periculoſâ ſanie turgentes puſtulæ, denſis conſertæ tuberibus, inflammârant. Neque mirum; in membris utpote, frequenti quondā vulnere, viarúmq; frigore, proſciſsis. Erat autem hoc tormenti genus, nō illud infantile puerileq;, cæteroquin in variolos plerumque deſinere ſolitū; ſed cruciatus planè maſculus ac virilis: quíque, doloris & acrimoniæ diuturnitate, Spartiatam aliquem requireret. Non herbæ, non cataplaſmata, non conſilia proficiebant, & intrà paucos (opinor) dies, vivus æquè ſepultúſque computruiſſem; niſi veteris remedii memoria perplexum animum ſubiiſſet. Quod enim feliciter antehac ſemel iterúmque tentaveram; ut ſalsîs aquîs, tanquam thermîs

thermis & Bajis, uterer; idē & tertiùm nunc experturus, MANTAE *Portum*, eſſedo deportatus, pètivi. Cingitur & hic mœnibus; & ab noſtræ gentis colonia frequentatur. Nomen autem ex *Pallii* ſimilitudine, quam utcunque ſitus illius exprimit, invénit. Hic igitur undis maritimis, ſalſedine ſaluberrimis, ulceroſum quotidie corpus merſavi: quoties cœlum id ſineret, in littore; quoties autem adverſum eſſet, in ſolio balneóque geſtatorio. Sic triceſimo ferè die, me priſtinam in incolumitatem repoſui: deletis (quod meritò mireris) etiam reliquiis & cicatricibus bullientium plagarum. Hîc multorum ex ſermonibus intellexi; navim illam noſtram, quæ Mantæ debuerat, *Spartam* tandem, Hiſpaniæ Novæ portum, poſt innumeros pelagi caſus, influxiſſe.

SECUNDUM hæc, reſumptô veterrimô meo propoſito, cujus gratiâ matrem & Europam reliqueram; iterúmque factîs velîs, PANAMAM, unde pridem ventîs improſperis ſolveram, ſecundiſſimîs repeto. COMPANEROSAE mei, quem in ſolitudine ſepelieram, poſtremis poſtulatis ex fide ſatisfacio. matrem illius omni luctu; neceſſitudines & affinitates, triſtitiâ compleo; poſteaquam univerſum illis ægritudinis ac deceſsûs ordinem, ex vero, recenſui. Nominibus quoque, quæ Companeroſa mihi profeſſus erat; ſatiſdari fieríque præcipio; ſi jus, ſi vocem morientis extremam, magni facerent. Nec illi ſegniter mandata curârunt. Me verò, jam non tantùm ut amicum; verùm etiam, ut ſucceſſorem amoris Companeroſæ ſui, lautè prorſus habebant; in hoſpitii longioris ſpem conceſſo

mihi

mihi conclavi, quod ille quondam frequentaverat. Id erat in ſuprema parte ſplendidarum ædium: ex qua proſpiciendi libera copia, deducebat oculos à Panamæ littoribus ad uſque Nombrediosſæ tractum, ex adverſo ſitum. Illic, pomeridianô quondam otiô tabellas pictas, quæ parietem ornabant, luſtranti; de domeſticis quidam intervénit, cano vir capite, ſenſúque; ſicut apparebat. Is hærentem in una potiſſimùm pictura, prior adortus; Hæc (inquit) effigies eſt PETRI quondam, ARIAE, cognomento *Crudelis*: qui Panamæis finibus, Antiquæ Darienæ, Novæque Caſtiliæ, ſummâ cum poteſtate præfectus; provinciam fortiùs, quàm clementiùs, adminiſtravit. Nam, ſupra cætera parùm humanè facta, quorúmque poſtmodum à tribunalibus Hiſpanicis interrogatus eſt; etiam generum ſuum, Vaſcum Nunnium VALBOAM, virum (niſi rebellâſſet aliquando) ſummum, ſecuri publicè percuſſit. Eâ culpâ, non tantùm in regis; ſed propemodum in humani generis odium incurrit: detractus idcirco præturâ, raptúſque ſtatim in jus, & fortunîs omnibus, regio decreto, dejectus. Et quid eſt igitur (inquies) quòd viri talis imaginem inter Heroas ponitis? Id ipſum (inquam ego) mirari mihi, dum loqueris, in mentem venit. At ille; Cauſſam (ait) &, ut opinor, idoneam, audies. Vides hunc univerſum terræ tractum, quo diſtenditur Iſthmus hic; qui Pánamam inter & Nombrediosſam procumbit? Longitudinis immenſum eſt ſpatium: latitudo verò leucas, ut minimùm, ſex & triginta (quà vel arctiſ-

arctiſſimè maria coëunt) explet; totidem ſolidis horis percurſanda. Spatium igitur iſtud univerſum, ſylvis prædenſis & horridis; ac præter hoc ſcopulis, paſsimque ſparſis rupium fragmentis, inſeſſum: ab omni retrò memoria ſemper mortalibus impervium permanſit. Etiam Barbarorum ferociſſimi, vaſtitati locorum ſe credere metuebant: tantummodóque ſaltus illos ferarum atrociſſimæ pererrabant; Leones, tigrides, urſi, cæteræque generis carnivori belluæ. Totam hanc, tantámq; locorum aſperitatem, & vitæ diſcrimina; PETRUS hic ARIAS in prætura ſuſtulit; &, conſulturus ultrò citróque commeaturorum tam incolumitati, quàm compendio; ſalebroſa repurgavit; ſcopulos excidit, emovítque; monſtra beſtuarum profligavit; & (in ſumma) ſylvis radicitus exſectis, *viam* publicam *aperuit, aſcijs illis, quibus poſtea* NALBOAE *cervices incidit*. (*a*) Propter hoc ARIAE meritum ingens in Rempublicam, hæc illius picta facies, non modò proſtat; ſed etiam præfulget, ut vides: luce, poſt manes etiam, digniſſima; propter Solem, his tenebroſis terrarum plagis infuſum. Hæc ille mihi tunc, nec inattento, narrabat; ARIARUM gloriæ, propter generis claritudinem, alioquin impensè fautori.

IV. CAETERUM ego dies pauculos Panamæ demoratus, paris auræ ſucceſſu, quo priùs eram uſus, navim rurſus conſcendo. Deinde Tabógam inter (inſulam Occiduam) & eas, quas à margaritarum copia *Perlas* noſtri dicunt, medius, PERUVIUM peto. Curſus erat à Septentrionibus ad Meridiem; re-

ctô paſſim, & propemodum ad perpendiculum exactô littorum tractu, quæ legebamus. Tunc multô, neque parùm amœnô, maris theatrô, littorum ſiniſtro margine Sinus *Divi Michaëlis*, Promontoriumque Carchinum; & aliud, quod *à Beato Franciſco* nuncupatur, ſemet offerebant. Præter hæc autem Regnũ Darienum; ac remotiùs indè Caſtilia (quam dicunt) Aurifera, Regnúmque Bogotæum renidebat: quod, unà cum Caſtilia, flumine ſpatioſiſſimo dirimitur à Darienis campis, Amni, Rio-Grandi nomen eſt, apud noſtrates; ab ipſa ſui magnitudine. Prætervectis autem inſulas Malpellum, Palmas, Gorgonam, & Gallum; ingenti maris flexu Divi Franciſci Sinus occurrit, ac promontorium Paſſáum; retrogradâ velificatione nobis ſuperatum. Id quod nemini videri mirum debet. Pontus namque *Zurius*, quà parte Peruvam amnem, & ejuſdem nominis portum, accipit: quaſi pertæſus ulterioris in Orientem procursûs, reſtringit ſeſe: multíſque Sinubus, & laborioſo reflexu, Solem ad occiduũ recurvatus; vix ſerò tandem ad priſcam ſui cursûs lineam redit. Ità ſpatium ingens, abſceſſu ſuî, relinquit proximæ cuidam continenti; quam Saramánam appellant: immani montium dorsô præcinctam ab occaſu; circulóque ſubjectam Æquinoctiali. Proximè, fines Saramánæ ſtringunt Amazones; etiam illis Indis celebres Heroides: velut ego reor, veterum Europæarum exules reliquiæ, quondámque regnatæ; vel certè multùm infrà Thermodoontæarum libertatem.

Poſt ingentẽ illum, quem memoravi, Sinũ; rede-

redeunte Maris procurſu, *Promontorium*, quod *Helenæ* dicunt, prænavigantibus moram objicit: cæterùm moram, nec ingratam, propter amœnitatem; nec admodum diuturnam, ob contractum flexûs ſpatium. Ad ſiniſtram verò, prætercurſâ Punâ (non incelebris nominis Inſulâ) Guanápa, Malúcha, Salínæ, continentis urbes, oſtentabant ſe. donec denique, tot terris, tot æquoribus quæſita, LIMA, navigationum & itinerum terminus, offertur. Hanc urbem (cæteris omnibus jam dudum à tergo relictis ſociis; àc ne PEDIOSA quidem hærente) ſicut ſæpius antehac votis; ità tunc pedibus, ingredior.

EST LIMA (quam & *Civitatem Regum* nonnulli dicunt) hodie PERUVII totius caput. Principiò, cùm in eam coloniam noſtri deduci ſunt cœpti; non ampliùs quadringentis quinquaginta domibus habitabatur. Crevit autem deinceps; & nunc inter omnes regionis illius urbes eminet; non tam mœnium ſediúmque, quàm dignitatis, amplitudine: quippe, civilium litium tribunali, Prætorio, regiorúmque judicum conſeſſu, formidanda. Præter hæc autem & illius, qui pro rege jus ſummum dicit, majeſtate; necnon Archiepiſcopi Cathedrâ, venerabilis atque celebrata. *Præſul* hic, totius Peruvii ſacrorum principatum obtinet: cuj minorum infularũ *Pontifices*, decem & quinque ſubſident. Vrbs ipſa, *Xauxæ* fluminis, amœni juxtà gelidíque, ripis impoſita; ſub cœli gradu plus minùs undecimo, trans Æquatorem, ad polum Antarcticum jacet. Ad Orien-

Orientem reſpicit Cuſcon urbem; à Boreæ verò partibus, Caximalcam; nobiliſſimum quondam Peruanorum regum propugnaculum. Ab occiduo porrò Sole, mari, quod *Zurium* dicimus, alluitur. Portu gaudet, mercibus & onerariis perquam opportunô. Diducitur hodie plateis & ædificiis, in Europæum cultum, & ſeriem, diſpoſitis. Incolarum familiarúmque copiam, æſtimare poſſis ex eo; quòd ab ſolis Numidis inquilinis, ex Africa transgreſſis, pluſquam duodecim millium numerô, frequentetur. Nigritas vulgus appellat: ſúntque mancipia paſſim Luſitanorum; ut plurimùm ex Africanæ Guinéæ, Congi, vel Angólæ regnis coëmpta; cum delectu diligenti corporum atque roboris. Ab terris illis, quotannis in Braſiliam Peruviúmque navibus tranſportantur; non tam ad vitam degendam, quàm vivam laborum carnificinam. Horum, humanis humeris major, ſedulitas; & ſuprà fidem omnem improbus ſudor: ſtuporem Europææ deſidiæ, frequenter etiam commiſerationis affectū; prolicit. (*b*) Præter privatas porrò, publicáſque complures ædes, profanis uſibus aſſignatas; Templa non pauca, ſacratáque domicilia LIMA numerat. In his, etiam *Societatis* IESU *Collegium*; *Tirociniiique Domum*, cum ſtudioſæ iuventutis *Seminario*: formandis Americanorum juxtà, noſtratiúmq; puerorum, rudibus annis. Propter hunc tam multiplicem, qualẽ modò memoravi, ſplendorem: quanquam CUSCÕ cæteroqui multùm inferior; totius tamen Peruvii, Lima caput eſt atque domina; non indigna profectò

fectò cœlo ſuo; quod plerumque conſtantis eſt temperiei: quippe quod, niſi bimeſtrem, dierum noctiúmq; nullam ſentiat inæqualitatem: & hanc ipſam nunquam horæ ſpatio productiorem. (e) Quanquam autem uliginoſis ab Oriente locis, & confluge torrentium, urgetur (inſalubritatis alioquin notiſſimis cauſſis) propter æquoris tamen ab Occidente viciniam, proptérque molles auras; non eſt incommoda diuturniori convenarum moræ. quam ego proinde, quietis indigus, ad ſemeſtre ſolidum extraxi; partim ex meopte genio: partim verò, quòd hoſpitem nactus eſſem, minimè tetricum & incivilem. Detinebat inſuper, præter corporis neceſſariam curam, etiam conſilii capiundi ſpatium ac maturitas, dum in metu ſum, ne, non probè ſingulis diſpectis, vitæ meæ rationes in futurum, inconſultò ſtultitiæ turbine, darem in præceps: néve (ſicut antehac ſæpius) incertò pro certioribus delecto; totum meæ navigationis inſtitutum, ad caſus ſiniſtros, tanquam ad ſcopulos, affligerem. Igitur in cogitando multus; in indagando ſciſcitandóque plurimus: in deliberationem advocabam dies pariter atque noctes, ſoporem & vigilias, homines atque Superos. Excoctò vix tandem (ſed tamen, ut mihi tunc apparebat, ſatis excocto) mentis decretò; *Potoſianas* in *Fodinas* inclinavi ſimul, & pedibus ivi. Locum eum paucis depingi, non abs re fuerit; oculato præſertim experimento, nec exigui temporis uſurâ, per omnia tritum atque diſpectum.

V. Ad Orientem igitur hibernum, in continen-

ſinenti, quæ pæne Cuſco tenus à Boreis in Auſtrum excurrit, ad Montes illos propemodum, quos noſtri *Serras Potoſias* appellant; Lacus eſt ingentis ſpatii, Peruanis gentibus Tiquacaca dictus. Hic, nonnullis hinc inde renidentibus Inſulis interſectus; ducentorũ quadraginta paſſuum millibus ambitur. Dives ipſe magnitudine ſuâ; fluviis tamen præterea peramplis, denis duodenisve, locupletatur: at amnibus rivisque minorum alveorum plurimis, ſine numero juxtà ſinéque nomine. Cæterùm is, quâ facilitate copiáq; confluentes recipit; eádem mox abſcedentes emittit: coëuntibus aquis in immanis ſpatii profunditatiſque fluvium; ac per paſſuum item C C X L. millium longitudinem procurrentibus: donec in aliud, haud incelebrioris notę, Stagnum, Aulogam accolis nuncupatum, evolvatur. Id fit oſtio non plus uno; ſed tamen vaſtiſſimi gurgitis: quo Lacus Tiquacáca ſimul intrat Aulógam; ſimul eo ſe totum merſat. Namque permiro, ſed exemplis tamen non carente, naturæ prodigio; tot rivorum, amniúmque (pæne dixerim) Oceanus, ſtagnantis hiatu paludis, dum illuit, hauritur; & hauſtu confeſtim ſepelitur: nullô (quod ſtupeas) vel exundantium aquarum, vel retrolabentium, veſtigiô. Credas, evaneſcere: ſive Palæſtini Iordanis imitamento, Vologdæque Sarmatici; quorum prior Mari, quod Mortuum dicunt, miſtus: alter autem Caſpio, continuò ſorbetur & interit. ſive (quod propiùs conjecturam eſt) abſumpti ſolo tot gurgites; occultis ſub terra meatibus, aquas

&

& glareas auriferas, ad uſque Potoſſii montes devehunt. Nam rivorum plerique, largum; omnes autem, lentum ſaltem, & tanquam ex dimenſo, volvunt aurum: ac, ſub horridis illis terræ cavernis, ſuſpenſis fragoribus incedentes, in Ærario denique Potoſſiano ſuum pretium deponunt. Namque Potoſſii pæne recta montémque, deſinentis AULÓGAE littus ſuburget. Nec ità procul Potoſſiano jugô; montium nova ſeries, ad Auſtrum, opulentis venis ſuccedit.

Hæc auri pariter argentíque penetralia, noſtra ſive cupiditas; ſive, cupiditatis pallium, Egeſtas, veſtigavit ac reperit, *anno reparatæ Salutis* CIƆ. IƆ. XLV. promptuarium opum, Europææ rapacitati per tot jam luſtra ſufficiens: quódque ſupra fidem cenſeas, adhuc his tempeſtatibus inexhauſtum; adhuc plenis venis etiam huic ſæculo liberale: quo reliquus tamẽ orbis univerſus emunctus eſt, & aret. *Nam hæc ſcribimus illâ ferreâ regnorum tempeſtate; quâ Romanum Imperium* (ſi verum tranſmarina fama narrat) *& omnium circumquaque ſceptra, bellis civilibus exteriſque flagrant: jámque ſtipendiis ſuis, æraria provinciarum imparia ſunt*; futura diu, niſi Peruanæ ſuccurrant illis aurariæ. Sed operæ pretium videtur, exactiùs Potoſſii ſitum, ac ſiqua prætera cohærent, ob oculos ponere: neſcias; trahendóne magis, an abſterrendo lectori? quoniam & AVARO *nihil unquam eſt ſatis*: & ANIMO *temperanti, penſata Salutis pericula citiùs horrorem quàm lucri ſpem, incutiunt*; quoties ſincera narratio, rerum difficultatem, qualis eſt in ſe, depingit.

EST

Est igitur, Æquatorem inter & Capricorni Tropicum, ab cœli climate viceſimo, meridiem verſus, ponè lacum ſuprà deſcriptum; oppidum, majori famâ nominéque, quàm mole, Potoſſium. Huic ad Auſtrum Mons inſtat: quinque paſſuum millia circuitu; tria verò faſtigiò complexus, & ſpatio celſitudinis. Quidam hunc auri penitus caſſum credidêre. quod ſecus eſt. nam uſqueadeo non caret illo, potiùs ut ramentis & laminis affatim exuberet. (*d*) Non paſſim tamen, neque temerè, non modò Potoſii; ſed nec PERUVIO toto, quà foditur, in auri notam optimam incideris. quidámq; pro comperto tradunt (*e*) ad Hiſpanæ bonitatis pretium, Peruviani duplum requiri. Quod, non eſt, cur quiſquam miretur. Nam à peritioribus, AURI *ſeptem genera* deprehenſa ſunt; omnia quidem ac ſingula tanti metalli dignitatem ac nomen tuentia: cæterùm aliud alio præſtantius, ponderoſius, & excoctius. Primas tenere fertur, ab omni jam olim ævo; quod OBRIZUM vulgò nuncupant; hoc eſt, defæcatiſſimum. Hujus autem appellationis originem, ſunt, qui deducant ab OPHIRISIO; temporibus regum Palæſtinorum, Salomonis ac Ioſaphati, per orbem celebrató: quod illi contendunt, Obrizum, aut *Ophriſum*, tanquam *Ophiriſium*, per diminutionem, dictum. (*f*) Quod Grammaticorum potiùs, quàm hiſtorici fori, problema; non eſt animus neque refellere, neque propugnare. potiùs, ad narrationis inſtitutū reverti, placet.

Mons igitur POTOSSINUS, quanquam (uti dictum eſt) Auri dives; magis tamen

ab Argento celebratur. cujus quattuor maximè venis ingentibus, ad prodigium uſque, locus hic per mortalium ora volitat. Has, ulnis non ampliùs binis latas; quingentarũ profunditas ulnarum, in imenſum deprimit: procurrentibus, ab Orientali rupis parte, per tramitẽ obliquum cuniculis; ad Septentrionalem uſque loci ſitum. Protuberant porrò dextrâ ſiniſtráque, ſine numero, quaſi rami quidam & varices; irritandis inhiantium curis, ex ipſa quotidiana novitate: fibris ac ſurculis argenti, ſingulos in dies, aliis ſuper alios, deprehendi ſuetis. Mirabili quodam artis æquè naturæq; luſu, neſcias; Plúſne quæras, an ſtupeas? in tam utique numeroſâ, ſupra numerum, ſpecuum meatuúmque copiâ; quam montis inteſtina felicitas aperit, & offert; tramitibus argentariis, aliis ſurſum tendentibus, deorſum aliis; quibuſdam dextrorſum, nonnullis ſiniſtrorſum: multis prorſum, compluribus retrorſum; ſæpe rectà, ſæpius autem per tranſverſum procurſantibus cavernulis; quæ quandoque decuſſatim ſeſe, per occurſus mutuos, ſecant; aliâs, nullâ finis aut termini ſpe, longitudinem ſuam in profunda montis extendunt. Videas igitur, tam paratis opibus eruendis, illaborare pluſquam millia quattuor Hiſpani nominis; indigenarum autem millia quinquagena; continuatô dierum ac noctium, menſiúmque, conatu. Peruviani plerique Nigritæque ſunt; perpaucis Barbarorum alterius cœli mixtis. Quorum omnium (ſi familiarium etiam, ac neceſſariorum capita, ſemper illis hærentia, ſub cenſum voces) pluſquam octogena millia; ſo-

lia, ſolum ad POTOSSIUM, ſupputes; foſſioni vel addictorum, vel operâ qualiquali ſubſervientium. (g) Vt proinde manifeſtum mirúmque ſit; unius provinciæ regníque laboribus, montem unum vexari laſſaríque poſſe; vinci, vel eviſcerari, non poſſe. Sicut autem cætera PRETIOSA; ſic & hæc *opulentia, magno conſtat, &* ARDUO. Scalas in immenſam altitudinem erigunt; operoſiſſimas aſcenſu, deſpectu deſcenſúque formidandas. Eæ, continuo quodam nexu ſurgunt: columnis, non (ut Europææ) geminis, ſed ternis; quas bubuli corii ſegmentis, in longum ſciſsis, & funis in ritum intortis ſtriatiſque, concinnant: inſertis per tranſverſum gradibus è ligno teretibus, atque pedi figendo firmis. Quò celſiùs autem enituntur, dum effoſſas divitias humeris égerunt; eò crebrioribus ad reſpirandum interjunctionibus indulgent: præparatis toto ſcalarum tergo, certa per intervalla, robuſtis ſubſelliis; quæ, trabibus præferratis, ac longuriis ſubliciis, in rupem adactis, & onera ſedentium ferunt, & ævum. Menſuram autem itineris, quod ab imo monte ſuſcipiunt in ſupremum, ex eo licet æſtimes: quòd ad centum quinquaginta, nec pauciores, ulnas geometricas, infra POTOSSINARUM Alpium radices, érgatæ plerumque ſe demittunt: & indidem cum exciſis ponderibus regrediuntur. Inter horrenda tenebrarum (dictu tetricum!) non Solis radius, non diei parciſſimus nitor, rimis ullis immicat; ad aurum aut viam aperiendã. Lucernâ duntaxat è ſebo, medium ad pollicem deligatâ; ſibi quiſque viæ dux, Sol, & dies eſt. (h)

VI. Caeterùm hæc tanta naturæ felicitas, in ditandis mortalibus; aliunde ſuis incommodis vitiatur. Eſt enim Potoſsium aëris perfrigidi; tractu locorum aſperrimo; terrâque, frugum omnium ac meſſium infertili. Quapropter ego præſentium bonorum citò ſatur; *impetu juvenili (qui* nova *ſemper* veteribus *antefert)* ab aliis ad alia pedem, cum lucri cupiditate, tranſportabam; Auri maximè ſtudio, per compendium, intentus. Et ideo, quidquid uſpiam, in Peruvio toto, metalliferorum terræ ſinuum erat, inveſtigatô; quaſi nullo tamen laboris relatô pretio, retrogredi cœpi: pérque Bogottæ, quod appellant, Regnum, rurſus in Caſtiliam Auream penetravi: non indelibatis Regni Veneſvilæi, Dariénique finibus, Caſtiliæ viciniam ſtringentibus. Illis in plagis, quantum opum per Americanas operas congeſſi; tantum rumorum per otioſos hoſpites collegi: narrantibus in dies ſingulos iis, quibuſcum agitabam, aliis quidem gratuitâ, quibuſdam autem venali linguâ; quâ placentiſſima quæque, velut in forum, proſtituebant, ſermonum blandimentis: ac ſæpe veris hiſtoriis corruptam fidem miſcebant. Sed ego, qui multa ſcrutatus; nec pauciora teſtimonió ſenſuum expertus eram: famæ publicæ, jam pridem etiam libros inſtitueram aſſociare; quos quidem id genus narrationibus, paullo ſincerioribus, audieram concinnatos. Eos aſſiduâ volutatione, quoties otium ſuppeteret, terebam. Illa verò, quæ videram, in ephemeridas & commentariolos referebam;

Audi-

Audita, non niſi cum delectu, credebam. Quibus proinde ſtudiis & ſollertiâ *trienniô ſolido, quod illis in finibus exegi*; celebriora quæque, non ſolius PERUVII, ſed pæne totius AMERICAE, quàm latè patet, aſſecutus ſum. Vnde locus ipſe, tempûſque, nos hortari videntur; quæ tunc ſuper his regionibus accepimus, poſterorum quoque notitiæ ne ſubtrahamus. Nam, cùm per omnem hanc rerum noſtrarum enarrationem; inter ignota plerumque locorum ac provinciarum nomina, tanquam in Cimmeriis noctibus, oberraverimus; nunc denique congruum arbitramur, triennali percurſatione comperta nobis, cum fide tradere. Sed id tamen preſsè faciemus; nec, niſi cum raritatis delectu; ne, referendo quævis obvia, quæque pluribus ante me promiſcuè vulgata ſunt; noviſſimus ego ſupervacaneam cramben recoquam. Igitur de regionibus iis, in quibus tum agebamus, & de quibus nunc acta condimus; in hunc modum ſe res habent.

VII. VLTRA cognitum, noſtris hominibus ac ſcriptoribus, terrarum hemiſphærium; quod Europæus, Aſiaticus & Africanus mundus inſedit: ad Occidentis excurſum, alterius eſt hemiſphærii terreſtris ſpatium; immani profundo, regnis, & inſulis occupatum: currente per medium Æquatore circulo, ſic, ut medium diſſecet; illiúſque dimidium alterum ad Septentriones, alterum autem (æquâ propemodum portione) pertineat ad Auſtri plagas. Hujus tantæ molis magnitudo capacitáſque, quà terræ continentis, quáque pelagi, finibus & ambitu

cenſa;pæne cæterum omnem, majoribus noſtris compertum, orbem æquat. Vnde, velut in æmulationem veteris;ſuperiore memoriâ, NOVI nomen ORBIS accepit. Nonnulli verò, quòd, iiſdem prope tempeſtatibus, Indiarum Orientalium complures Inſulæ regnáque detegi cœpta ſint; hunc mundum recentiorem *Indias Occiduas* appellârunt: ad diſcriminis (ut ego reor) quandam facilitatem; &, præter hæc, ad nonnullum *Inventorum* certamen: dum alius alii, primùm inſulas inſulis, terríſque terras; dein Orbem orbi, contendunt per æmulationem opponere. Sic Occidentalium Indiarum nomen exiit; quod cæteroquin videri gratuitum poterat, & ex vano captum: cùm INDI *fluminis* (à quo ſua tellus inſignitur, & nominatur) nullo nec alveo, neque gurgite, perluatur; ac ne fonte quidem brachióve, nuncupationis ejuſdem, rigetur. Porrò PRIMUS (qui quidem ſciatur) Chriſtianis ſæculis, in ea loca, tempeſtatibus disjectus, appuliſſe fertur Hiſpanę triremis gubernator; qui *portu Callaico* ſolverat. Is, longiſſimo maris Atlantici tractu, meridiem inter & Occidentem, ablatus; Terras ibi quaſdam, an Inſulas, vidit: viſáſque duntaxat, nec exſcenſûs audaciâ tentatas, ſine ſuis nominibus, ſine publicæ fidei certis monimentis, reportavit: cùm navim ſuam, amiſsis ſuorum multis, tandem in inſulam *Materam* redigeret. Hæc in Oceano jacet Atlantico, Marocchiũ contrà; ſub cœli gradu viceſimo ſeptimóque: ſupra Fortunatas, quæ Materæ, Notum verſùs, ſubſternuntur. In hanc igitur inſulam, poſteaquam Hiſpanus ille nauclerus ſeſe, la-

cerám-

cerámque fluctibus triremem, recepit: eáque, quæ peregrè viderat, quæque tumultuariis chartis ductû rudi conſignârat, expoſuit; tantùm nō initiò pro parùm ſano traductus eſt: eluſáque, tanquam fabulatoris, transmarina relatio. Certè quidem conſtat, adeò neglecta tam felicis inventionis principia fuiſſe; vix ut tandem repertus fuerit, qui narranti quæſtiunculam, aut (quod minimum eſt) etiam aurem & attentionis dignationē, impénderet; nedum fidem, & comitatûs ſponſionē, ad nova quærenda regna. Sed nullâ re magis tunc patuit, *ingrata mortalitatis vitiū*, ac bene *meritorum oblivio*; quàm, gubernatoris illius exceſſu. nam hic, non ità multò poſt reditum, cum ſuorum reliquiis, naturæ conceſſit: languoribus confectus, quos ex incommodis maritimis collegerat. Sub quæ, ſine mora, corpus promiſcuo vulgi tumulo cōditum; refoſſuris ne diſcrimen quidem, ad ſui recognitionem, réliquit. origo verò, propriúmque natale ſolum, & (quod his omnibus plus admireris) nomen adeò cognomentúmque tanti narratoris, intercidêre. Verùm, erat eodem tempore, quaſi favore quopiam fatorum, inter naviculatores, qui Máteram inſulam cauſsâ mercium frequentabant, Ligus quidã, acri vir ingenio, nec minùs promptâ manu, *Chriſtophorus* COLUMBUS: Cuguréo, vel (ut alii perhibent) Nerviâ, pagô municipióve Genuate, progenitus. Hic, ex Hiſpani, quem dixi, gubernatoris ore, chartáq; thalaſſographicâ, ſolerter exceptis deſcriptionibus; ad rationem & conjecturam loca ſingula cœpit expendere: notáq; regnorū &

Inſularum, ignotis componendo; necnon Platonis antiquiſſimam Atlantida (cœli climatúmque poſitionibus inter ſe collatis) ex Timæo ſecutus; in eam venit opinionem, ut jam non fabulam atque commentum crederet, ſed hiſtoriam & rerum veritatem. Igitur à Ferdinando, Caſtellano rege, per octennium ipſum ſollicitatô; precibus opportunis importuníſque, vix denique, ſed tamen extorſit, inſtructam commeatu nautico claſſiariiſque triremem: impendiô non ampliùs decem ac ſeptem millium aureorum nummûm. Eam Callium portu ſolvit: ſuſpenſis exſpectatione cunctis Hiſpaniis; Ecquid audacia promiſſa, tam gravi ſpe, tam tumidis velis prægnantia, regi credulo paritura forent? At COLUMBUS, rumorum parùm ſollicitus; nec, quid de ſe mundus ſentiret, ſed, quid ipſe mundi novi reperiret, intentus: per Canarias omnium primùm evectus eſt in pelagus occiduum; quod contra Marocchii regnum, & cæteram Africam, objacet. Hinc, obliquatis in Boream velis, primam omnium retexit Gujahánam inſulam, Floridæ vicinam. Poſtea, repetitô jam tertiùm Oceani curſu, comitibus Pinzónis fratribus; Cubam, Hiſpaniolam, Iamaicam, inſulas ingentes ac divites: ſecundùm has autem, Terram Firmam, Pariámque, continenti ſolo ſitas, invénit: & inventarum nonnullas, pro jure ſuo, primus nominavit. *Argonauticæ* porrò tam celebri, quæque ſuperiorum ætatum omnium navigationibus multùm antecellat; initium datum, *ſub Annum* à CHRISTO *milleſimum, quadringenteſimum,*

mum, nonageſimum ac ſecundum: Friderico III. Germaniis imperante, Maximiliano I. Friderici filio, Romanorum Rege; ſub initia Pontificatûs Alexandri VI. Sed poſt hæc, COLUMBI ſtudiis ſupervénit AMERICUS, cognomentô VESPUTIUS; gente Tuſcus, & ex ipſis Florentiæ magnæ viſceribus. Is, quinquenniô pòſt, Gadibus in Atlanticum Pontum evectus, Luſitanorum regis Emmanuelis auſpiciis, continentem ingreſſus eſt Orbis noui: vir, ſolis inſulis ac littoribus nequaquam contentus. Animis ingentibus, & magnô Barbaricarum virium deſpectu; ferociſſimas quaſque nationes adire cum paucis auſus, obſtantia perrupit ac profligavit arma; poſitóſque trans Æquatorem tractus ad meridiem, primus partim aperuit; partim hoſtilitate repurgavit. In quibus Gviána, Braſiliáque, cum cæteris in Auſtrum obverſis provinciis, Ibericum dominatum accepêre. Tali VESPUTIUS induſtriâ felicitatem eſt eam aſſecutus: ut, quodcunque terrarum & inſularum, ad id uſque temporis, ſemper ORBIS NOVUS, aut OCCIDENTALES INDIAE, fuerant; id univerſum deinceps ab ipſius nomine caperet AMERICAE nuncupationem; potiùs, quàm à COLUMBO *Columbaria*, ſive quam aliam appellationem. Ità Duorum (ſub idem ferè tempus) Italorum heroicâ IASONIAque *virtute*; Mundus ingens, fieri ſeipſo major cœpit: *Inventíque* recentis Orbis, penès alterum gloria naſci; penès alterum autem hærere maluit, & perennare.

VIII. TALIBUS *America* principiis ac veſtigatoribus aperta, qualis ſit; deinceps di-

cendum eſt. Longitudo (ſi metiaris à *Freti Magellanici* flexibus, ad uſque *fretum Anianum*) bis mille quadringentorúmque milliarium eſt magnorum; quibus itinera Germani metiuntur. Sive noſtram quis Geometriam malit; quattuor millium, octingentarum leucarum. At latitudo totius, à promontorio Fortunæ tracta, lineîs rectis, ad promontorium Bretonicum Novæ Franciæ; bis mille ſexcentarum leucarum eſt. Circumluitur, ab ortu Solis, in hemicycli ferè formam, Atlantico mari: paríque propemodum ſpatio (ſed obversâ figurâ) cingitur AMERICA mari Zurio, ſeu *Pacifico*, quà vergit in Occidentem. Ab Auſtro, terris urgetur & clauditur, quas vulgus INCOGNITAS appellat: interfluente Fretô Magellanicô, cæteróque, quod ad Antarctum jacet, mari; quà maximè coit in anguſtum. Plagas Aquilonares ingens in polum Arcticum vaſtitas extendit; continens, an fluens, adhuc incertum: propter horridam, quæ noſtrorum acceſſus abſterret, barbariem. Cæterùm AMERICA, cùm utrimque procurrerit intrà ſeſe; ſuíque velut umbilicum in medio repererit: arctatîs marium & continentis faucibus, Iſthmum efficit; longitudine cæteris omnibus nobiliorem: ſed latitudine diſparem, ac variantem. Cujus contractiſſimum compérimus intervallum, inter Auriferæ Caſtiliæ duas urbes, è regione ſemet reſpicientes; Panamam, & Nombrediosam. Ibi ſe *Novus Orbis* partitur; alterum ſui dimidium in Aquilones, alterum in Auſtros diſpeſcens. Hinc illam quidem,

Septen-

Septentrionalem; iſtam autem Meridionalem, uſus jam tritus indigitat. Et utriuſque (ſi maria terráſque metiamur) par capacitas, æqualia prope ſpatia, nec ferè diverſæ dotes & opes, ſunt. Scatet auro, quaquaverſum patet; neque minùs argenti, cæteríſque metalli penetralibus: quibus omnibus pretium fecit, non tam ſuus, quàm alienus Orbis; & cumprimis Europæa ſive rapacitas, ſive penuria. Vehunt & rivi paſſim, & fluvii, glareas auro lucentes; longè certè Pactolô Lydô, vel Hiſpano Tagô feliciores, ac majori copiâ. Præter hæc, amnes haud pauci, cæteris puriores, unionem alunt; variæ quidem magnitudinis, ſed bonitatis receptæ: quorúmque nobilitas conchis, oſtreíſque pelagi margaritiferis, ad æmulationem certet. Terra, pleráque ſui parte frumentô noſtratî deſtituta; ſuum tamen & domeſticum ſufficit, quod illi Mayzium appellant. Id, uti noſtro longè parabilius eſt; ità ſapore ſalubritatéque non parum cedit. Fructuum cæterorum, &, in totum, auctumni vix quidquam deſideres; quod non reperias, vel ad delicias, vel ad copiam: nedum ad naturæ poſtulata. Namque, præter Sacchari cannas (quibus non ſola Braſilia, ſed Inſulæ quoque complures, tanquam ſegetibus & æſtate ſuâ, luxuriant) etiam goſſypium arbuſtis depectunt: & Platanos frugiferas, nuces pineas, aromatum proventus, ac peregrini germinis fœtùs multos, hortîs deſtringunt. In his, mala citria, Perſica, Limonia; quin & aurea, Granatáque, cum Armeniacis pomis: Suorúmmet au-

tem nemorũ fructus, Hovos, Mameas, Gviavas, Gvanavanas; nomina, quàm bellaria, barbariora. Gemmas inſuper, neque noſtratibus multùm inferiores; ſæpe quoque pares, aut vegetiores: plurimúmque præterea pellucidi marmoris, montibus exſculpunt. Smaragdis potiſſimùm quædam Alpes turgent; &, tanquam matrice fertili, profundè prægnant. Eorum, ſicut denſitas atque copia grandis eſt; ſic *Pretium*, RARITATIS *filia*, vix ullum apud ſuos fuit; priuſquam id Avaritia noſtra lapidi faceret. Scrobibus, tanquam ſilices, expungebantur: &, ex viroré, majus oculorum oblectamentum; quàm quæſtûs illecebræ, jacebant: donec licitator Europæus ſupervénit; &, ex hoc, ignotæ priùs mercis, apud Americanos intellectus & æſtimatio percrebuit. Conſtat profectò: *Simandócam* quendam, vallis *Teſſúca toparcham*, Conſalvo *Ximenio*, legum conſulto viro, noſtræque gentis; ſupplicâſſe quondam, pro Salis unicâ patina, cibis condiendis. Ximenio porrò, liberaliter poſtulatis annuenti; (tanquam debitum) fuiſſe transſcriptam & oblatam à Simandóca Smaragdifodinam, divitis ac ſpatioſi fundi. Tantulô liberalitatis impendiô, ſteterunt opes; adhuc hodie ſeris nepotibus inexhauſtæ. Nam eruuntur illinc, in hunc etiãmnum diem, Smaragdi. Feris porrò ſylveſtribus (uti ferè barbariora Libyês, aut Orientis) ſic & ſaltus Americani frequentantur: niſi, quòd Leones ingentes, alibi terrarum feroces, & ultrò perſequi venatorem ſveti; tamen iſtis in tractibus hominem fugiunt: & neque conſpe-

ctum

ctum quidem illius, exiguæ ſtationis morâ, ſuſtinent. Elephantis autem, tam Indicæ, quàm Africanæ ſpeciei, deſtituitur in totum America: nec, niſi fortè quadam importatos, novit. *(i)* Iumenta, quibus ad onera vecturáſque miniſtrandas utuntur; ab noſtratibus differunt: potiſſimùm autem plagæ continentis, & univerſi Peruvii. Genus enim habent quadrupedis admirandum, quod *Lamam* indigenæ; noſtri verò, corporis menſuram ac formam ſecuti, Tranſmarinam aut *Indicam* OVEM, dicunt. Eſt hoc animal non ſolùm carne, coriô, lanâ, dominis ſuis utibile: ſed jumentô præterea fungitur; vectandis geſtandíſque ſarcinis & molibus peridoneum. Dimidio gravantur illius, quod muli geſtarent. Ne quis autem de diſpendio majoris ponderis queratur; parſimoniâ victûs & apparatûs, eam jacturam ſarciunt. Nam minimo cultu, ſtabulantur: diario perquam parabili viliſque, pabulantur; & hordeum neque datum faſtidiunt, neque negatum imminutúmque requirunt. Phaleras, habenas, accinctum, ignorant. Dorſa, geſtationis aſſvetudine, durantur in callum; tanquam nativas in clitellas. quódque firmitudinis argumentum majus eſt, inſoleatæ quoque, ſub quibuſvis oneribus, incedunt; naturæ beneficio conceſsis ungulis in aſſiduitatem ſubarmatæ. *(k)* Cæterùm ad Equi primos intuitus cohorruiſſe ferunt has gentes: tanquam in hoc Leonis quoque, tigridúmque, conſpecto rege: cùm tantam corporis celſitatem adſpicerent; cùm hinnientem frementémque paveſcerent; cùm

phaleratas cervices, non ſine ſuperbia, ſubrigentem ſuſpicerent. Id, quod illis in populis, minimè mirandum eſt, eveniſſe. Nam, pari formidine, nec aſinum paullò laſciviorem, neque bovem cornupetam, tuliſſent; ignota mortalibus iis, ab ortu ſuo primô, brutorum monſtra. Quippe, priuſquam Hiſpani jumenta, tranſportata navibus, inferrent: nemo taurum, vaccam, vitulum; nemo mulum, aut aſinum, aut pullum: non hircum, arietem, capram, ovem, cuſtodémve pecoris canem (ne per picturam quidem) oculîs acceperat. Multa, quæ præterea ſuper Americæ rebus univerſim tradi poſſent; ab aliis abundè jam vulgata, lectorem fatigent citiùs, quàm ſcriptorem deficiant: poſitîs in propatulo librorum monumentîs; ut quiſque noſtrorum hominum, exterorúmve, *Novas terras* inſuláſque, vel ipſe reperit, vel repertas interiùs luſtravit. Operæ fuerit amœnioris; ex ſingulis potiùs exquiſitiora delibare: propoſitîs in conſpectum (ſed tanquam per tranſennam, & ſtrictim) ſicut modò diſtinximus, Americae partibus; & continentis potiſſimùm regionibus. quarum bona juxtà maláque, quaſi per tranſcurſum, excerpemus; ac, ſiqua cætera, videbuntur ad memoriæ meritum eminere.

AR-

ARGONAUTICÔN AMERICANORUM,

SIVE

PERICULORUM PETRI DE VICTORIA

LIBER XIII.

CAPITUM BREVIARIUM.

I. *Septentrionalis Americæ ſingillatim Deſcriptionem orditur, ac diviſionem. De Eſtotilandia, Californiâ, mari Vermejo, Novâ Galleciâ, ſtrictim omnia.*

II. *Nicarágua regionis pictura chorographica. Ejus pars maritima, horrida & inculta, circus quondam, & campus errorum. Victoriæ ac Sociorum ejus. Pars autem Nicarágua interior, amœna atque frugifera. De Manta, déque Portu-Vetere, urbibus: déque priſcis Gigantibus, & eorum puteo, deteſtabilíſque libidinis pœnâ.*

III. *Fondúræ regio; & rupes Maſaja, flammivoma. Hiſpania Nova, felix admodum fructuum, nemorum, fluviorum.*

IV. *Regnum Mexicanum, &, regni princeps urbs, Mexicum; olim Temiſtitánum. Mexicum vetus, cum incolarum priſcorum moribus, adumbratur. De rege ejus ultimo. De Tláſcala, urbe æmulâ. déque demerſis in ſtagnum opibus. Additur Mexici Novi ſplendor, ac topotheſia.*

V. *Cuba inſula: & priſcorum ejus incolarum fœdi mores. Angues comeſtiles. Vallis rotundorum lapidum. Inſula Iamáica. Turbines maris vicini, Turacánes dicti: & Inſula mirandus ſitus.*

SEPTEN-

SEPTENTRIONALIS igitur AMERICAE, barbaro nomine Regna multa ſunt, ac Provinciæ. quarum nuncupationis aſperitatem, partim noſtræ gentis & linguæ majeſtas ad temperamentum ſoni perduxit; partim verò, ſuperinductis Europææ mollitiei vocabulis, interpolavit. Celebrioris notitiæ ſunt, *Anianum, Quiviranum, Tolmiúmque Regna*; *Canáda, Nova Francia, Virginia, Florida:* quæque ſupra cunctas has in Aquilonem projecta jacet, *Eſtotilandia*. Propiùs Auſtrum verò *California, Fondúra, Nicarágua, Nova* (quam fecimus) *Hiſpania*; *Granatáque Nova*. Sed & latus ab Atlantico pelago ſtipant inſulæ circumfuſæ. Primæ dignitatis, *Hiſpaniola, Cuba, Iamaica, Divi Ioannis, & Margaritarum.* Ac de pluribus quidem harum ſeu terrarum continentium, ſeu mari cinctarum; in ſuperioribus operis noſtri libris mentionē inſeruimus: uberiorem, contractiorémque; prout narrationis uſus exigere viſus eſt. Sufficiat hîc igitur, omiſſas alibi, paucis exſequi. Principium deſcriptionum ESTOTILANDIA ſit. Vltimus, qui quidem hodie teneatur, Americæ Septentrionalis angulus; inter Fretum Daviſium, & Terram Cortealem, diverſis Sinubus varias barbarorum Cherſoneſos, ac deſerta littorum, includit: in quibus *Eſtotilandiam* etiam, *Terrámque*, quam appellant, *Laboratoris*, à fluvio *Tormenta*, *Furioſum* ad uſque *Sinum*, in latitudinem extendit. Longitudo verò tractûs illius, procurſu montium, procùl abſcedit, in carentia nominibus loca; potiſſimúmque, quà vergunt in Occiden-

eidentem æſtivuum, incultæ plagæ. Littoribus prætenſa montium juga, ſqualore ſaltuum & aſperitate ſolitudinum, inprimis horrent: tantummodóque belluarum non infœcunda; miræ feritatis animantes, ingenti frequentiâ fundunt & nutriunt. Quin & *Gryphes* illis in arboribus, dicuntur, non fabulæ, ſed ex vero, ſedere. *(l)* Notiora tamen navigationi noſtræ regna regionéſque ſunt illæ; quæ pelagus *Zurium* ab Occidente per obliquum adjacent. In his, poſt *Quivira Tolmique* terras; eodem littoris tractu, mari prætenduntur (Orientem versùs) *California* loca. Tergum iſtorum, claudunt montes; &, ab his in Oceanum decurrens, amnis *Farellónes*. Latera ſtipantur undis, in modum brachiorum. Et dextrum quidem, quod Auſtrum ſpectat, Ponto *Zuriô*: ſiniſtrum autem ad Aquilones, Sinu quodam prævelatur, in tranſverſum procurrente; pluſquam ad mediam *Californiæ* longitudinem. Eum quidam *Mare Vermejum* vocant, ad ſimulacrum nonnullum maris Hadriatici Tyrrheníque: quibus, in Ionium pelagus coaleſcentibus, Italia (laterum tenus ac pedum) inſtringitur: aut in effigiem aliquam Arabici Sinûs; quem *Divinus Hiſtoricus* paſſim *Mare rubrum* nuncupat: cujus itidem excurſu, parte lævâ; dextrorſùm verò, Sinu Perſico, Felix Arabia coërcetur. Haud ferè ſecus, hybernum ad Orientem, triplici promontoriô coëuntes, *Sinus Vermejus*, & Oceanus *Pacificus*; *Californiam* omnem, in arctum, ac tres in angulos, compellunt. Sequitur *Nova Gallacia*, totúmque littus illud; ab Occidente primùm

in

in meridiem: deinde paulatim tenſum ad ortus hybernos; quod pars eſt Hiſpaniæ Novæ, Mexicſque, quà vergit hoc in meridiei plagam. Senſim denique ſe conſumit in NICARAGUAE Regnum: quod, ab Hiſpaniæ Novæ finibus, multô montium quaſi tergô clauſum; vix modicum tranſituris ſpatium relinquit: cæterà, totum eſt maritimum, ad uſque Pánamæ confinia; quæ ſunt Auriferæ Caſtellæ principia.

II. TRACTUS hic univerſus, ab oris CALIFORNIAE, pérque littora PACIFICI Maris, ad uſque NICARAGUAM; fluminibus ac torrentibus infunditur, ſine numero: quos plerumque montium Aquilonarium juga præcipitant, & in jugis collectæ nives; quoties æſtivo Sole reſolvuntur. NICARAGUA verò parcior amnium: cæterùm ſinubus excurſibúſque maritimis propemodum ad fœditatem reſtagnat. Continentis itinera, tertiô quoque milliari fluctus exæſtuans, vel turbat, & alterat; vel reflectit ac deſtruit.

CIRCUM hæc pleraque littora, nos vagos olim, omnium inopes, exulibus & ejectis ſimiles oberrâſſe, per dies ampliùs quadraginta; poſtea conſtitit, quàm locorum peritos, & tabulas thalaſſographicas, interrogavimus. Fuit autem vero ſimillimum; nos haud ità procùl *Californiani* Sinûs coitu, ſuper DESERTAS (quas illi ſic nominant) INSULAS, calamitatis noſtræ principia feciſſe: circùmque fines ultimos *Gallaciæ Novæ*, quà vergit in Occidentem, navi noſtrâ digreſſos, quærere *Thalaſſiam* cœptaſſe; quæ nuſ-

nuſquam erat: & *Mantam* inveſtigâſſe, quæ paraſangis tamen innumeris aberat; neque, niſi NICARAGUAE littoribus indaganda. Nemini porrò mirum accidat; non hominem nobis, non facilè feram, aut locorum nomina, palabundis occursâſſe. Quanquam enim NICARAGUAE regio, quà FONDURAM adjacentem ſpectat, quáque, Boream verſùs, ad interiora ſeſe flectit; fructibus, annonâ, meſſibus, rerum omnium ubertate, maximéque Pſittacorum frequentiâ; ſic luxuriet: ut, qui de noſtris primi continentem illius penetrârunt, nuncupationis deliciarum fecerint (nam, ob voluptatum illius ſoli congeriem, MAHOMETIS *Paradiſum* appellârunt, ex *Alcorani* vanitate): Nos tamen, ſolorum littorum contenti ſtricturis, interiora regni Nicaraguani tunc non tetigimus: ac de *Paradiſo* tali nec pomum, neque folium, momordimus. At verò NICARAGUAE Maritima cuncta regio, non parùm horroris habet: &, præter inclementiam cœli (ſemeſtres pluvias continuas deſicientis) ſolum inſuper arenoſum. Id, redditis cœlo Solibus, ardore non tolerabili plantas incedentium exurit. Vligines præterea, maríſque reciprocantis eluviones, patitur graves, cœnoſas, fœdas: neque culicibus modò formicíſque, verùm etiam pulicum gregibus obſcœnas. Sed his omnibus malum truculentius ſuſtinet, indigenas, qui continentis interiora tenent; latrociniis raptibúſque ſuetos; & humanæ carnis victu menſam inſtruentes. Nam etiamnum *Deorum cultu* furunt. Eorum

nos omnium incommodorum, non ſola veſtigia, ſed prorſus quotidianum guſtum, percepimus; ſicut in ſuperioribus calamitatum noſtrarum actis relatum eſt. Verùm, incolas hodie terribiles, reliquias eſſe longè ferocioris antiquitatis: indicio loca ſunt, quibus nunc impoſitus incumbit *Manta* Portus; & aliud quoddam, exiguis mœnibus oppidum, PORTUS VETUS Hiſpanis dictum: utrumque noſtratium hominum, & ſæculi ſuperioris, opus. Eruuntur enim illinc oſſa cadaveráque *Gigantum*; ſæpe dimidiô, frequenter autem & alterô tantô, grandiora corporibus iis, quibus nunc Americana proceritas incedit. Monſtra fuiſſe portentáque mortalium, eſt in confeſſo; ſed, alumnos aut indigenas NICARAGUAE, negant. Ex tranſmarinis enim oris, & regnis forſitan Antarcticis, advectos, Peruana fama canit, ibi, cum Americanis bella; mox, victis illis, ulteriores ad Aquilonem ſedes, ac ſcilicet NICARAGUAE poſſeſſionem iniſſe, tradunt: conſtructîs ſibimet inſanæ molis arcibus atque turribus. Harum indicium ſtructurarum, Puteus quidam, etiam hac tempeſtate, manet, ac monſtratur; inexhauſtæ profunditatis, vaſtiſſimi circuitûs, &, qualem palus magìs, quàm fons, amet: crepidine, murîſque putealibus, tam immani ſaxo ductîs; ut appareat, eum à prodigiis potiùs hominum, quàm ab hominibus, ſtare. Sed inter hæc ſuperba molimina, tantam in Gigantibus illis fuiſſe memorant Veneris infandæ rabiem; quantam in veterrimis illis, ac primo mundo coævis, Deus ultor cataclyſmo plexit. Quod autem tunc ſcelus aquîs
abole-

abolevit; id, ferunt, in his recentioribus compreſſum flammis fuiſſe, cœlô dejectis; ſiqua tamen populorum illorum *memoriæ* fides eſt, quam unicum ipſi genus annalium habent; calamorum & chartæ compendiô deſtituti. Quidquid id tamen eſt: ex his videas; quanquam ignibus & buſtô tumulatam *Gigantum* ferociam: tamen adhuc in poſteritate ſua (quam populoſam creârunt) velut *è cinere favillâque malè mortuâ, ſcintillare.* (m)

III. CAETERÙM, *Nicaragua* tractui FONDURA connectitur. Hujus cumprimis memoratu dignus eſt mons, MASAIA nomine; formâ circulari. Fauces habet geminas; quarum hiatus alter, ultrà ſagittæ jactum ſpatiô non protenditur. alterius autem circuitus, duo plus minùs millia paſſuum amplectitur. Flammarum aſſiduus eſt (ſine cinere tamen, lapidúmque projectu) vomitus & fragor. Conſpectus autem, quia neque fumo, neque vapore nubilatur; ad paſſuum nonaginta millia clariſſimus. Hujus rutilantis pura defæcatáque lux, multis Auri ſuſpicionem præbuit; tanquam exæſtuantis, immóque fundo bullientis: cùm aliud æternorum ignium nutrimentum nuſquam deprehenderent. Idcirco, de catenis ferreis, ingentis capacitatis vaſa, *Campanô metallo* ducta, quidam demiſêre; divitiis hauriendis. At, hiatûs vix mediâ tactâ profunditate; ferrum, æs, inſtrumenta, cum omni montium aureorum ſpe, colliquêre. *(n)*

SED cunctarum in America Boreali provinciarum caput, HISPANIA NOVA; quà vergit

git in Orientem, regnum in ſe Mexicanum trahit. cujus opes & gloria cæteras univerſas Aquilonaris plagæ regiones, AMERICAE MEXICANAE communî titulô, comprehenderunt. Quo fit, ut jam in totum, audiat MEXICUM; quod pars aliquando nominabatur. HISPANIAE NOVAE (namque cæterarum provinciarum vix unam aliquam eminus remigiô ſtrinximus: at iſtam longîs etiam erroribus perambulavimus) princeps uti nuncupatio; ſic terra, ſpatium, fines, nec non opes & dignitas ſunt: HISPANIAE VETERI, propter ſororium nomen, nequaquam erubeſcenda. Clementiſſimum illi cœlum, ſoles ac dies pæne ſemper verni; noctium dierúmque minima diſcrimina, propter ſitum: quò, Cancri Tropicum inter, & Æquatorem exporrecta, gaudet. Iuniô, Quinctili, Sextili menſibus, circúmque Septembris ſidera; quotidianîs, & ſubinde continuatîs, molleſcit imbribus: haud inſanîs quidem illis, & violento caſu ruentibus; ſed, quales noſtrum apud Orbem Majus ferè fundit, & verna terra ſorbet, placidôs tacitóſque. Quod conſequens igitur eſt; viret hæc anno toto, floretque regio: neque per hortos tantùm, pérque prata; ſed in agris etiam, leviſſimô modò brachiô verſatîs, atque cultîs. Videas enim; eos illô gentilitiô, quod ſuprà memoravimus, frumentô mayzii, ter intrà duodenos menſes niteſcere. Culta præterea nemora, ſylvæque (quod mireris) feliciſſimîs rident proventibus; non ſolùm Italicorum Hiſpanienſiúmque, ſed prorſus plerorúmque tranſmarinorum fructuum. In his mala ſunt rari genii

deli-

delicisque, granata, poma nerantia, citria: prætérque fertilitatem caſſiæ, fiſtulæque, Cacói quoque fœtus; cujus ſapor ac bonitas etiam amygdalis contendat. *(o)* Arborum quoque ſylveſtrium, quæque montanis ſaltibus ſe tollunt; ingens copia, mira magnitudo, truncorúmque moles & craſſities ſupra fidem. Vnico certè de ſtipite lintres immanes, ac Liburnicis certantes, excavant frondatores, ac ducunt; ut, quod modò ſtirps in montibus ſteterat; repentè, tumultuariâ fabricâ, cogatur per maria curſitare lignum. Quin è *Cedris* quoque (quarum fertilitas Syrio *Libano* ſuppar, aut æqua) trabes dolant tetragónas, in domiciliorum compagem; centum viginti pedum longitudine: duodenûm verò latam. Flumina, quibus compluribus HISPANIA NOVA paſſim irrigatur, Crocodilos alunt; Niloticorum nec ore, nec formâ diſſimiles: niſi quòd hi menſis, & (ut Barbari ſibi fingunt) etiam lautitiis, idonei ſunt. Eadem oſtreis quoque natantur; quorum conchæ margaritis turgent, pretio, maritimis haud inferiore. *(p)*

I V. MEXICANAE tamen regionis potiſſima, præque cæteris HISPANIAE NOVAE terris, gloria: non modò, quòd Regnum antehac latè reliquis eminuit, ac jura dedit; quacunque patet in Septentrionem America: ſed etiam ob MEXICI, principis urbium, majeſtatem: quâ Sedes quondam imperii fuit. Sed tunc etiam *Temiſtitánum*, diverſiſſimo nomine, dicebatur: quæ nunc paſſim, à *Fontibus*, & copiâ *ſcatebrarum*, quibus circumluitur, MEXICUM nuncupatur; id

Id exprimente gentis linguâ. Sita quondam urbs hæc fuit, *Venetiarum* exemplô, ſuper ingentis lacûs medium. Is, geminô ſinuatus ſtagno, paſſuum quinquaginta *millibus* ambitur: totidem circumquaque ſuper ripam exſtructis urbibus. Nam quinquaginta fuiſſe, conſtans eſt eorum narratio; qui vetus *Mexicum* oculis ſubjecerunt. Addunt; earum ſingulas decem millibus plus minùs domuum ſuperbîſſe. Sed longiſſimè ſuper has omnes caput erigens MEXICUM, tanquam ex annulo grandi gem̃a pulcrior & extantior; in medio cunctarũ poſita, cunctas facilè deſpiciebat. Etenim Orbis totius urbiũ (ſi modò famæ credimus) ſpatioſiſſima; tectorum turriúmque pluſquam ſeptuaginta quinq; millia ſurrigebat. Præterea lemborum, quos *Canôas* ipſi vocant, quinquaginta millibus aſſiduè circumnavigabatur. Quem numerum nec hodierni quidem MEXICI populoſitas ſuccſdit: quippe non rarioribus, atque quondam, per ſtagnum excurſibus recurſibúſque diſtenta. *Mexici* porrò veteres incolæ, cultibus olim *Idolorum*, & humanarum carnium epulîs, diri; præter hæc autem & pellicatu, pluriúmque ſimul uxorum cubili, deteſtabiles: hodie priſcam infamiam, novîs ſuperinductîs moribus, ut plurimùm exuerunt; utique poſt *Chriſtiana Sacra* vel audita, vel ſuſcepta. Laborârant autem & Infanticidiorum fœdiſſimâ crudelitate: ſolitîs mactari tenerîs fœtibus; ut primùm, & utcunque, genitoribus diſplicuiſſent. Hæc immanitas ad vicena plerumque millia parvulorum capitum, annuâ lanienâ, graſſando pertigerat.

Tam

Tam cruentam, & verè *Molochicis Sacris*, ab omni retrò memoriâ bacchantem urbem; diuturnâ quidem, ſed tamen populari, Republicâ tenuêre *Chichimeici* (ſic antiquis appellati) tanquam tribuni quidam plebis, aut decuriones: nec ipſi quidem diſparibus fœdi flagitiîs. Poſt ſexcentos autem ac novendecim annos; ab Democratia, gubernaculum tranſilit ad Reges. Hi, numero novem, neque plures; Sæculum, ac tricenos annos, impleverunt imperiô; continenti decedentium ſuccedentiúmque ſerie. Clauſit ordinem, regnum, ac vitam unà, Rex *Motezúma*; ferrô per ſeditionem popularium interceptus: eodem ipſo tempore, quo *Ferdinandus Cortéſius* (inter thalaſſarchos Ducéſque *Caroli V. Cæſaris* ſpectatiſſimus) Americanìs victoriîs floruit. Hic *Hiſpaniam* primò NOVAM armis occupavit. Trienniô deinde pòſt; extincti *Motezuma* regnum & regiam aggreſſus, MEXICUM urbem, non ſine maximis utrimque ſtragibus expugnavit; ſæculi decimi ſexti primô, ſupra viceſimum, annô. Magnum autem ad hanc expugnationem pondus contulit, urbs alia, poſt *Mexicanam* ſecundi nominis atque loci; *Tlaſcalána* dicta. Quam appellationem ei conciliavit, ſoli fertilis ad omnem annonam ubertas & aptitudo. nam id ſonat Americanis, *Tláſcala*: ſicut fontium abundantiam, MEXICUM; uti ſuprà retulimus. Igitur *Tlaſcalána*, civium frequentiâ divitiíſque tumida; cùm in ſecundis ægrè conſiſteret: æmula *Mexicanæ* claritudinis, haud aliàs magìs infenſum animum exprompſit, adverſùs inviſam ſibi rempublicam;

S quàm

quàm illó poſtremo bello, quod à *Corteſio* geſtum fuit, ad uſque ruinas & excidium *Mexici*. Conſtat; Tlaſcalános ſolos auxiliares, populárium ſuorum voluntate ſub *Corteſio* merentes; pluſquam centum millium virorū valentiſſimorum; exercitum explêſſe. (q) Quibuſdam autem in annalibus reperio; *Mexicum*, ne quidem captam, conquiêſſe: ſed opus alterâ fuiſſe victoriâ, ſub ejus ipſius Ducis auſpiciis atque ſignis. Redactos verò ſub officiū oppidanos caſtellanóſque: poſt omnia ſua perdita, tamen adhuc *invidiam* retinuiſſe ſpoliorū: quibus ne potirentur victores; quidquid auri publici privatíque, quidquid ſignati rudíſque fuit (fuiſſe verò memorant, immane) totum id lacu circumfluente demerſiſſe: (r) quò dolentiùs Hiſpani ferrent victoriæ laborem, jam bis gratuitum; quóque graviùs hiantes cupiditas ureret: utpote, quibus tot opum certiſſimarum in ipſo portu naufragium, per ſummam hoſtium malevolentiam, obtigiſſet. Quæ, ſi cum vero memorantur: etiam hujus tantæ jacturæ ſenſu, crediderim, aſperatum *Corteſium*; inveniſſe cauſſam in ſignationis novā, ad priſcas cauſſas: & idcirco (poſt MEXICI mœnia cum turribus, arcibus, ac plateis excîſa) ſolo tot millia domorum æquâſſe: Poſt hæc autem Vrbem, fundamentis ſuis emotam; è medio lacûs, in ripam ultimam projeciſſe, quà Boream ſpectat. Illic enim MEXICUM hodiernum viſitur, & incolitur; non inter aquas, ut quondam. Quod tamen, etiam poſt tantam ſtragem ac buſta, magnum adhuc & ſpatioſum; amplitudine ſuâ ſeſquimilliaris Germanici circuitum implet.

plet. Pars illius altera frequẽtatur ab noſtris: pars altera, ceſſit indigenis incolenda. *Typographéô* (quis credidiſſet, etiam hanc incultiſſimis populis aliquando ſcientiam acceſſuram?) præterea nummûm ac *Monetæ fabricâ*, celebratur. Porrò planitiem, in qua ſurgit, vallant circumfuſi quaquaverſum colles; humili, ſed tamen vernãnte ſemper, clivorum amœnitate. Remotiora verò, quæque duriorem nacta ſunt auram; in montes eriguntur; &, tanquam amphitheatrô, gradatim eminent, jugis ſuper juga ſcandentibus. quæ cuncta nivibus annosîs, æternáque glacie, rigent.

V. Post *Mexicum*, ab orientali plaga, ſinus maris ingens illis incumbit terris; Mexicani nomen etiam ipſe ſortitus, ex propinquitate locorum & littorum. Hujc, obliquô lâtere, pars Atlantici maris, Inſulæ ſubnexæ ſunt, CUBA, IAMAICAque; quarum utriuſque tergo prætenditur HISPANIOLA. Iuſtæ magnitudinis *Hiſpaniola*, *Cubáque*. Sed illa diffuſior ambitu; longitudine verò tranſverſâ, productior altera. Supervacuum autem hoc loco fuerit, *Hiſpaniolam* relibare: quippe, cujus, in opere ſuperiore, lineam jam aliquam, & imaginem duxerimus; lecturis utique ſuffecturam. CUBAM (etiam *Fernandinam* aliquando dictam) Tropicus æſtivus ſecat; ſolô culto pariter incultóque fertilem: &, præter ſacchari vim ingentem, Aſſyriâ quoque Panchæáque felicitate, divitem fiſtulæ, caſiæ, zingiberis, maſtichês, aloës. Montana, ſecturîs auri; campeſtria verò, fluviîs aurum

provolventibus, locupletantur. Sex, neque pluribus urbibus, frequentatur: & hoc ipſum, ab non ſui ſoli mortalibus. Namque genti, propter *obſcœnæ Veneris* immodicam & inhumanam intemperantiam; *lues* olim, *libidinum filia*, ſupervénit: inſulámque, tabefactis, ac funere creberrimo reſolutis corporibus, penitùs priſcis cultoribus vaſtavit. His in coloniam Hiſpanus ſucceſſit. Et is hodie propemodum ſolus terram (alioquin gratìs perituram) exercet. Indigenis porrò veteribus, ſicut vitia fœditáſque; ſic & ſerpentum (ſpurciſſimi reptilis) epulũ, primis in deliciis extitit. Nam angues hæc Inſula prægrandes, cæterùm innoxios, creat; & in opimam craſſitiem nutrimentis certis perducit. Nec ſilenda Cubae *vallis* quædam, trium circiter leucarum longitudine; genitrix lapidum innumeræ multitudinis. quos tamen omnes ac ſingulos in eam ſphæræ rotunditatem artifex natura tornavit; ut illius figuræ legem exactiorem, nullus circini ductus queat exprimere.

Sub *Cuba*, meridiem versùs, Iamaica panditur inſula; juxta latus occiduum Hiſpaniolæ. Geminis celebratur urbibus; *Hiſpali* (ſeu *Seviliâ*) *Novâ*, quà Boream reſpicit: & *Oriſtânâ*; quà vergit in Africum. Sexcentorum millium ambitu circumitur hæc Inſula. Rerum, ad vitæ delicias uſúmque, fertilitate, nulli ſecunda; virore littorum & camporum aſſiduò gaudet: niſi, quòd Sextilì, duobúſque conſequentibus menſibus, annuô turbine ventorum incurſatur. Eum ipſi Turacánem nominant; violentum, improbum, & obvia quævis

vis arietantem. Hujus furore, ſtirpes etiam firmiſſimæ, nemorum & hortorum, ab humo ſæpe radicibúſque, revelluntur. Inſulæ tellus, ab ipſa ſtatim littorum orâ, clementibus circumquaque clivîs aſſurgens: paribus ex omni parte progreſſibus ità ſenſim aſcendit; ut pedes tamen fallat. donec in ipſo ferè totius inſulæ meditullio conſtitutus, oculos circumferas: & præcelſum jam montem ſentias; quem primùm, veluti colliculū, aggreſſus eras. Verùm, de *Septentrionalis Americæ* partibus ſatìs, neque citrà promiſſa, memoratum. Nunc & eam, quæ *Meridiem* reſpicit, percurramus.

ARGONAUTICŌN AMERICANORUM,

SIVE

PERICULORUM PETRI DE VICTORIA,

LIBER XIV.

CAPITUM BREVIARIUM.

I. A*Merica Meridionalis particularior topographia: nominatim, Caſtella, ſeu Caſtilia Aurifera; Dariéna, ceu Nova cujuſdam Meſopotamia: in qua Guajána arbor. ſcopa ex dactylis. Poppajána; & Amazonum Provincia.*

II. *Chila gelidiſſima regio. Mira & curioſa narratio, de Almagro, Duce Hiſpano; ejúſque militibus & equis, frigore enectis, ſed incorruptis. Chilenſium quorundam demens pertinacia, ad deditionem evitandam.*

III. *Chica regio. Ejus incolæ proceriſſimi, velociſſimique. Alii, in ramis arborum habitare bellaréque ſoliti Patagónum guttur & robur incredibile.*

IV. *Peruvii generatim perſtringitur ſitus, opulentia, fertilitas, ſalubritas: & triplex ejus partitio ponitur.*

V. *Peruvium Campeſtre; ut plurimùm arenoſum.*

VI. *Peruvii Montani fertilitas & amœnitas. mox Peruvium Tramontanum percurritur. Ejus jumenta, feraq; ſylveſtres: Vultures, aranei, bufones. Avicula multicolor, & mira. Avicula ejuſdem Tramontana alia, minima, Gonambúcha nomine; canora. Montium Peruvii immenſa altitudo. Ars ſumma Peruanorum, in opere plumario Guanáci ſeu Vicunnæ beſtia, lapidum Bezuarium genitrices. Per quem ea primùm, & quo opera pretio, Hiſpanis ſint prodita?*

VII. *Cuſcus, Montani Peruvii metropolis, accuratè deſcribitur. Ejus ſitus, arx, plateæ, incola, viáque gemina conſtrata, ſtupendi operis.*

VIII. *A quibus Cuſcus, & moles ejus admirandæ, ſint exſtructa, vel repoſita? De Ingarum, id eſt, monarcharum Peruanorum, origine, fraudibúſque, ad invadendam tyrannidem. de eorum inceſta licentiâ, &, ob hoc, ſubditorum corruptelâ. Unde illis ad ruinam gradus.*

IX. *De Guanacaxa, Ingâ (ſeu monarchâ) Peruvii, paullò ante adventum Hiſpanorum. Ejus regis palatia, hortúſque, ceu novi Mida. Sepultura ſuperſtitioſa.*

X. *Extincto Guanacaxâ, ſucceſſor ejus, Guaſcar filius, à fratre minore Atabáliba, rebellante, prælio funditur, & vitâ exuitur. Atabáliba, in-*

ceſtu

reſtu & tyrannide vicinis inviſus, in Pizarri & Hiſpanorum arma, vincula & catenas: tandémque, Philippelli delatione, in laqueum incidit & interitum.

X I. *Mangum, Guáſcaris & Atabáliba germanum, bella pro Peruvio & ſucceſſione moventem, ægrè tandem ſeróque Hiſpani coërcent; & profligant. Deletur ſubinde Ingarum omnis poſteritas; è quibus tamen unus Chriſtiana ſacra ſuſcipit, in libertate.*

QVÆ propiùs *Auſtrum* receſſit, AMERICA; figuram gerit ferè triquetram pyramidalémve; ſinuatâ tamen in arcum baſi, ſeu pede; qui Boream reſpicit. At acumine, terris Antarcticis opponitur. Quibuſdam hæc olim *America Dariena* dicebatur; à fluminis DARIENI notiſſimi magnitudine. nonnullis aliis verò, PERUANA potiùs; ab eo, quod cæteris omnibus præſtat, regnô. Finitur ab Aquilonibus Iſthmô; *Magellanicò freto*, quà cacuminatur ad Auſtrum: Mari *Pacifico*, quà Solem cadentem; *Atlanticô*, quà ſurgentem, excipit. Circumitur autem univerſa ſedecim millibus milliariûm Romanorum. Hujus, nominatiores cæteris, provinciæ numerantur: CASTELLA (quam dicunt) AURIFERA; *Dariena, Popajana, Peruvium, Chila, Chica, Braſilia.* Quarum poſtrema, ſicut ab humanitate quondam; ſic & à cæteris Americæ ſuæ partibus, longiùs abſceſſit: in latus Orientis refuga. Conſtat; eam *Peruvio* diſtare millibus paſſuum vicies & quater millenis: quantum ſacchari cannis abundantē, tantùm argento

juxtà defectans & aurô. Verùm hæc noſtri nec operis eſt, neque promiſſi. quare pluribus eam inſequi, ſuperſedemus.

CASTELLAM AURIFERAM. nihil magnopere, præter grande nomen, ac (nomini reſpondens) auri copia, nobilitat: quod, omni fide copioſius, & facilitate propemodum dormitante; non tantùm è montibus, ſed amnibus etiam atque rivis, extrahunt. Cæterorum vix aliquid ames optéſve: cœlô, ſolô, ſtagnis, ad vitæ ſubſidia tutelámque, pariter inclementibus.

AD *Caſtella* dexterum latus, DARIENAM regionem ſuus amnis (ex quo nomen capit) famoſam facit: &, præter fluvium, Sinus ingens, *Urabánus* vulgò dictus; in quem fluvius devolvitur. Ab hoc amne ſinúque, DARIENA (tanquam *nova* quædam *Meſopotamia*) ſpatiô terrarum memorabilî, diducitur ad eum uſq; fluvium; quem alibi RIVUM GRANDEM meminimus appellari. Latitudinem ſuam ab Occidente, tranſverſim in Orientem expandit; & ad *Caſtellam* uſque porrigit. Longitudinem autem à *Poppajanæ* terminis, & Oceano Septentrionali, producit; cum duorum fluminum continuato curſu: quam etiam eorundem amnium oſtiis finit. Ab *Euphrate*, credas, & *Tigri tranſmarinô*, ſuam *Chaldæam* includi, ſtiparíque. Monſtratur autem etiámnum (tanquam *Meſopotamicis* in campis, *Niſibis*, aut *Carrarum ruina*) ſic in his locis, vetus Regni ſedes, ANTIQUA DARIENIS nuncupata: non ità procul ſiniſtro, cognominis ſibi fluvii, latere. DARIENA porrô, quæ nunc eſt; ſponte telluris ſuæ (quæ præ

felicitate

felicitate nimiâ cultorem in pleriſque dedignatur:) arborum frugiferarum complura genera protrudit: ſapidiſſimi ſanè, peregriníque fœtûs. Earum in cenſu potiſſimùm æſtimant eam, quam ipſi *Guajánam* dicunt; fructu, partim aurantiis malis aſſimili; partim, ac plerumque, citriis: quæ vulgus tamen Limoniorum appellatione traducit. Stant paſſim & nuces, varii nominis ſaporíſque; neque ſolô juglandium & avellanarum diſcrimine. Præterea dactyli; quarum in fructibus nucleus, neque magnitudine diſcrepat ab noſtratibus: neque ſpecie, vel pulpæ candore. Saporis gratiâ, cedit Europæis; in ingratam amaritiem deſinente guſtu. Videas & aliud dactylorum germen, ſed ruſticum: quod in ſylvarum uſque nemorúmque denſitatem ac delicias excreſcit; foliô ſtirpéque Dactylis fœcundis perſimili; flore verò fœtúque nullo. quin nec utilitate quidem ulla memorabili; niſi, quòd plebeja neceſſitas earum ſurculos, deſtrictîs foliîs, in ſcopas & everricula convertit: ad ritum noſtratium betularum. *(a)*

Darienam POPPAIANA ſequitur. Hujus initia ducuntur ab *Antiochia* mœnibus, Aquilonem ſpectantibus. extremitas autem Auſtralis, urbe *Quitô* diſcluditur; quæ, ſecundùm nonnullos, PERUVIUM vel ſtringit, vel etiam orditur. POPPAIANA tota montibus, ad horrorem excelſis, infeſſa; propter hoc ipſum ab Auri ſolitâ fertilitate non degenerat. Cæterùm, fœdus morum, priſcus incola; dignam ſuis meritis locorum faciem nactus eſt.

SUPER Poppajanam ad meridiem (ſed obliquatô latere) ſub Æquatore, *regio* panditur AMAZONUM; rupibus undequaque cincta: quà verò montes deficiunt, lacuſtri flumine prætenſa. De quo terræ tractu, ſimul & incolis; ſuprà memoratum eſt.

Sequuntur, littoribus maris *Pacifici*, prolixô, tantúmque non perpendiculari curſu, prætextæ regiones; *Peruvium, Chila, Chica.*

II. CHILAE latus dextrum pelagus urget; ſiniſtrum verò montes, perpetuis ſqualidi nivibus; & quorum altitudini nulla par ſit, non hujus, non alterius *Americæ*, vel Orbis, edita plaga. Tantò montiũ opulentiora ſunt viſcera; quantò paucioribus antehac penetrata: quæ proinde non auro tantùm ſimplici, ſed prorſus obrizô, turgent. Hujus cœli pares noſtratibus æſtates, calent, extorrent, grandinant, tonant, fulminant: ſed tunc, cùm Europa brumam agit. Hyemes autem adeò ſæviunt; ut equitẽ quoque, jumento frequenter adſtrictũ, uno marmore pariter conglacient. Indè regioni nomen. nam CHILI vocabulô, frigoris acrimonia populis illis denotatur.

Sed potiſſimum eſt montium gelu; qui, verticum altitudine, longè nubibus eminent; &, præter immodicum frigus, quoddam inſuper auræ genus volvunt; diverſis inter ſe ſtudiis, clemens idem atque ſævum. Cùm enim tenuitate ſuâ, viventium viſcera (ſimul ac intraverit) intimè pervadat; peſtilentérque punctô temporis extinguat: exanimatis tamen è diverſo parcit; ac, velut balſami vivacitate quadam, incorruptionem illis & ævum præſtat. Cujus, inter alia complura, quæ

quæ brevitatis ſtudiô prætermittimus;unum, & publici rumoris, exemplum, ſileri non debet. Id eſt ejuſmodi.

DIDACUS *Almagrus* (ille, qui bello civili primùm, cum *Franciſco Pizzarro*; ſub extremum etiam præliô diſſedit: &, acie victus ad Cuſcum urbem, in vinculis cum victoria libertatem ac vitam amiſit) poſt primam diſcordiam reconciliatâ gratiâ, miſſus à *Pizzarro* luſu ſortis in CHILAM eſt; cum turmis aliquot & manipulis Hiſpanorum. Habebat legatus in ſpecioſis titulô, ſed revera caſsis exitu, mandatîs: ut *Provinciam* illam faceret, quæ regio Regnúmque fuerat, ad illud uſque tempus: eámque, vi compulſam & armis, Iberico dominatui ſubjungeret. Nec detrectavit imperium ALMAGRUS; horridum licèt, ac variè difficultatibus intricatum. Nondum iis tempeſtatibus apertus, ac neque cognitus quidem exteris, trames erat ille; qui nunc, montes inter & *Pacificum* mare, patet in CHILAM: ſed, barbarorum viæ ducum inſciriâ dolóve, per Alpium juga ſumma, labor & iter ſuſcipiendum erat. Et ALMAGRUS quidem eâdem, expeditionem ſuam trajecit; ſed magnâ luctuoſâque peditum & equitatûs jacturâ. Frigoris enim immanitas, & illius (quem dixi) venti mortifera vis; miſeros oppreſſit, & alligavit. ALMAGRUS, cum ſignis & militum reliquiis, utcunque quidem corporibus incolumibus, in CHILES interiora decurrit. animîs tamen haud perinde firmîs, aliquantiſper nihil, niſi ſubſtitit: ac contentus, *veniſſe, vidiſſéque* barbarum hoſtem; *viciſſe*, ſucceſſori reliquit.

S 6 Grande

Grande verò putavit, *aſpexiſſe ſaltem armatum* incolam; membrorum formidandâ proceritate ſtantem ex adverſo: nec illico, præcipiti fugâ, dediſſe terga. Cùm autem nec auri quidem ulla ſpes(propter barbaricas cuſtodias)affulgeret; paullatim DIDACUS ac pedetentim, ordines, pedem, & ſigna referre cœpit; pérque tritos ſibi nuper Alpeſtres aſcenſus, agmina ſua reducere. Dictu, creditúque magnum,ſed tamen certiſſimum! Poſt *quintum* jàm exactum *menſem*,quàm in CHILIAM irruperat; in ſupremo gelidiſſimóque montium tractu, qui frigore militiam ejus pleramque deleverat: reperit eorundem adhuc, qui quondam obriguerant, corpora peditum, equitum,& jumentorum, inconſumpta. Vidit, ſtupuítque; ſaxis alia, vel arborum truncis, ut quemque militum glacies deprehenderat, applicita: quædam humi, prona ſupináve, ſtrata; caballos quoque, fixô calce ſtantes, & alarios eis inſidentes, indimoto ſitu: qui, tanquam etiamnum aſturcónem urgentes,videbantur inſerta manibus fræna quaſſare; niſi, quòd vocem nullam equeſtrem(hortantium,aut increpitantium) mitterent, vitæ ſignum. Ad ſummam; invénit eos tales, quales reliquerat; odore nullo tetro, colore non-ſolito funeribus; ac (niſi quòd anima dudum intercidiſſet)cæterà ſpirantibus, quàm extinctis, ſimiliores. Tam atrocis plagæ brumâ, ſimúlque triſti tot ſtatuarum monimentô,deterritus *Almagri* ſucceſſor, *Petrus* VALDIVIA; declinatis ab læva montibus, dextram eſt ingreſſus: ac per maritimæ campeſtria, quæ ſibi ferro reſeravetat;

rat; victorem exercitum, & dominatum, (*Chilenſium* cervicibus ſuperinduxit. Ab eo tempore, penetratæ CHILAE penès *Almagrum*; ſubactæ domitæque, penès *Valdiviam*, fama permanſit. (*b*) Verùm ad CHILAE deſcriptionem reliquam, unde diſceſſum eſt, ſtylus revertatur.

Hæc, quàm auri, vitæque nutrimentorum ferax: tam inquieta pugnáxque Pacis quondam ac Securitatis bona neſcivit. Adhuc, qui CHRISTUM excludunt; præter ingenitam ferociam, ſtupendámque corporum altitudinem, in armis ſemper ſunt; &, propter hoc, in odio generis Europæi. Vitam eis citiùs, quam libertatem & pertinaciam, extorſeris. repertíque ſunt in *urbe*, regionis capite (quæ nunc *à Divo* IACOBO nomen gerit) mortales efferi; quos hoſtilis captivitas ad exſecrabilis inediæ mala, propter pervicaciam, adegerit. Conſtat; abſecuiſſe ſibimet ſuras; crudáſque devoráſſe, furioſô vitæ diſpendiô: ne, famis impotentiâ, vitam Hiſpano permittere compellerentur, in deditionem ac fidem accepti. Si quando tamen bella deſint; ipſa terra ſuoſmet in indigenas inſurgit: ſolita, creberrimis & horrendis ſucceſſibus, in tectorum, montiúmque, ſtrages erumpere; cúmque rupibus, unanimi ruinâ pecorum hominúmq; corpora ſepelire. Tantas autem hic tremor vires habet; ut fluminum alveos & cúrſus alienet; maria ſuſpendat à littoribus; & in ſicco decepta navigia deſtituat. (*c*)

III. CHILAE ſuccedit, ad Auſtrum poſitarum regionum ultima, CHICA, ſive QUI-

QUA, nomine: cujus incolæ, Septentrioni viciniores, immanem ſuorum corporum proceritatem, in XII. uſque, XIIIve pedum longitudinem erigunt; colore, præter *Americæ* cæteræ conſuetudinem, candido: ſed vocis ritu bubulo magìs, aut elephantinô; quàm humanô. Quod autem in artuum tam enormi vaſtitate ſtupeas; pernicitatis plurimum obtinent: quâ vel cervorum damarúmque fugam, & prævertant, & ſiſtant.

At, qui longiùs ad Auſtrum receſsère; breviori corporis menſurâ, nec animorum pari (ſicut ego reor) audaciâ; maritima Freti *Magellanici, Zuriíque*, non per pagos nuper cœtúſque; nec omnino per tecta, frequentabant: Sed, inaudito poſt *Iaquelinam* (Virginem Appulam) habitationis modô; celſiſſimarum arborum cacuminibus inſcenſis, ramorum proxima compagibus nectebant. Ibi, ſuperinductis contabulatâ materiâ barbaricis tabernaculis; æſtivos calores arcebant. Illuc ſéque, familiámque, cum annona quotidiana, tranſportabant. Id illis (nec aliud) munimentum adversùs inimicam vim, & maritimas eluviones, erat. Quòd ſiqua tamen potentia grandior illis inſultatum veniſſet; ſi ſecuris hoſtica ſylvæ truncos ab radicibus adfectaret: eam illi depellebant, provisîs in hoc ipſum ollîs æneîs, igne liquatáque pice bullientibus. Has in hoſtica capita devolvebant. *(d)* De cætero; *Chicenſium* univerſim etiam ex eo robur æſtimes: quòd tardè victi, tardiſſimè ſub jugum Ibericum conceſsère; propter gentis cujuſdam connexæ, ſæpéque

Qui-

Quiquenſibus immixtæ, ferociam: quæ vel maximè *Chica* pertinaciam alebat. Nam, ſuprà memoratis pleriſque nationibus alia natio truculentior,(CHILAM inter,& QUICQUAM) ad latus Orientis, tranſmontanam continentem inſedit PATAGONES dicuntur. *Gigantes* plerique, viri pariter ac ſexus alter, corporum proceritatem nunquam infra novenos denóſque pedes deprimunt: ut plurimùm ad undenos,aut duodenos,ac plures etiam, attollunt. Oſtentando porrò robori, ſagittas ſeſquicubitales gutturi demergunt; ad uſque ſtomachi fundum: nec tamen nauſeant. Quis crederet; niſi *Magellanus* ipſe, tantus & Heros & auctor, id inſpexiſſet, & horruiſſet? qui poſteris hoc per epiſtolam enarravit. Firmitudinem corporum illorum ex eo quoque conjicias: quòd unus aliquis PATAGONUM, adjutante nullo, planéque ſolus; oppletum vinô dolium ingens, ſpatiô ſtadiorum aliquammultorũ, de pontonibus acceptum in humeros aut lacertos, in continentem; ex continenti,viciſſim ad naves,deportet. *(e)* Ergo fortitudine juxtà, barbariéque, formidandus eſt populus. cujus, ſi, quæ diximus,ſpecimen & exemplum non eſſent: loquerentur idipſum tamen, vacua ſedibus urbibúſq; ſpatia: tam vaſto ſolô, jam tantummodo ſolitudinibus ac latrociniis,ad nulla vicinarum gentium comercia, relictô. QUIS *enim, niſi moriendi certus, mortalium his portentis convivat? (f)*.

IV. SUPER *Chicam*,modò deſcriptã,ſupráq; *Patagónes*, & *Chilam*; intrà Cancri tropicũ, & Æquinoctii Circulum, PERUVIUM eſt ſitum. Quan-

Quanquam, à quinto jam ferè gradu ſuper Æquatorem,& à Peruae fluminis alveo,capiat initium. Hæc omnium Americae provinciarum nobiliſſima, ſpatio, cultu, cultoribus, opibus: & (ſi copiam auri penſes argentíque, quod eruitur) *Omnium orbis universi regnorum ditiſſimum.* Miranda nihiloſecius indigenarum ſimplicitas, idipſum, quod mundus adorat, æſtimare neſcit; Neque ſuperbiore pede calcare ſaxum aut marmor ſolita, quàm aurum; in mercimonia, maſsis rudibus, nullâ formâ, nullô ſignô preſsîs, utitur. Emblematis nihilominus illius artis haud indelectati; mirantur operis ingenium, alienámque manum: verùm innoxio prorſus, nec in avaritiam uſque rapinámque duraturô ſtupore, vel oculo. Iucundior illis, terræ viva fertilitas; &,fluctuantes in campo, mayzii vel importati tritici ſegetes: quarum eſt incredibilis ubertas. Nam unicum jactæ ſementis ſextariũ, quinquagenis ut plurimùm; ſæpe centenis,interdum & ducenis multiplicatum, tenuiſſimi ſubactûs labor refundit.

Nec tamen omni Peruvio, credideris, eam felicitatem,neque paribus gradibus,obvenire: diverſitate climatum, atque terrarum, variante fertilitatem. Hujus enim maritima, ſabulô tota quanta ſqualent; & ſterilia ferè jacent. Quanquam temperatiſſimo nihiloſecius; & (quod conſequens eſt) ad ſalubritatem corporum accommodatiſſimo perfruuntur aëre: propter amœnas Zurii maris auras; ac ventulorum indè ſpirantium, placidos flatus, ac reflatus. Aliud

præ-

præterea diſcrimen eſt, quod hujus regionis bonitatem inæqualitate diſtinguit. Namque PERUVIUM (quod ab Septentrione ſui nominis fluvius inchoat, ad Auſtrum *Chila* regio finit; ad Ortum, montes; ad occaſum denique, pelagus *Pacificum*) tribus maximè partibus abſolvitur. Earum una *Plana Campeſtríſque*, ſicut eſt, ità nuncupatur. Altera, *Montes* ſunt. Vltima; quam *Andes* illi vocant, Vltramontana. Provincias porrò, quas haud abſurdè *Regna minora* dixeris; recenſet intrà ſe cumprimis iſtas: *Limanam*, *Cuſcanam*, *Arequipanam*, *Tumbeſiam*, *Quitanam*. Hæc illæ nomina ſortiuntur, ab totidem primis ſingularum urbibus; quibus hæ toparchiæ regnantur.

V. PLANA, ſive CAMPESTRIA *Peruvii* (quam & *Maritimam* dicunt *provinciam*) à PERUAE fluminis ſiniſtra ripa, tertióque gradu climatum Antarcticorum, procurrunt cum *Zurii* maris littore, meridiem versùs, ab Aquilonibus. Quindecim millium milliarium longitudine cenſetur. Latitudo, quà tranſverſim à pelago montibus incurrit, tricenûm; &, ſicubi diffuſiſſima, ſexagenûm eſt millium paſſuum. Sata ſegetéſque ſuas, fontibus, rivis, & amnibus (in colliquias ſectis diductíſque) nutrit ac promovet. Namque cœló, niſi tenuiſſimi roris ſtillicidiô, non irrigatur; clauſis ad pluvias æquè tonitruáque nubibus: & plerumque pulverulenti ſoli glebis æſtuantibus. Hinc, ferè juncis & cannis paluſtribus indormientes incolæ, frigoribus aucupandis: hinc, ſub umbris arborum proſtratæ meridiationes atque noctes: hinc arenæ,

arenæ, per omnem eum terrarum tractum, quàm plurimùm; ac vis magna ſterilis ſabuli. Crebra denique ſolitudinum deformitas, jejunus & difficilis ager: niſi, quà fluminum viciniæ vomere vel paſtino proſcinduntur. Illic enim lætiſſimis meſſibus ipſa riparum viriditas, ac ſubeuntis humoris ſalubritas, adoleſcit. Et tamen cultores ſuos, talis, tam incerti favoris humus, invenit: dulcis inſuper iis, quibus patria; tolerabilis autem aliis, quibus hoſpitium, aut exilium eſt.

VI. Montana, quæ *Peruvii Campeſtribus* prætexitur; ab altero ferè trans Æquatorem gradu, protenditur à Septentrionibus ad Auſtrum: non illo quidem continuo connexóque jugô, ſed vallibus interruptô; duorum Millium ferè leucarum ſpatiô. Serratam noſtri vocant; ob æternas montium ſciſſuras. Fertilitate ſulcorum, æſtatum auctumnorúmque copiis, cultu mortalium, amœnitate cœli, nec minùs urbium caſtellorúmque frequentiâ; ſic cæterum omne Peruvium anteit, ut priſci Reges, ac nobilitas, non alium magìs aërem ad æſtiva delegerint. Hujus argumentum, *Villa* ſunt, & creberrima *Lucullea*; ſuper omnem Græcam ac Romanam elegantiam, marmoribus eductis.

Poſt *Montanam* ea, quæ Tramontana dicitur, jacet; pari ferè cum montibus procurſu. Viciniam hæc ſtringit *Argentei fluminis*, ſeu *Plata*; Braſiliæque fines Occiduos. Et hæc ſuper perpetuum quoddam montium dorſum incedit; ſine vallium intercapedine: rigidũ nivibus, ſed non ideo vacuũ cultoribus.

bus. Hi valenti ſaluberrimóque corpore; validioribus autem animis; arcu venatúque vitam trahunt. Et animantium, in ſagittas atque prædam, affatim eſt: veſcorum quidem, damæ, *Camelottiq*, (genus *ovium* arietúmque, camelinâ colli longitudine; niſi quòd non perinde ſurrigitur: aliquantillô quoque gibbere) præterea, dapis inſolitæ (ſed illis tamen gentibus non intactæ) Leones, urſi, lupi. Frequentant quoq; montium illorum aërem magnitudinis monſtroſæ *Vultures*. Horũ molem ex alis æſtimes, pleno remigio diſpaſſis. nam XVIII. dodrantium reperêre diametrum, qui dimenſi ſunt. (*g*) Vnde non immeritò fabulis exemerim eorum rumorem; qui pecudes gregum & armentorum, ab hiſce volucribus diſcerpi devoraríque memorant. (*h*) Pari credulitate receperis etiam regionis ejuſdem *araneos*; citrii mali craſſitie, veneníque ſævitiâ præſentiſſimâ. Sed *bufonum*, quas narrant, pluvias; eorúmque ſpurcas carnes, verubus ad ignem circumagi ſolitas, aut è ſartaginibus in ventrem demiſſas: in medio relinquere, quàm aſſeverare, mavelim; quippe gulam & ingluviem, ut omnibus humanitatis cupidinibus atque ritibus: ſic prorſus omni fide vel hiſtoriis, inſolentiorem. Illud tamen certum eſt; & huic *Peruvio* cum inſula *Cuba* comune: colubros illic volutari, corporis humani mole; cæterùm nullâ ſanguinis tabíve peſte. Vidimus quoque, nec rarò, *genus avicularum* tinnulũ, ac (ni fallor) etiam canorum. *Gryllorum* magnitudinẽ habet; neque ſuprà tamen interim abſolutiſſimô gaudet pennarũ ac plumularũ

veſti-

veſtitu; præfixóque capiti roſtellô, de clunibus caudam trahit. Pennularum nitor verſicolor, lucet; ſic, ut ſmaragdinum virorem, ſplendor ſapphirinus; purpuram verò, luteus auri fulgor, provocet. Denique, quidquid oculos trahit colorum: id omne, ſupra pavonum & iridis varietatem, in illo volucris breviariô natura miſcet; miſtúmque, denuò ſecernit: haud ineleganti compoſitæ venuſtatis diſcordiâ. *Tictorum tormentum invidiámque* dixeris; aut profectò, manûs Apellææ ſollers compendium. Ad ſummam! in animalculo minimo, magnum ſtupendúmque Dei, ludere geſtientis in rebus productis, opificium! Non minùs hôc prodigiô naturæ, memorandum & illud alterius cujuſdam *aviculæ*; quam partium harum Barbari, dialectô ſuâ, Gonambucham appellant. Ea cumprimis frequens, nivei candoris plumis alíſque lucet; nullâ colorum cæterorum tincturâ. Mayzii, ſive cujuſcunque frumenti, caulíſque paullò celſioris, cacumina diligit. Eam ſedem & quietem affectat occupátque; nec ingloriô tamen otiô, ſegníve deſidiâ. Cantillat enim, perpetuô vocis ac ſpiritûs fluxu. Quódque præcipuè ſtupeas; cùm corpuſculi menſurâ veſpam tabanúmve ſylveſtrem non excedat: carminis tamen volubilem ſubtilitatem, cum ſonitûs altitudine penetrantéque claritate, ſic conjungit; ut, *Gonambúcham te videre, ſed Luſciniam audire*, jures. (*i*) Cæterùm hic, &, quos antè memoravimus, alites; quamquam in *Vallibus* Peruvii celeberrimè degant: in Andibus tamen, ſeu (quod idem eſt)

Tra-

TRAMONTANA, rariùs viſuntur: niſi circa medium earum Alpium, quatenus ſylvis & arbuſtis obſidentur. Altiùs, & ad uſque ſupremos vertices, aut nunquam; aut, non niſi per gradus, & interjunctim, enituntur. Namque (quod complures obſervârunt) hi *Montes Andium*, quà *Peruanum* regnum à *Braſiliæ* finibus abſecant: non modò *Peruvii* (quin & *Americæ* totius) altitudines; ſed, ut plurimùm, etiam *avium* cunctarum *volatus*, vincunt. Priùs enim, quàm verticem contingant; deſpondere pennas animóſque perhibentur: & ſucciduis alis jacére. (k) Porrò, de quibus memoravimus aviculis; eæ non vivæ modò, ſed & mortuæ, miraculo ſtuporíſque ſunt: ac pictæ potiſſimùm. Namque Peruani, qui montani Regni valles inſedêre: campeſtribus Peruanis haud paullò promptiores ingeniô; quippe gens operis plumarii ſcientiſſima; pinnularum (colore diſparium) contextu, quidquid juſſeris, exprimunt, ſubtilitate perquam mirabili. rerúmque cunctarum imagines, hominum, brutorum, ſenſu vitáque carentium; tantùm non vivere ſpiraréque cogunt. Id autem præſtant tam pertinaci laboris incubitu, tam rigidâ cenſurâ ſuæ manûs; ut unicæ ſubinde plumulæ, ritè concinnandæ, verſandæque ſæpius & reverſandæ, nunc in dextrum, nunc in lævum, aliâs rectô, mox obliquo ſitu, ſolidum diem impendant; interdum & noctis portionem; quoad omnia congruant. Itaque veteres omnes Phrygiones, & acûs Babylonicæ gloriam, ingeniô ſuturæ recentis, extinguunt.

Eſt

Eſt in iiſdem, nec aliis (quod quidem comperierim) orbis univerſi montibus, animal quadrupes. *Guanáces*, & (quorundam linguâ) *Vicunnas*, appellant; genus caprarum & hircorum Americæ ſylveſtrium. Eſt enim verè quadam, ut plurimùm, Hirci ſpecie, qualem Orientalis Indiæ paſtores nôrunt; ſed planè cornibus exarmatum. Colore prætereà ruffô, pernicitatéque ſtupendâ: quam auget ipſe naturæ pavor; formidine fugaciſſimâ, quoſvis ad motus ignoti ſoni ſtrepitúſve, ſuſpicax & averſus. Pelli ventris, marſupium nativum geſtat adſutum; in quo recondit, & creberrimâ volutatione retractat herbas; quibus, non niſi ſaluberrimis, ex omni montium delectu, paſcitur. Harum lento de ſucco, gemma, ſeu Lapis, innaſcitur animalis alvo; nec aliis ſcilicet, quàm illius ipſius loculi latebris: quem BEZUAREM, etiam noſtrates *pharmacopœi*, dicunt; magnitudine, dimidium ovi gallinacei non raro ſuperante. Tantum ſanitatis adjumentum, qui de Luſitanis primi PERUVIUM ingreſſi ſunt, ignorârunt; IGNOTIQUE *boni nullâ cupidine*, diu prætericrunt intactum: ſilentibus, & conjuratô ſtudiô ſupprimentibus, compertam ſibi felicitatem indigenis. donec ad extremum prorupit *immodici puer oris*: &, intemperanti proditione, latentes quadrupedis opes (deſignatâ digitô ſede *Bezuáris*) vulgavit. Garrulitatis pretium ipſe ſibi mox fuit; DIS ſuis victima, pro Vicunna proditâ, concurſu popularium, immolatus: ut, quibus Immanitas iſta, frequens & ſolemnis ſit Pietas. Verùm hæc hactenus, de Peruvio.

VII. Li-

VII. Libet his tamen paucula quædam, etiam ſuper urbibus, annectere; præcipuéque, ſiqua magis eminent. Ac Montanarum quidem *Vrbium* (adeóque totius, ſi cultum ſpectes, Peruvii) principatum Cuscus obtinet: Regum olim Principúmq; Peruanorum ſedes. Hæc, ad *Ecbatanorum* in *Media* ritum, lateri montis impoſita, molli, pérque gradus aſſurgente, clivô ſubrigitur; decimo ſeptimo ſuper Æquatorem ad Auſtrum climate. Figurâ quadratâ ſtructura mœnium eſt: domibus inſulíſque plurimis, non ad plebejum; ſed nobilitatis duntaxat uſum (ignobiles enim in ſuburbana ſubmoventur) & ideo palatiis nō infrequentibus. Eorum quattuor, præcipuâ majeſtate conſpicua nitent; præter Arcem, ſupercilio montis impoſitam: quæ, pulcritudine conſtructionis, facilè quibuſvis Europæis certet; ſitu verò, foſsis, ac propugnaculis inexpugnabilibus, vim exteram aut irrideat, aut in longum ſuſpendat. Stat autem hęc, marmoris & ſaxorum quadratorum inſanis molibus educta: quas non boum, jumentorúmve quorumcunque plauſtra jugáque; ſed (quod fidem ſuperet) humanæ manus & vires advolvêre, longinquis è ſecturis. Ideóque *Gigantum* id *opus* multi credidêre. Platearum (quibus compluribus Cuscus urbs diſpeſcitur) & ædificiorum æqualitas, in Europæam digeſta ſeriem, rectitudine propemodum ad regulam exactâ porrigitur; ſed in *Crucis* plerumque formam compitis ſemet interſecantibus. In incolarum autem uſus & munditiem, nullus non vicus & angiportus profluente diluitur; quippe canalibus, utrim-

utrimq; lapide marmoréve ſeptîs, per omnes vias apertam aquam volventibus. Sic amœnitatis gelidiſſimæ rivuli, vicinis e collibus, pérque prona montis, cui Cuſcus inſiſtit; in urbis partes omnes decurrunt: incolarum refrigerio lautitiíſque diſpenſandi.

Recenſet autem CUSCANA civitas incolentium facilè quinquagena millia; cultu ſermonis, (qualis in tranſmarina Barbaria fingi poteſt) elegantiâ morum, & fortunis, reliquo PERUVIO præcellentium. His verò, ſi circumjectam ad decem circiter leucas multitudinem adjungas; *Cuſcanorum* capitum univerſim ducenta millia ſub numerum redigas. quibus omnibus Hiſpanas leges & jura præſcribunt, ab Rege delecti Prætores; & ad octoginta nobilitatis equeſtris Proceres. Præſtantium urbis hujus operum haud poſtremum eſt, VIA *gemina:* quarum *altera* ſaxîs & rupibus, in ſemitas exciſis; per æqua, per iniqua, montium valliúmque fertur. *Altera* verò, Quitanis abuſque mœnibus, ultimóque PERUVII limite, quo Boream adjacet; ad Cuſci muros porrecta: quingentorum longitudine milliarium, per campos ac planitiem nullo telluris aſſultu ſtratam, incedit. Saxorum, in hac factitiâ ſemitâ (nec minùs in illa priore) ſtupendæ ſunt moles; etiam ipſæ manibus adgeſtæ, nullo jumentorum auxiliari tractu. Semita porrò campeſtris, illâ montanâ jam multò cultior; in latitudinem pedum vicenûm expanditur. Lateribus utrimque murus, æterno nexu, prætexitur; compage firmiſſimâ. Quod adversùm ſtagnantes eluviones, & hoſtium

ex tranſverſo lateribus aſſultantium, impetus; gratum eſt, ac tutum, munimen. Illud etiam ad ornatum & amœnitatē valet: quòd dextrâ lævâque rivuli ſerpunt; marmoreis alveis, atque marginibus: quorum delicatum gelu contra Soles protegitur, adſitis ad ripas arbuſculis (quas illi *Mollos* appellant) continenti per longum ſerie: támque ſpargendis umbris, quàm voluptati, diſpoſitis.

VIII. ET *Cuſcum* quidem à fundamentis exſtruxit primus ex *Ingarum* proſapia PERUVII rex MANGOCAPPA: cujus opus poſteri, quíſque regnum ejus per ſucceſſionem exceperunt; alius aliô magnificentiùs ornârunt auxerúntque. (*l*) VIARUM autem, de quibus modò narratum eſt, & totius tam operoſi moliminis, auctorem quidam ferunt GUANACAXAM; eum, qui, ſanguinis *Ingarum* etiam ipſe, noſtrorum abavorum memoriâ deceſſit. Quod certè ſecus eſſe; melioris curæ ſcriptores, & operis antiquitas, adſtruunt: quin & ipſa ſtructuræ magnitudo; quæ nec unius ſæculi, nedum hominis eſſe potuit, vel imperii. Quapropter *inſtauratorem* potiùs, quàm *poſitorem* ejus operis, regem GUANACAXAM extitiſſe, neceſſum eſt, & conſequens, fateri: quem, innata poſteris *Ingarum* gloriæ cupiditas, & magnificentiæ ſtudium; primîs illius ſtirpis, aut altiùs, aut in paris famæ faſtigium, provexit. Verùm, quoniam in hanc *Ingarum* mentionem, non ſolùm noſter; ſed omnium, qui de PERUVIO tradiderunt, calami crebrò deflectunt: non erit extra conſilium; ſuper iis, & eorum origine, paucîs *digredi*: dein ad *Guanacaxam*, & liberos ejus, reverti.

Vetuſtiſſimos, non modò *Peruanorum*, & *Americæ*; ſed omnium planè populorum ac mortalium, ferunt credúntque, fuiſſe gentem eam, quam *Tambos* appellant. Ex his ortum *Mangocappam*, egregium, ac Dis charum virum, Romano *Numæ* ſimilem; originis INGARUM principia jeciſſe: procreatis filiis, quorum poſteri fortes & inclyti, cum religione potentiam juxtà noménque protulerint. Hos, INGAS eſſe dictos; hoc eſt, *Principes & capita gentium*: idque nuncupationis invaluiſſe tandem, in imperii, domúſque regnatricis, certum inſigne: non aliter, atque penès Romam *Cæſares*; penès Gallias *Capetos*; apud Polonos *Iagellones*; apud Imperium Germanicum *Auſtriacos*. Tradunt autem, INGARUM primam ſtirpem, in duas poſtea præſigniores familias (ſed unicam interim generis ſui radicem agnoſcentes) abiiſſe: quarum alterius dux & anteſignanus *Hanan*; alterius verò *Brincuſcus*. Iſtum imperii ſui ſedem *Cuſci*; ſed alterum, domum privatæ ſimiliorem, ubicunque commodiùs viſum fuerit, cepiſſe. Sic Regium, cum nomine, dominatum pedetentim evaluiſſe: quorum virûm ſeriem, ac fortia domi militiæque facinora, cùm canunt; etiam *Paullum* quendam, ac *Titos*, celebrant. Trecentis ampliùs annis ab hac domo magnificè regnatum eſt. Quotquot ex INCIS porrò fines ſuos, ac dominandi jus, extendere conati ſunt; ii, circumlatis ad vicinos ac remotos armis, ut quamque gentem bello laceſſebant; ſpecioſum originis & religionis prætextum, tanquam juſtiſſimam ſubi-

ſubigendi cauſſam, hanc adferebant: Quòd INGIS, eorúmque primordio, cæteri mortales omnes, & ortum ſuum, & Sacra deberent. *Æquum*, & naturæ dictamen, expoſcere: *non ſub aliis eos eſſe malle, quàm ſub iis, à quibus eſſent*; illiſque modò (nec aliis) *Humanarum* permittere *rerum arbitrium*, à quêis ipſi *Deos* accepiſſent. *(m)*

PLEBE barbarâ ſic, in omne virtutis & ſceleris obſequium, compulsâ; graſſari licenter INGAE cœperunt, ad humana quævis divináque convellenda repagula; dum animo ſuo morem gererent: & ſuæ quiſque cupiditati, cum *Iulia, Caracalli novercâ*, diceret; SI LUBET, LICET. AN, IMPERARE TE, NESCIS? *(n)* Itaque ſuperſtitiones ex ſuperſtitionibus nectere: cæremonias & ritus Tartareos in vulgus, pro cœleſtibus ſpargere; ſe Deos facere, Deorúmque nomina ſibi cum diadematis imponere; *Iovémque* (quamvis nec agnitum, neque nuncupatum) tamen factis exprimere; *Iunonem* eandem & ſororis & conjugis locô, complectentem. Primus, hanc *Atticam inceſtûs libertatem*, & *Perſicam concubitûs audaciam*, palàm involavit (*tanquam tunc demum verè Regiam & eminentem voluptatem*) TOPA, cognomentô IUPANGVIUS. Hic, MAMOELLAM cùm deperiret, eodem ſecum patre matréque genitam; eam in æternam cubiculi ſocietatem aſcivit, uxorio jure. Nec multò pòſt ex illa, GVAINACAPAM filiũ, &, alterius ſexûs, *Coyam Cuſſilimayam*, ſuſcepit. Id factum cùm in admiratione videret eſſe, ſermonéque, ſuorum popularium: ad fatuas *Claudii*

Caſaris ſycophantias confúgit; *Agrippina* (filiæ fratris) inceſtum ac nuptias, *Decretô publica* deinceps *licentia* pallıantis. Idem igitur, & TOPA IUPANGVIUS, eſſe poſthac *rerum Dominu* ratum & ſacroſanctum connubium, pronuntiavit. Vtque ſucceſſoribus INGIS, *ab ipſo numero, creſceret imitationis ardor :* filium ipſe (quem retuli) GVAINACAPAM, moriens, inter ultimas voluntates adegit ; ad ſimıle ſine mora conjugium, in ſorore *Coyâ Cuſillmayâ*, capiendum. In quo quidem non hunc ſolùm, ſed nepotes quoque ſuos, habuit per pronum obſequentes ; cæteros autem, regiæ ſive ſtirpis, ſive familiarıtatis, etiam ultra conceſſum promptos & præcipites. Dictu fœdum, ſed verum tamen, ac magnis auctoribus firmatum ! Procerum enim gentis plerique, quod priùs, ad naturæ lucem, *opus tenebrarum*, in corporibus germanarum horruerant ; nunc in omnibus promiſcuè faciunt. Neque contenti, Virgines prætrectare ſtupris ; propolluere ſponſalia ; nuptam alienam (à poculis præſertim, & epulis) ſuâ non diſtinguere : *Filiarum* quoque complexus (nec id infrequenter) invadunt ; &, ex ſe progenitarum noctibus (tanquam jure quo quid optimò confarreatis connubiis) indormiunt. *Tantum habet virium, ad corruptelam, in ſumma Potentia, pravitas exempli !* Cùm præſertim, ſuper impudentiæ vivam ıllecebram ; etiam approbantis ac jubentis auctoritas accedit ; ut, QVOD *privatum antea* NEFAS *erat, id deinceps* FAS *publicum dicatur ;* QUODQVE *Libido fuerat, Lex fiat.*

SED ex his tamen, improbè factis decretíſque,

tiſque, ſcire licet & agnoſcere; Quibus gradibus *Peruani*, tot ſæculorum, *reges*; Numinis detrahente vindictâ, devoluti ſint à ſolio tyrannici dominatûs, *ad pedes & ſcabellum Hiſpanæ ſervitutis*. Diſcere, pretium eſt operæ; quibus ſpumis & fæcibus, impleta tandem menſura ſit horum *Amorrhæorum*: tam enormiter, per tot ætates, & impunè, peccantium. *(o)* Sic enim (nec aliter) *à thalamorum ſacrilegiis*, deſcendendum erat *ad ergaſtulorum fœditatem*, ac majeſtatis ad excidium. Verùm hic *ultor* DEI *gladius & oculus*, in TOPAE IUPANGVII poſteritate clariùs illuxit; ad quam proinde feſtinare, ſerie nos rerum deducente, placet.

VIII. EXEMPTO rebus mortalib. IUPANGVIO; filius ejus (*Mamoëllâ*, matre ſimul & amitâ, progenitus) imperium per manus traditum excepit: &, *nullo potentiæ rivali, diuturnâ ſecuritate* tenuit. GVAINACADAM hunc nonnulli; plerique, paullùm variante nomine, GVANACAXAM appellant. Hic, majorum noſtrorum, aut paulillò ſuprà, notus ævô; profanorum annalium Reges omnes famâ rerum geſtarum; bellorum paciſque gloriâ; copiîs, ac luxûs magnificentiâ, longiſſimîs intervallis anteceſſit. Aurô fertur ædificâſſe. Palatia quidem herculè, regiámque (non ſolâ lateritiarum ignorantiâ defectúque, ſed planè majeſtatis oſtentatione) tegulis aureo ſolidis inſtravit. Regiæ ſubjecit hortum, aureô ſolô; ſtirpibúſque, quas in quincuncem digeſſit, aureis: radiantibus tam pretioſâ fortunâ truncîs, ramîs, fructibus; ſuóque fulgore, Solis illapſum provocantibus. Et

hoc quidem eâ proceritate, ponderéq; ſtantium arborum, pendentiúmq; fœtuum; quô vivæ, nemus occupâſſent nativum, aut manu ſatum. Idem ipſe; quidquid in omni PERUVIO bipedum, quadrupedum, volantium, reptantiúmque vixit: quidquid herbarum, florum, germinum; id univerſum aurô, gemmíſque conquiſitiſſimis, ad veri ſimulacrum expreſſit: ac per regiæ penetralia diſpoſuit. *(p) Nec ditior fuit, quàm facundior.* Nam, intrà ſolam *Cuſcum*, ſupra *trecentos utriuſque ſexûs numeravit*, ex ſe genitos, diverſiſſimis ex uteris (ſi nepotum his etiam neptiúmque turbam accenſeas) In his, duos ex ſororio contubernio ſuſceptos; *Guáſcarem & Atabálibam, Coyâ Cuſilimayâ matre*: prætereáque MANGUM *Ingam, ex alia femina*: qui tres poſtea per ſeriem regnârunt. *(q)* Demortui cadaver, balſamo differtum, Quitum urbem avectum, aureóq; non ſolùm loculo, ſed etiã conditorio (ſi verum publicus rumor canit) illatum eſt. *In inferias* autem, GUANACAXAE confeſtim ab exceſſu, de domeſticis *mille* ceciderunt, volones omnes; & ferrum, quo corruerunt, gratiam gloriámque ſuam arbitrati: cùm ſperarent, jactaréntque; *Se Regi ſitô, ſicut apud mortales, ſic & apud immortales, proximos à ſolio, miniſteriiſque poculorum fore.*

IX. SUCCESSIONEM principatûs, & hæreditatem, adierunt primùm ex ſorore filii; MANGO tantiſper dilatô: quoad ei fratrum calamitas fortunam qualemqualem cuderet. Ac prior quidem, ut natu, ſic jure, Regnum inſedit GUASCAR; quem apud quoſdam etiam reperio TITUM CUSSYUM GUALPAM nominatum.

tum. Hic *Cuſcum*, more majorum, ſedem regiam fecit: & *Peruvium* maximè *montanum* cum *Andibus*; hoc eſt, feliciorem regni glebam, tenuit. germanum *Atabálibam* (ut inferioris juris) CAXIMALCAE mœnibus, & *Peruvio Campeſtri* tenus, continere ſe, juſſit. SED, *qua Regnorum inſociabilitas, fratres quondam Roma conditores agitavit*; agitabítq; ſemper, *quoties, qui minor eſt dominatu, major animis & armis erit*: eadē *æmulatio trans Pelagus* etiam, ad fratres Peruanos, *volavit*; & imperium omne tumultibus internecínis evertit. Ecce namque; GVASCARE ſummam rerum, ingeniô miti, ſinéq; belli motibus, obtinente; repentè *Mars, unde minimè debuit, exarſit*. ATABALIBA quippe, faſtigii multùm inferioris, & legum imperii (ceu, quæ grandiorem ortu fratrē antetuliſſent) ęger, in GVASCAREM movit, utcunque talium incogitantem; & idcirco, SIMPLICITATE ſuſpicionúm, oppreſſioni fratris patentiorē. Hunc, collatis ad *Cuſcum* ſignis, & urbe regiâ captâ; per *Quiſquizium*, militiæ ſuæ magiſtrum, in ſuum arbitrium, ac vincula, redegit: *ſuſtinuítq;* (nefas!) *ſpectator eſſe*, cùm & Regem & germanum catenatum, ſuo juſſu, carnifex (nullâ, vel indictâ cauſsâ) jugularet. Hoc perfectò tyrannus ſcelere; quidquid GVASCARIS *fuerat*, ſtatim occupat: regiam & opes, CAXIMALCA transfert in *Cuſcanam* arcem. Ac, ne minùs turpis & profanus eſſet, quàm atrox & cruentus fuerat; néve degeneraret à patris avíque cubilibus: ſororem uterinam etiam ipſe (quod GVASCAR flagitium horruerat) in lecti conſortium aſſumit. Ei PAGHAE nomen fuit; à

qua liberos ATABALIBA complures ſuſcepit & c., tanquam è principe matrimonio creatos, regiè præ cæteris habuit. E *minoris* autem *dignationis uxoribus* (quas gentis more plurimas habuit) nec non è pellicibus eductos; in incertas ſucceſſionis ſpes (ſi quâ lævâ ſorte quandoq; priores interciderent) ſepoſuit. *(r)*

SED inter hæc ATABALIBA converſus, non tantùm ad confirmandum; verùm etiam per novas injurias proferendum, imperium: quidquid in propinquo remotóque populorum erat, extra fines INGARUM, id armis adgreditur. Pulsíſque circumquaque regulis ac dynaſtis; trigemini PERUVII ſpatia novis principatibus, in immenſum laxat. Eô factô plurimorum, quos violavit, odium; quos autem terruit, invidiam, in ſe, curáſque concitavit. Vnde, cùm eádem tempeſtate, CAROLI V. *Caſaris* auſpiciis, *Franciſcus* PIZZARRUS *Marchio*, Peruvii maritimi regionem *Tumbeſiam*, armis ſub jus Hiſpanicum ſubjungeret; jámque CAXIMALCAM etiam, priſcam *Atabáliba regiam*, ejectis præſidiis Peruanis, in poteſtatem redegiſſet: omnium circumcirca locorum priſtini toparchæ, conſpiratione convolârunt, ad peregrina caſtra. Tum *Pizarro*, ſuum exilium, & Atabalibæ ſævitiam, oſtentantes; promisêre non ſolùm auxiliares lacertos, & expulſorum copias: ſed inſuper, in munitiſſima quæque caſtellorum & urbium, vias atque ductum. Quibus citò ſubnervata Peruani regis potentia, qnanquam immenſis ſtipata copiis; ad *Caximalcam* primò cóncidit: *Atabalibâ* capto, cæteríſque cæſis ac profligatis.

tis. Tametſi, nequaquam in imbellem pavidúmque, nec in ſegniter præparatum, Hiſpanæ vires impegêre: plurimô fortiſſimorum utrimque cruore victoriis præludente. Collatîs aliquoties caſtris; poſt ſæpius ancipitem belli caſum, Rex barbarus (animô, quàm annîs, major) catenîs tandem injectis coërcetur; *anno* Salutis Chriſtianæ M. D. XXXIII. Potuit hic tamen & compedes tandem, & multò magìs victoris quæſtorem capitalem, exire: promiſsô, depactóque, quidquid uſquam in regiis omnibus theſauris eſſet auri, lytro conficiendo. Quod quanquam affatim eſſet, & à Peruanis continuò comportatum, pro ſalvo regis ſui capite: plus tamen Atabaliba promittere potuit, quàm illi præſtare. Congeſtìs enim in acervum, terdecies centenis & vicenis ſenis millibus auri probatiſſimi nummûm (in his etiam vaſe quodam, ducentas auri libras pendente) præter hæc argenti facti ducentîs quinquaginta duabus ſolidis librîs: neque camera tamen illa, quam Rex aſſignârat, ad lineas rubricâ ductas; neque noſtrorum, eſt expleta, cupiditas. Et tamen hanc tantam prædam (laboris ac periculorum pretium) *non plures* inter ſe partitâ ſunt *ducentis militibus*, pæne gregariis; & iîs ipſis ſcilicet, qui curru detractum *Atabalibam* comprehenderunt.

Vixiſſet nihilominus; ſi non in veteri faſtigio, ſaltem in libera cuſtodia, clementibúſve vinculis, *Atabaliba*; niſi, novas interim res moliente *Quiſquizio*, cæteríſque, regis ſui vicem ulturîs; bis *Pizarro* bellandum vincendúmque, pro victoriâ jam poſſeſsâ, fuiſſet.

Supervénit hujc capti regis invidiæ, proditionis neſcio cujus, tanquam per eum conflandæ pérque populares, atrox inſimulatio. Primum hujus detectorem ſe ferebat *Philippellus* quidam; ex *idololatrâ* Peruano Chriſtianus *neophytus*. Hic, cùm regiam in *pellicem*, cæteris venuſtiorem, exarſiſſet; & illa regem corrivalem, etiam in compedibus metuendum, cunctationi mutui complexûs prætenderet: pactus amaſiæ nuptias (ut primùm æmulus interiſſet) ſine mora nomen *Atabalibæ*, de conſpiratione clandeſtinâ, defert. Id, ſive verum, ſive *Philippelli* commentum; credulas quorundam aures ſtatim eſt nactum. In jus, ex præjudicio, raptus Rex; & teſtibus, ſeu legitimis, ſeu corruptelâ ſubornatis, oppreſſus (QUIS *enim* INNOCENTIAM *locupletem & captivam, apud infenſos defenderet?*) FECISSE VIDERI, proclamatur: & ſupplicio ſtatim, quod mediô *Caximalcæ* foro ſumeretur, in catenis producitur. Sunt, qui tradant; *Pizarrianos*, ni ſacris Chriſtianis initiaretur, incendium viventi ſpirantíque minitatos. Illum, doloris perferendi deſperatione deterritum; baptiſmum, quàm Ignem, maluiſſe. Neque tamen abluto parſum ex toto: ſed reclamantis, & *ſuperûm hominúmque fidem* appellantis, collum laqueô, per ſervos Numidas, ac publicâ crudelitate, fractum. (*s*) Hic *Atabalibæ* funis ac finis fuit.

XI. SED nondum etiã tragœdiarum exitus. Reperti namque, qui, cùm viventem eripere nequiſſent; ſublatum, vltionis reverentiâ proſequerenter, & annoſi belli pietate. Præter *Quiſquizium* Ducem, pro rege ſuo ſuperſtite ſtrangulatóque præliantem; & cum

omni-

omnibus tandem copiis deletum; INGA MANGUS, *Atabaliba* (ſed ex diverſa matre) *frater*; quanquam à *Pizarro* victore diademate redimitus, & in atavitum ſolium ultrò productus: occaſione raptâ, beneficii gratiam vertit in ingratias & rebellionem. Sed paullò pòſt victus, vinctúſque; cùm nihilominus in libertatem, *Ioannis Pizarri* parum cautâ miſericordiâ, rurſus aſſertus eſſet; rurſus, ac tertiùm, arma reſumpſit. Adverſùm *Pizarros* caſtra pluſquam centum millium Peruanæ juventutis habuit: *Cuſcúmq*, non contentus expugnâſſe; profligatis, aut captis, præſidiis Hiſpanis, etiã magnam partem in cineres redegit. Denique compluribus inclytus ſecundis præliis; jámque toto *Peruvio Montanó*, pro monarcha victoréque volitans: repentè tandem, & unico conflictu, fuſus ab *Alvarádo*, partium Ibericarum Legato; caſtris eſt & omni ſpe meliorũ exutus. Tamen, quâ fuit animi MANGUS excelſitate; quantumvis acciſis victoriæ pennis, in *Andium* editiora profúgit: & in *Vilcabamba* caſtellum Alpeſtre, propugnaculis valliſque munitiſſimum, cum quattuor millibus ſuorum ſe recepit; ſpeculatori, per multos annos, quàm Regi ſimilior, ex illa tam edita calamitatis ſuæ *Pharo*. Duravit ibidem, poſt exceſſum *Mangi*, quæ perfugerat eodem, INGARUM maſcula poſteritas: incolumis, intacta; Parvo, ſed tamen Suo, ſe continens: & ob id ipſum felix; ſi tam extra novorum ſtudium, quàm extra gubernacula regnúmque, didiciſſet agere. Sed AMARUS quidam ex his, adverſùm Hiſpanas res occulta con-

filia reſumpſit. quorum perfidiam, in apertum protractam, capite tandem, & publico ſecuris ictu, *Cuſci* luit; cæteris ex INGARUM familiâ captis, & conſtrictis. (*t*)

Ex iis ipſis tamen *nonnemo*, cùm ad ſæculum pæne noſtrum vitam & cuſtodiam produxiſſet, *Guanacaxa nepos*; incertum quo patre, de tribus fratribus, ſuprà celebratis? *noſtri Regis* beneficio, libertati redditus eſt, & arbitrio fortunæ ſuæ. Tranſgreſſus poſthæc in *Civitatem*, quam dicunt REGUM; & *Vallis Tucaya*, latíque fundi poſſeſſionem, ex filiæ dote, nactus: neque Regis, neque Numinis liberalitati, ſemet ingratum exhibuit. Nam ab *Alphonſo Barcéna*, *Societatis* IESU Sacerdote religioſiſſimo: per decubitûs otium & occaſionem, Chriſtianæ religionis arcana doctus, *idola* projecit: *Deum cœli*, cum ſacroſanctis ejus legibus, amplexus. Mox, ſalutis lavacrô tinctus; CAROLI nomen, & *ſuave Chriſti jugum*, ex animo ſuſcepit. Piè denique, ſicut egerat, mortalitatem explevit; immortalibus (ut ſpes eſt) Regibus inſertus; ac majoribus ſuîs hôc ipſo felicior, quòd in ſucceſſione calamitatum ſapientior: dum ſolus omnium Ingarum, *fortunam peſſimam didicit cum optima mente conjungere.* (*u*) Iam ex eo porrò tempore, *Philippis*, & Europæis Hiſpaniis, *Peruvianum* omne *ſolium*, ſine competitore, ſinéque turbulentis motibus, conſtanter hæſit: &, *precor*, *deinceps hareat!*

AR-

ARGONAUTICÔN AMERICANORUM,

SIVE

PERICULORUM PETRI DE VICTORIA

LIBER XV.

CAPITVM BREVIARIVM.

I. *Occurritur iis, qui cavillari poſſent Hiſtoriam Americanam; libris proximè præcedentibus, ex diverticulo, inſertam. Defenduntur Hiſpanorum in Peruanos juſtè mota arma.*

II. *Mundi ſatur Victoria, ſecum ipſe præſentium rerum inſtabilitatem expendere orditur: ex occaſione conſiderati Pelagi, & fluctuum ejus; quorum è fluxa fide, per comparationem æſtimat, fugacitatem Divitiarum, Honorum, ac Voluptatum.* Comment. pag. 107.

III. *Diſputatione ſecum ſolitariâ inſtitutâ, tædium ſibi ſuſcitat Fallacium Divitiarum: adductis in medium Americanis (quod & in ſequentibus facit) diverſorum exitiis; occaſione captatarum opum incurſis. Balboæ ſocii interitus relibatur. Mors Cambii, Bombadillæ: & Alſingerorum duorum, è Vindelicis oriundorum: quorum tragico fini aliquantùm immoratur.*

IV. *Honorum quoque vanitatem examinat, & exſecratur; tum rationibus & argumentis, tum Inventorum ac Prætorum Americæ, exiguis aut calamitoſis lucris. In quibus, præter Columborum, Magellanis, Puelli, Moralis, Pizarrorum, ac cæterorum*

ſtrorum exempla funeſta; Niquëſa triſtis interi-tus eminet.

V. *Voluptates denique corporum (& cumprimis, illicitas) nauſeat Petrus; tam ex ipſámet earum naturá, quàm è fœda multorum morte, fœdam vitam inſecutá. Mors Almagri, Nunnii Valbóæ, Franciſci Pizarri, militum Columbi, exercitúſque ad Cuſcum urbem clades, palmam ferunt, in hac tragœdia. Invectiva in magiſtratûs libidine fœdatos, & exemplo ſuo turbam trahentes. Difficilem eſſe, in tanta Mundi libertate, Caſtitatis illibatæ diuturnam cuſtodiam: Mortis autem, & Noviſſimorum hominis, memoriam ſalutarem. Tria Religionis Vota, totidem Mundi Vitiis vulgaribus, efficaciſſimè opponi.*

VI. *In regreſſu ab littore, in urbem Limanam, Petrus ſecum Maſſajam, ſuprà memoratam Americæ Septentrionalis rupem, tacitus retractat, & ruminat: ceu Symbolum quoddam, & imaginem frequentis ac ſecuriſſimæ meditationis Inferorum.*

VII. *Omnibus probè ponderatis, Victoria poſt dies aliquot, Limæ, Religioſorum S. I. Ordinem ambit: impetrat: ingreditur, ac perennat; magno animi ſui lucro.* Comment. pag. 107. 108. 109.

QVAE ſuper *America*, potiſſimúmque PERUVII memorabilibus, in proximè præcedentibus hujus curæ libris, ſtylum noſtrum intrârunt; ea, talium narrationum inſolentioribus, videri poterunt nonnihil extra rhombum, aut indulgentiore digreſſu, memorata. Nec enim regna duntaxat, & provincias cum inſulis; ſed reges etiam, & impe-

imperiorum fortunas, deſcriptionibus influxiſſe: cùm nos interim Iter *Argonauticum*, & viarum propemodum *ephemeridas*; non Geographiam & annales, profiteremur. His talibus excuſabit me primùm Hiſtoricorum utriuſque linguæ mos vetuſtus: quibus tum frequenter, tum longinquiùs digredi, ſemper & conſuetudini datum eſt, & laudi. Teſtis inter Grajos, hiſtoriæ pater *Herodotus*: teſtis, ſucceſſor felix, *Pauſanias*, Peloponneſiacorum bellorum conditor; cęterorúmque ſcriptorum *Helladis* ingens ordo. Teſtis, inter Romanos enarratores (ut de *Criſpo* ſileam) ipſe C. Cæſar; in Galliarum, Britanniæ, Germaniæ res, loca, mores, diffuſiſſimus: nullo pręliorum, quæ ſola conſcribenda ſuſcepit, id exigente connexu. Nec aliud *Q. Ruffus* in Alexandro; *Corn. Tacitus* in Actis Principum Romanorum, fecerunt. Horum ille, quantùm in Indias excurrit? iſte quantùm in Palæſtinam, & Phœnicem? & *in Agricola breviſſimo*, quàm multis verſibus effluit, in Britanniæ noviſſimam picturam? Cùm idem igitur tentavi; non animi lubidinem in conſilio, ſed exemplum, habui: ſperavíque, ſiquid etiam hoc eſſet nęvi, venerandæ tamen antiquitatis palliô circumpoſitum, ſi non ſplendere, velari certè, poſſe. Loquetur præterea, pro calami mei libertate, certiſſima quædam ratio: quâ gentis meę defenſionem, adversùm quoſdam iniquiores *Hiſpanico nomini*, ſuſcepi; videlicet *Hiſpanus ipſe*. Cavillantur enim; *violentiæ armis, nullo belli jure, ſubactum & hujus & alterius Americæ, vaſtum imperium: direptas populorum fortunas: exactos necatóſque reges,*

aut nullis, aut quaſitiſſimis ex iniquo cauſſis. quæ tamen, quo pacto geſta ſint, cum fide retulimus; apparuítque, ſinceris rerum æſtimatoribus; *Vrgente deſuper Numinis vindictâ, debuiſſe tolli de medio (tam immanium reos) à Nemeſis fulmine, ſuíſque fatis; quibus homines pepercissent: & Hiſpanos in eorum excidium non tam veniſſe, quàm incidiſſe*. Sed ſcilicet, is *malevolorum mos priſcus eſt*; *inſectari* Satyris & contumeliis *eũ, cui par eſſe nequeas ſucceſſibus*: OMNISque ſemper POTENTIA *nimia, quantùm amulis clauſa, tantùm maledicis eſſe conſuevit aperta*, clamantibus; VIOLENTER *occupatum, quod valenter ſentiunt cuſtoditum*. Habent hi tales ergo (ſi *rerum Americanarum incorruptos annales* introſpicere dignentur) quod *eum Cane, vel Invidia, rodant*; Intemeratam nempe rerum geſtarum veritatem. Abſolvet me denique longinquioris evagationis crimine, *meum jus*; quod adhuc equidem *nullô Pratore, vel interdictô perdidi*. Quis enim vetet; in opere, quo ſcribo, quidquid expertus ſum, referre me, quæ per *ſolidum ferè quadriennium*, partim in AMERICIS ipſe vidi: partim, idoneis comperta teſtibus, excepi? Nam arbitror: EORUM, *qua ſuo quiſque labore comparavit; unumquemque, ſicut apud ſe dominum, ità praconem & venditorem apud alios, eſſe poſſe*. Sed de confidentiæ meæ ratione, quantum ſufficit, dictum puto.

II. CAETERÙM ego, ſive præſentis fortunæ flatu, ſive rerum humanarum ludibriô fatigatus; cùm præſertim *Peruvii* colonorum quorundam diſſoluti mores, & ſecturis auri ſveta licentia, conſcientiam non parùm diſ-

ſentientem

ſentientem offendiſſent: mecum ipſe ſæpius proclamabam; Et *quis*, DIVINORUM *memor, in longum inhumana flagitia probabit?* Reputare quoque jam dudum apud animum meum inſtitueram, *Falſa voluptatis mendacia, brevis avi celerem fugam; pallidúmque funeſto lurore, tam auri, quàm honorum, fulgorem: expéndere rigidè mecum ſalutis ſexcenta diſcrimina; creſcentéſque, cum vitiorum irritamentis, vires & annos*: denique, *de* VITAE *correctioris Portu* tacitè rationes inire.

QUODAM præcipuè die; cùm, *Limam urbem* regreſſus, *Zurii* maris littoribus, per otium (ſicut fit) imminerem: & pelagi, primùm tranquilli, poſt paullulum verò fluctibus turbidi, fidem intuerer; in ſerias apud memetipſum cogitationes, interturbante nullo, non ſine vocibus exarſi: *pérque ſolitudinis occaſionem, tantò liberiùs, quantò minùs arbitrum metuebam*, arradiante cœleſti jubare colliquefactus, ſic in lacrymas & clamorem effundi ſum orſus; *Papa* (dicebam) *ad quas imagines, & ad qua ſimulacra, ſtamus?* HAEC, *quam intueor, Maris eſt; hac eádem & Mundi, ſtabilitas. Fluxa ſunt útraque; fluctibúſque, de ſe natis, inquieta. Cùm ſerenum placidúmque putaveris; cùm, præſentium fiduciâ, futurorum timores explaſeris: propter hoc ipſum in diverſa ſubitò mutantur; faciem exuunt; & vnitum cum ruga ſumunt.* NEC *unquam* implacabiliùs Oceanus, & Mundus, iraſcuntur; quàm ab recentiſſimis blanditiis. *Infelix* PETRE! *ſolô patriô, matre facultatibus, Europâ, quódque damni caput eſt*, TEMPORE *(quod diſciplinis ac moribus expoliendis debebatur) amiſſis; tu Potoſie-*

rum

rum aurum & argentum; in latentes Auriferæ Caſtellæ gazas conſectaris: foſſis illis & inferorũ penetralibus, perdius pernóxque, tanquam cuniculus, ingemiſcens & intumulatus? Et quâ, quæſo, ſpe? quô, tot periculorum præmiô vel exitu? Niſi fallor; UT *Hiſpalim dives recurras, unde ditiſſimus quondam, & ſaltem innocentiæ locuples egreſſus eras. Vt conſpicuus civibus tuis, &, propter peregrinitatis audaciam, digitô monſtrabilis: Vt in otio poſthac &* deliciis; *genii tui cultor & ſervus, agas. Etenim in ſtudiis propoſitóque mortalium (quantum ego capio)* tria *plerumque* ſunt hæc; *aut ex his unum aliquod, ad quod gradum affectent:* OPES, GLORIA, VOLUPTATES. *Horum ſingula, quæſo, noſtræ ſalutis & felicitatis ad trutinam vocemus: videamúſque, quantum in iis ſpei reíve ſit; ut* FORTUNATI *conſtanter, & ubique, ſimus.*

III. DE DIVITIIS autem primùm in deliberationem veniamus. Dic mihi, rogo te; quid ſi congeſtas auri maſſas, ſi ſectas in longum argenti laminas & ramalia, navibus intuleris? hoc eſt, ligno malefido, fragili, maris & vitæ bibulo; digitorum haud ampliùs trium intercapedine, ſalutem inter & interitum? Quot mortales, Superi boni! quot Heroës, naufragio ſua vota, ſuas Fortunas (etiam ante Trojanum Æneam, & poſt Ajacem, Locrorum regem) afflixerunt? Quantô ditior eſt Oceanus omnibus regnorum fiſcis, arcis, & ærariis? nec tamen, niſi demersô, fluctibúſque raptô, pecunioſus. Et adhuc tamen ſatur non eſt; ſed quotidie graves opibus onerarias vorat. Quibus adſtruendis, ad fidem ſufficere debent Oculi noſtri. Quid enim

enim opus eſt; ad Iaſonem, & cæteros Aurei velleris corrivales, memoriâ retrogredi? Priſca nimis illa ſunt; &, quis ſcit, an uſquequaque vera? Recentium potiùs, & ſæculi pæne noſtratis, ARGONAUTARUM *exitus* inſpiciamus. BALBOAM, & poſt hunc alios, è comitatu noſtro; fluminibus & æſtuariis interceptos, ipſi vidimus. Et hi tamen, quid aliud in America, quàm opes, quærebant? Petrus CAMBIUS, Gallus, negotiator famoſus & locuples, navibus FLORIDAM nuper intravit: incredibilem auri vim, ſponſam Floridanam, & ſocerum Regulùm, invénit. Hic, dum in celoce, quâ gazam revehebat, cervicem inclinat, prunis contra frigus inſufflandis intentus: à barbaris duobus nautis, aſciæ feritur ictu; diviſò per immane vulnus occipite. Quid ex longa mercatura retulit miſer? niſi, *quòd ferrum accepit; & aurum latronibus reliquit.* (*a*) Aliquantò vetuſtioris tragœdiæ, ſed adhuc tamen recentis luctûs, exempla; Franciſcus BOMBADILLA, Calatravææ religionis Eques: & Rolandus XIMENIUS, nobilis Hiſpanus; ubi nunc, quæſo, jacent? in quibus navalibus claſſem habent ſuam? Ex Hiſpaniola (quam per fas & nefas ſollerter eraſerunt) in Hiſpaniam Europæam, cum quattuor & viginti navibus, ſolverunt; quadringentis impoſitis propugnatoribus. In his, apparatûs tanti, maritimis curribus (nam quid aliud omnes illæ fuerunt actuariæ, volantes, tanquam in Circenſibus, ad metam, quæ fregit illos?) Caſtellani ponderis pluſquam centena millia nummûm aureorum vectabantur, Regium tributum: &, ſuper

ſuper hæc, plurimorum privata latrocinia. Sepoſitam porrò ciſtam gravabat præſignis magnitudinis maſſa, quam AURI GRANUM appellant; Iſabellæ reginæ theſauris inferendum. & huic, tam pretioſæ glebæ, parem, non ulla priorum ætatum aut vidit, aut legit: quippe ternis ampliùs aureorum millibus, & trecentis, appenſæ. Quo, quęſo, denique, tam opulentæ claſſis appulſu? quo *planſu*? Nempe, qualem ad ſcopulos impacta convulſáque tabulata reddunt: onerariarum omni numerô; nec non, aurô, mercibus, nautîs, Ducibus, & claſſiariîs, impetu tempeſtatum, ſolutis ac demerſîs. Et hoc quidem, unicus temporis, & unius naufragii, momento. TAM *brevis ſepultura, tam longæ magnæq́; congeriei fuit*! Et ne GRANO quidem illi, tam feliciter inventô, parſum eſt. *nam* & ipſum infelici ruinâ *ſomentóque, ſparſum eſt in fundum; ex quo nihil renaſcitur.* (*b*) Sed ne fortè putes; ſolum Oceanum & flumina DIVITIIS nimiis inimica: ſunt, mi PETRE, ſunt opum, etiam in littoribus, & mediâ continenti, naufragia. Nónne meminiſti: vos à Barbaris nuper, non in flumine ſanè, ſed in ripa terráque; toto, quod portabatis, Aurô Bæticô, cum veſtibus, exutos? Etiam annales & auctores habes, qui cum fide memorent: in America Boreali noſtrorum hominum non paucis, avaritiæ nimiæ manifeſtis, à barbaris *injecta* vincula: ſupérque pavimentum extenſis ſupinis corporibus, aurum, igne liquatum, in os infuſum, quod tigillîs violenter diduxerant: renovatô M. Craſſi, poſt tot ſæcula, ſuppliciô, Parthicáque crudelitate. Corpora

pora porrò ſic enecta, fruſtillatímque diſſecta, cùm immanes illi vorarent; & ventres ſuos Hiſpanorum ſepulcra facerent: hoc dicteriô, tanquā epitaphiis, eos inſectabantur; AURUM *alii de gente veſtra* SITIUNT : *at vos, etiam* BIBISTIS! *(c)* Quid autem & ALFINGEROS retractem, *Auguſtanos è Vindelicis*, ſive fratres, ſive fratrueles; jam pridem famâ per omnem Darienam & Peruvium detritos? AMBROSIUS alter, & poſt hunc GEORGIUS; pro *Welſeris*, indultu Caroli V. Cæſaris, Valentiolam præturâ, ſimul (ſi verus rumor eſt) exactionibus violentis, premebant. EST *enim perdifficile; locupletem ad provinciam, non ſimul afferre cupidam mentem:* &, IN *licentiâ tranſmarinâ, rarum & operoſum; non tranſilire præſcriptos à lege fines.* PAUCIS *contigit; in magiſtratu lucroſo, ponere modum imperio: paucioribus; ponere ſibimetipſis. Adeò videlicet habendi ſtudiis abripimur. Hinc turbatur bene compoſita ſubjectorum quies: ac Patientia rudium, ſine fine preſſa, ſimplicitate poſitâ, tandem etiam ferrum rumpit; & ex hoc, armatur pro libertate.*(d) Quid igitur? quódnam ſeverioris quæſturæ pretium abſtulerunt? Compendioſum utique; Celerem mortem & interitum. Eorum enim alterum Canibales anthropophagi, repentino ſuperventu, cum ſuis oppreſſerunt; excurſionibus intentum. Alterum (ut præturæ, ſic fatorum hæredem) in lectulo ſuo trucidatum, intempeſtâ nocte, de thalami feneſtris in publicum; ab hoc, in propinquum nemus abjecerunt, belluarum pabulo. Sic illi miſeri, dum ubique ſibi fingunt AUGUSTAM, *humanitatis alumnam, & fontem*; in ſua Valentiola

tiola Scythiam, & antrum Cyclopum, invenerunt. Sed videlicet illud eſt, quod divinus Paulus clamat; RADICEM *malorum omnium eſſe, Cupiditatem: Avaros inſerere ſe doloribus multis. Qui fieri Divites velint; in deſideria pernicioſa labi; quæ mergant homines in interitum.* Hoc quidem certè, vides, illis eveniſſe; quorum lugubres avaritiæ tumulos & cippos nunc inſpeximus. Quod autem Cambio; quod Craſſo, Craſsíque redivivis manibus; quod Bombadillæ, támque multis auriferis triremibus, accidit, ut interirent; hoc idem & VICTORIANAE triremi poteſt. Et tamen hæc ipſa nondum in ſalo ſtat: ſed adhuc (incertum, quibus in montibus ſylva?) ventorum ludibrium, nutat.

Sed finge tamen, animóque perſuade; Lydorum regis fortunam, Cyri prædam, & Americani Gvanacaxæ divitias omnes, eſſe Tuas. Puta; jam nunc, à portu *Limæ* detrudi naves, opulentiâ graves, in Europam: & ex Hiſpano portu centum jugis Hiſpalim deportari. Propone tibi paternæ domûs penetralia, tranſmarinâ felicitate conſtipata; ſecuriſſimæque poſſeſsionis imperturbatum incubitum. Quoad iſta, mi VICTORIA, duratura credis? Quot tu luſtris (ne dicam, ætatibus) jactaturus es contribulibus tuis, aditâ luſtratáque peregrina regna? Nam hoc (quoniam de quæſtu DIVITIARUM abundè quæſtionem exercuimus) *Alterum* eſſe diximus humanæ fatigationis campum, & ſudoris irritamentum: HONORES videlicet, ac magni nominis Ambitum.

IV. QUID igitur & in GLORIA ſit ſolidi pulveris;

pulveris; excuſſum eamus. Certè quidem eorum, qui comparari ſolent in Orbe novo, titulorum, duo ſunt principes: quos affectare potes. Nam aut INVENTAE retectæque regionis gloriam quæres: aut prudenter fortitérque GUBERNATAE. Quantum pertinet ad primam illam honoris palmam; OMNIA, mi Petre, IAM REPERTA, reſeratáque ſunt. niſi fortè fiduciam & animos adjicis ad TERRAM, quam dicunt AUSTRALEM INCOGNITAM, evolvendam. Eam, an perrumpere tu primus velis ac poſſis? interroga diligenter audaciam; interroga robur & facultatem tuam. Nam, ſi quidem illa terrarum vaſtitas à quovis obvio poſſet aperiri; non mehercule tamdiu diceretur INCOGNITA. Quod autem ſpectat ad *alterum illud decus*, è felici provinciæ cujuſcujus adminiſtratione colligendum; ſive per quietem, ſive per armorum ſtrepitum: vehementer vereor, ut *Laurum* hanc *regiam*, & tam altam, decerpat juvenis nondum undevicennis; & ob hoc ipſum, hujus *Gloria* ramis attingendis, multùm infrà, quàm ætas boni rectoris exigat. Ac præter hoc: *Quomodo diverſiſſimos Aliorum mores temperet qui Suos nondum poteſt?* Sed finge tamen: & INVENTURUM te tot novos Mundos, quot vel Democritus eſſe credidit; & inventis, cum majeſtate Ius DICTURUM. quid poſt illa? Semper illáne gloria ſplendebit? nec unquam hæc cryſtallus in fragmenta ſolvetur? ſcilicet, *hi ſoli mortales, mori non ſolent?* Sin autem & ipſos communia manent fata *quid illis, in interitu, conferet grandis auctoritas?* Hoc ſolum,

ſolum, ex iſtis magnæ famæ Megaleſiis, adhuc omnes Ambitioſi retulerunt: ut dicerentur; *Aliquando* FUISSE, FLORUISSE, DECIDISSE. De multis etiam id genus hominibus, fortaſſe non falſo, nunc quoque, magnus Auguſtinus exclamaret; *Laudantur, ubi non ſunt: uruntur, ubi ſunt.* Verùm iſta quidem divini tribunalis ſunt; non humanæ cenſuræ. Sit ſanè, ſit omnibus bene, *ſupra nos! quibus bene fuit, dum viverent, Eſſe ſupra cæteros!* Sed numquid claritudinis ſuæ Solem, ſine nebulis & maculis, & ſic inoffenſis rotis, in altum provexerunt; ut is ſemper in meridie ſtaret, & Occaſu nullo mergeretur? Vide, quæſo (ſicut in præcedentibus, ſic & in hac conſideratione) noſtros illos inclytos Americarum ARGONAUTAS: qui, famæ velificati, medio curſus ſui, pelago ſunt excuſſi. Quid COLUMBIS fratribus, *Chriſtophoro, Bartholomæo, Didaco*; primis (ſi verum quærimus) & *veris Iaſonibus*, quid non debuiſſent Hiſpaniæ noſtræ? Non eſt ullum ulli dubium; quin *Omnia.* Tamen trium Pinzonum lividis criminationibus, à Bombadilla vinculis conſtricti; ſeparatis duobus navigiis (tanquam totidem fluitantibus veræ virtutis carceribus) in Caſtellam Europæam miſſi ſunt: frementibus etiam ipſis regibus; *Eſſe Reos* Tres *illos, quibus pro* tribus *trajectibus Americanis nondum, ne naulum quidem ſufficiens* præbitum, *aut gratia perſoluta forent.* Et tametſi majeſtatis abſoluti ſunt: miſerum tamen fuit; Coram Iſabella Ferdinandóque, regum exemplis, tantumnon *in catenis ſtare: miſerius, ſine cauſſa cauſſam dicere: miſerrimum, Illis, geſtorum ſuorum* (cum capitis diſcrimine)

crimine) *rationem reddere*; *quibus Inſulas ipſi regnáque dederant*. (e) At his quidem ſuum periculum, adhuc citra madidam mortem, & ſanguinem ſtetit. Triſtiùs alii ſuam adoream tinxerunt, & finierunt. *Ferdinandus Magellanes* (Freti celeberrimi rector, & retector) à ſuis inter barbaros deſertus, adverſo prælio periit. *Ioannes Ribaudus*, Gallicanæ claſſis ſupremus apud Floridam præfectus; &, aliquot littorum apertorum inclytus, regionis ac ripæ Maji fluminis primus explorator: ab noſtriſmet, immaniſſimô cultro, vivus ac ſpirans, pluſquam Perſicâ feritate, fertur excoriatus: (f) cùm ſimul & pugione cor illius transſverberâſſent. (g) *Gaſpar Cortereális*, terram ab ſe nominatam, ad ultimum Americæ Boream, indagavit; & aquis eſt hauſtus. *Michaël Cortereális*, ut ortu fratrem Gaſparem, ſic audaciâ, ſecutus; ab iiſdem poſtea fluctibus interceptus jactatur; hôc ipsô, quòd nuſquam littorum comparuit. (h) *Americus Veſputius*, Meridionalis continentis; *Alvarus Mendavius*, Inſularum Salomonis; Villalóbus, Novæ Guineæ; Michaël Lopius Legaſpes Philippinarum, excuſſores: Secundùm hos, Sebaſtianus Gabottus, Lucas Vaſcus Aillonus, Ferdinandus Corduba, Garzías Lupus, Nunnius Guſmannus, cæteríſque ſine numero; ſinguli ſingulos tractus & Inſulas patefecêre. Periêre tamen omnes: pars, naturæ lege durâ; pars potior, undis aut gladiô ſicariorum; quidam in vinculis, aut rixâ, jurgiô, ſeditionibus, civilíque Marte. Talem exitum & coronidem habuit, INVENTARUM regionum gloria; *Sepul-*

crum in aquis, aut pulveris cippum in terris?
(*i*) GUBERNATARUM autem provinciarum quæ merces? Nempe, meriti fuit ejuſdem; Incognitas Penetrare, penetratíſque Dominari. Petrus PUELLIUS, Quiti Prætor, nónne Roderici Salazaris pugionem, in lectulo ſuo transfoſſus, tanquam antelucanum Excitatorem, excepit? (k) MORALES, Hiſpanæ militiæ Dux; nónne Didaci Meneſii ſaturandis odiis, gulam laqueô præfocandam præbuit? (*l*) *Tizarri tres fratres*, infinitæ, pæneque jam regiæ potentiæ; nónne cum ſplendore, quo tenuerunt altum, devoluti ſunt in ruinam? *Franciſcus* mucrone ſeditioſorum; *Ioannes* laniatu Barbarorum; *Gonſalvus*, Numidarum ferro cervicibus incisis, Gaſcæ Prætoris imperiô. Cujus poſtremi (Gonſalvi, dico) tanta poſt mortem quoque fuit improſperitas: ut Caput, in carcere deſectum, Limam (fratris quondam regiam ac Prætorium) tranſmitteretur; columnæ marmoreæ clathratô faſtigiô ſuſpenſum, in urbis propatulo: cogeretúrque ſibi, poſt funus etiam, *quoquo modo* ſuperſtes eſſe, luctuoſa *Gloriæ* victima! Cujus ore muto, quid niſi clamabatur illud Salomonæum; VANITAS VANITATUM! & OMNIA VANITAS? (m) Quid autem de *Didaci* NIQUESA dicam? celebri quondam, & hodiéque decantatô virô? VERAGUAM inſederat, Americæ Septentrionalis Tetrarchiam; Regis auſpiciis. Verùm, ob habitam avarè provinciam, & crudeliter exercitum dominatum; etiam ab noſtris tandem undique, tanquam portentum & bellua quædam,

dam, pulſus, cum Septuaginta quinque ſuæ gentis militibus; ne fragmen quidem panis, in famis remedium, invénit. Exagitatus autem ab omnibus, conſpirante mortalitatis odio; cùm demum, omiſsis navibus, exſcendiſſet ad fluvium, neſcio quem, haud ità procul inſulâ Zorobarorum; à Barbaris Veraguanis, quos ſæpe preſſerat, oppreſſus eſt; cúmque ſuis omnibus, cæſus, diſcerptus, devoratus. Vnde nomen hodiéque, FLUMINIS PERDITORUM, amni manet; qui, niſi monimentô deteſtabilis cladis hujus, innominatus & inteſtabilis perdurâſſet. Quanquam partem hujus tragœdiæ loquitur & Vicinum nemus; cujus arbor quædam, in cortice deſcriptum retinet, hoc mœſtiſſimi commeatûs & tranſitûs Latinum teſtimonium, totidem, quot produco, verbis; HAC, MISERO FESSUS ERRORE, DIDACUS NIQVESA TRANSIIT INFELIX! *(n)* Tranſiit (verè) tranſiit Niqueſius! &, cum illo, Gloriæ tota pompa! Quiſquis deſipis, ſéquere! Quid hôc diei, tot fortiſſimorum virûm exitu, monſtroſius poteſt aut lacrymoſius? *In Terram alii Barbarorum, ad illud uſque tempus, intrârunt; propter Autum: Iſti* (dictu cruentum!) *in Barbarorum etiam Ventres & viſcera!* Recurrat igitur in ſummam ſuam oratio: dicamúſque; *Nihil eſſe Gloriam è transmarinis ſive* Repertis, *ſive* Perdomitis; *præter ventum, fugam, naufragium, cædem, interitum.* Nam certè quidem illorum, qui te præceſſerunt, non opum ſolô quæſtu, ſed rerum in orbe peregrino geſtarum magnitudine, clariſſimi; ſuo fato,

to, paucos poſt annos (& hoc, ante diem ſuũ) conceſſerunt OMNES. Vtinámque ſalvis ſaltem Animis! quos eorum nonnulli ſempiternæ maculæ flagitiis inquinârunt; geniali turpiſſimarum VOLUPTATUM indulgentiâ. Videamus tamen & iſtam illecebrarum humanæ cupiditatis partem; quæ nobis erat propoſitæ meditationis *Tertia, poſtremáque:* quid ſecum, hæc Stimuli Cupidinei VESPA, non mellis, ſed cruciatûs & vulneris & aculei lethiferi, portet?

V. OMNIS VOLUPTAS aut eſt cum honeſtate conjuncta, cúmque legibus: aut ab utriſque divulſa, flagitioſa, bruta. SI cum décore Rationēq;: peti debet ex ſola Virtute; cujus tamen nec alumnus eſt, nec approbator, MUNDUS: *quippe, totus in malitia conſtitutus.* Sin cum Opprobrio, ſecordiáque connectitur: nec cogitari quidem ab homine debet; ne dicam, amari recipíque. Nam *aut gulâ trajicitur aut parte corporis erubeſcendâ: quarum altera canalis eſt, altera conceptaculum, omnis inquinamenti*: Sororiæque ferè ſunt obſcœnitatis, & illa, quòd ſordes inchoët; & iſta, quòd in ſordes deſinat. Ad ſummam; ſive quæritur in epulis & vino; ſive petitur è ſcortis & Venere gaudium: utriuſque genii *Deus, eſt Venter*; cujus obſequii ſtudium, eſt nequitia; fructus, infamia; finis, interitus; & omnis, *in confuſione*, gloria. MORS, *Mors, intrat per utruſque januam*; & Mors quidem Animorum, ſemper, ac ſine dilatione: frequenter autem & Corporum, ſuô die. Quod, ut certiore fide capias: etiam hîc, PETRE, recentium, *Argonautarum Colchidem,*

obidem & Medeas, exitúſque, fac recorderis. *Didacus* ALMAGRUS *Major*, ille Chilæ primus cum exercitu penetrator, & æmulus Pizarræ potentiæ; concubinam (Hiſpanæ conjugiô neglectô) Panamæam, & ſcilicet, ex Americanis ſordibus, in delitiis habuit. Ex ea Didacum ALMAGRUM Minorem ſuſtulit. Ad extremum, pro lacertis amiculæ, collo laqueum accepit; Conſalvi Pizarri ſævìs imperiis in cuſtodia ſtrangulatus. (*o*) *Vaſcus Nunnius* BALBOA, Caſtiliæ, quam dicunt, AURIFERAE repertor, & inſeſſor: ne minùs impurus, quàm inquietus eſſet; poſt ſe non ſolùm rebellium caſtra, ſed & mulierculam ſecutulejam, traxit, cujus etiam indiciô, proditionem in ſe comparatam, vitavit: feliciùs, quàm durabiliùs. Etenim Soceri demum immanitate periit, ſecuri percuſſus; &, in tot pellicis noctes, ſomnum ſempiternum accepit. (*p*) *Alphonſus* HOIEDUS, maritimæ regionis ad Carthagenam Prætor; uxorem Americani Reguli, non inſcitæ formæ, perductam ad ſe, contra fas & pudorem, attinuit; &, quamquam repoſcenti marito; tanquam alieni nunc lecti, reddere detrectavit. Sed, dum armis & vi ſe credit invictum; alieno dolo patuit. Nam Reguli, ſupplicem ſimulantis, toxicatô ſpiculô, de nec proviſo ſecundùm femur ſauciatus: ac barbarici ſatellitii copiis ſuperobrutus, rapinam, præturam, vitam, damnifecit. Et quanquam, facti pœnitens, *meliùs animam egit, quàm vitam*: præſtiterat tamen; alienam nuptam ſuo thoro, quàm, injuriæ rationem divino Iudici, reddidiſſe. (*q*) *Franciſcus* PIZAR-

RUS, Peruvii pro Rege gubernator, & ſubactor; poſt tot domitas gentes, reges, & regulos; *adhuc indomitum Cupidinem retinuit.* Duarum pellicum, & in his, Sororis ATABALIBAE Regis, amplexibus inſvevit; ad uſque juſti connubii licentiam: ſuſceptis ex utraque ſpuriis. Tandem, ſuorummet concurſu, per Didacum Almagrum Minorem, & Ioannem Radam, concitato; fortiſſimè pugnans, collô gladium & mortem excepit; clamantibus, qui tumultuabantur; *I nunc! hoc habe! Vitámque, cœptam à pedo, cruentatam præliis, maculatam inſontium ſanguine, pollutam domeſticis ſtupris, hoc punčto claude! Quibúſque, tot per annos, Os impunè per ſummam impudentiam; nunc, per vindictam, etiam jugulum præbe! (r)* Sic Limæ, domíque propriæ cæſum. Venus in cubili *perdidit; cuj toties Mars in caſtris pepercerat.* Piget plurium, hujus farraginis, exemplorum: quæ tamen plura non deeſſent; ſi præſertim cum vero, nec per calumniam traditur, quod nonnulli monimentis publicis conſignatum relique runt. Id equidem, ut credam, nunquam adducar, ſed adducar tamen, ut mecum tacitus ſuſpicer; NEC *omnia de Noſtrorũ vitiis verè; nec omnia falsò, ſpargi.* Quid igitur? quâ famâ noſtrorum continentia laborat? Nempe; Primos inter AMERICARUM Occupatores, paucos admodum, aut jus prætorium dixiſſe victis, aut in nondum victos claſſem duxiſſe: quin, unius aut alterius, ſubindéque trium ac plurium, impliciti meretriciis contuberniis; per ſtuprum vel adulterium abnoctârint. Ac ne Columbianos quidem

(omnis

(omnis ARGONAUTICAE recentis principes) in totum temperâſſe ſibi claſſiarios: ſed, ſubductâ *caſtiſſimi Thalaſſarchi* ſui, CHRISTOPHORI, venerabili præſentiâ; per hanc opportunitatem, & pudorem ſimul, & abſentis reverentiam, exuiſſe. Nam, poſt COLUMBI primum in Hiſpanias regreſſum, duodequadraginta milites Hiſpanos, tradunt, relictis ſignis, AMERICANARUM pudicitiam & nuptias expugnâſſe. Quibus offenſos injuriis maritos; veterem reſumpſiſſe feritatem, adulteris ad unum omnibus trucidatis: & quidem (ut ego reor) pleriſque, flagranti deprehenſis in libidine; próque meritis, in Tartarum rectà devolutis. En, VOLUPTATUM præpoſterum ſtolidúmque delectum! En, obſcœnitatis incredibilem væcordiam; DELECTARI MOMENTO; *quò* CRUCIERIS AETERNO! Si qui, noſtrorum hominum intemperantiam palliare ſunt auſi (QUAENAM *enim cauſſa tam eſt Mala, quæ non ſui ſimilem Patronum reperiat?*) ii ſcilicet ad Auguſti *Caſaris* artes confugerunt; filiasfamiliâs deflorantis, & matronarum cubilia temerantis; ut Patrum ac Maritorum in ſe mentes exquireret. Sed DEUS ille, *qui judicabit adulteros; non diſtinguet Auguſtos: &, ſi malam rem* tenuerit, non interrogabit; Cuj *res ea* BONO fuerit? (*s*) POTENTI *manu torquebitur; quiſquis in Potentiâ peccaverit*. Nec præter meritũ. nam SI QUIS *in Regimine palàm exorbitat; is in erroris conſenſum cuncta trahit: neque ſibi ſoli, ſed populo quòque, nequam eſt*. DUM *facit ſcelus*, OSTENTAT: *&, quoties in faſtigio*

degenerat, etiam ſine voce diſertus eſt ad depravandum. DUM *enim aſpicitur, invitat: dupliciterque pellicit ad facinoris audaciam; Impunitate nempe ſceleris, & Illecebrâ turpis exempli.* Quod utinam, utinam, in expeditionibus noſtris *Argonauticis* experti non eſſemus! ut *Iaſonibus noſtris,* ſingulis ſingulas tantùm *Hypſipylas & Medeas* objectare poſſemus: ac non potiùs integros ſtuprîs infectos exercitus; totáque caſtra lue Veneris inquinata! Loquatur opprobria militiæ noſtræ, *Caximalca:* loquatur *Cuſcus,* urbs regia: *caſtráque Regis Atabaliba.* Præliô, quod ad Caximalcam, inter noſtros, & Peruvii monarcham, commiſſum eſt; adversùs infinitam barbarorum manum, tam feliciter Mars noſter pugnavit; ut, innumeris cæſis profligatíſque Peruanis, & Atabálibâ rege capto: tamen Hiſpanorum *nec unus* quidem caderet. Cùm ergo tanto Numinis favori gratiam deberent; offenſam, & ingratiſſimam mentem, repoſuerunt. Non enim contentus miles noſter, exuiſſe caſtrîs Atabálibam; &, præter ſpolia, grande fœminarum agmen in poteſtatem redegiſſe; viciniam quoque mox omnē, & Caximalcæ municipia, tanquam venatores, excutere cœperunt; ad plures ſimilis aprugnæ deprehendendas feras. Iratóque Numine factum eſt; ut in nemorale quoddam ſtagnum inciderent, vivîs aquîs pellucidum; & impendentium arborum umbrîs amœnum. In eo, velut Nymphéô, ſedebat per otium & luſum, matronarum virginúmque vis ingens; lavacro corporum, more gentis, intenta; ſtragíſque pridianæ penitùs, neque me-

metuens, neque gnara. Noſtrorum tantus fuit intemperantiæ furor; ut in eas continuò, nec ſine nobiliorum formarum delectu, facerent impetum: &, omni Chriſtiani pudoris velô poſitô, miſeras omni libidinis genere divexarent. Satìs conſtat; in hanc turpiſſimæ patientiæ ſervitutem, ad quinque millia redactas: nec, niſi quas inſignis aliqua deformitas delicatis victoribus excuſâſſet, intactas evaſiſſe. Quæ (malùm!) iſta licentiæ rabies? quæ cæci cupidinis importunitas? DEUM *nec meminiſſe* per dona *beneficum*; *neq. metuere* pro nequiter factis *ultorem*? Cujus tamen ſolius eſt; & *in altum tollere victricem aquilam: & eandem, inciſis alis, dejicere.* Quare, poſt iſtam labem, versâ bellorum aleâ, felicitas vultum mutavit: & ab noſtris ſignis ad inimica caſtra tranſivit. Statim cum Quiſquizio duce, cúmque Peruvio prope toto, labor, pugnæ, malefida victoria. Deinde Mangi regis inopina defectio: capta, crematáque Cuſcus: cæſum cum Ioanne Pizarro præſidium: & mox ipſe Mangus, cum pluſquam centum millibus armatorum, ſuperveniens; gravis & inſolens victor. Nec uſquam Hiſpanæ vires barbaro furori pares; in prælia, quaſi tempeſtate, ruentibus Peruanìs, & obvia quæque ſtrage, ſanguine, vaſtatione, flammáque miſcentibus. Nemo vel tam vetuſtis victoriis clarus, vel tam minax & irritatus recentibus cladibus, ſiſtere potuit Hiſpanicam ruinam. Non Didacus Pizarrus; quem Mangus cum ſuis omnibus occidione delevit. Non Morgovius; quem majoribus inſtructum copiis, pari ſucceſſu

Barbari maſtârunt. Non Gonſalvus Tapia, cum octoginta turmis oppoſitus: quem,cum viris equíſque conciſum,vix viderunt; & pepulerunt. Non Gaëta denique, famoſus, & bonus transmarinô bellô,dux. Non Franciſcus Godejus; nec Petrus Lerma; quinquaginta, fortiſſimorum equitum, ſtipatus alis. Erátque prorſus in arctum compacta rerum noſtrarum ſumma: nec poterat Chriſtianus hic Iſraël ante *ſuos ſtare deinceps hoſtes: quia Pollutus*, non *anathemate* furti Ierichuntini, palliſque coccinei rapinâ;ſed diſcincti pudoris ſolutâ zonâ, muliebríſque conſvetudinis ſordeſcum priſcis illis Beniaminitis. Ad extremum (quanquam admodum ſerò, deſperantéque jam Franciſco Pizarrô) virtute reſtituti ſunt ALVARADI; tanquam novi cujuſdam, ac Deo gratioris, *Ioſuæ*. (t)

Talia, PETRE, fœdiſſimarum ſunt præmia VOLUPTATUM; funeſta ſemper & exitialia: nec id in privatis modò, ſed multò magis in publicis, extra lectum juſtum,digreſſibus. *Mors ſcilicet,& Excidia*:ſingulorum pariter & univerſorum. Vt proinde, *Veſpillo* quidam *gentis humanæ* comunis, æſtimari *Cupido* poſſit:nec ſine cauſſa prudens antiquitas, unam eandémq; (ſub diſtincto nomine) Deam ſtatuerit,Venerem ac Libitinam. Quare tecum iſta ſæpius, & cum cura,retracta; BREVE *tempus eſſe Breviora gaudia*; *Longiſſimũ tormentorum ævum*. Neque tibi dixeris; *Ad me quid iſta?* Non ego *quæro vetita corporum oblectamenta. Patet honeſti thori fructibus,Connubii janua*. Vellem quidem (anime mi) vellem, intemeratum eſſet apud omnes nuptiarum fœdus!

dus! Vtinam, hujus Scyllæ communiſſimæ naufragia fugientibus, hic ſaltem portus ſemper tutus & obſeptus eſſet. Sed, ô, quàm multi ſunt; in quibus lecti fides labet, *& lex Iulia dormiat?* Quàm eſt autem proclive, *turbam in malo ſequi? quódq; Multi faciunt, etiam Vnum non horrere?* Ne cæteras matrimoniorum nauſeas in medium proferam; ipſa nauſea facit, & quotidianus faſtidiorũ aſpectus. Vt ob hoc ipſum proinde, cenſeam *Optimum*; *Nunquam mulierem vidiſſe: proximum, Non tetigiſſe; Divinum autem, Ne tangere quidem unquam poſſe*; votô conſtringente. NAM, *Quoad in ſui Libertate vagatur animus, tantiſper in diverſa* facilè *fluctuat*: tanquã in medio ſalo navigium, anchorâ nullâ revinctum. Et, quanquam fortaſſe non ſemper evertitur; perpetuò tamen impugnatur: interdúmq;, quò minimè ſuſpicabatur, impingitur. DUM enim gaudia ſibi nonnulla, velut innoxii guſtûs, ſumit; paullatim etiam noxia delibare, quaſi per tranſennam & carptim, incipit. Decerptis autem ſemel iterúmque profanîs deliciis, mens in totum effunditur; & à permiſſis ad impermiſſas cupiditates paullo momentô tranſſilit; *exiguô licitorum, illicitorúmque confiniô*. Quare *Totum*, & ad ſolidum, *amputari præſtat* ſuimet Arbitrium; quàm, tot inter illecebras, ſemper cum periculo pendére. Sive tamen inimicô Deo, ſive placatô, Mundi gaudiis uſurus es: MEMENTO, Petre, memento; denique te MORITURUM. Nam quicunque te, vel honoribus conſpicui, vel opibus affluentes, vel deliciis innatantes, anteceſsêre; tandem,

oppreſſi lege mortalitatis, eſſe deſierunt. Hi clamant nunc omnes è buſtis ſuis; *Nos præceſſimus: vos Poſteri ſubſequemini, citiùs, ſeriùs, aliquando tamen* certiſſimè. Quoniam IN TEMPORE *nihil eſſe poteſt* ÆTERNUM. Iuvenis floridus, in Pythagoræ nunc littera ſtas: & adhuc in bivio verſaris, bene maléque conſultorum; mortis ac vitæ; Salutis, & Interitûs; Cœli juxtà, formidandíque Tartari. Quocunque viſum fuerit; gradum intendes, & manum admovebis. Si verum eſt igitur, OPTIMUM *eſſe ſuæ quemque fortunæ* FABRUM; ſi, quod ſemel prudenter elegeris, habiturus es ſemper: quin tu vitæ conditionem eam aggrederis, atque cudis; quæ te, per varios quidem caſus, ſed tutiſſimâ tamen munitiſſimáque triremi, quadriremíve (putà, *Religionis Votorum*) deducat in portum: & exponat in cœli Fortunatiſſimas ac manſuras Inſulas?

VI. TALIA mecum, & his ſimilia complura, diſputabam; turbidis ac rorantibus oculis. Et, quoniam maris & procellarum continuum intuitum, jam dudum (ut RERUM OMNIUM) ſubſecuta SATIETAS erat; ex navalibus ad LIMÆ mœnia redibam: intérque regreſſûs triſtitiam, hilaritate mixtam, etiam iſta mecum, tacitâ philoſophiâ, diſſerebam: &; In NICARAGUÆ (dicebam) regno, quod Auriferam Caſtellam inter, & Novam Hiſpaniam extenditur, Rupem compérimus editiſſimam, MASAIAM nomine; Veſuvii Campani ritu, flammas immanî cum fragore vomentem. Os illius, ad bis & ampliùs mille paſſuum, ſemper hi-

ans ac diductum, innubilam, ac proinde latè conſpicuam volvit pyram; non ſine ſparſis circumquaque fulgetris. At in profundi depreſſiſſimo barathro, ſtagnum bullit, Auro liquato ſimillimum: incendii tantis ardoribus, ut ingentia cum catenis ferreis ahena, ſi quando demittantur; punctô temporis hauriat, ínque rivum vertat. Flammarum quoque (quamvis è longinquo) vis ac rapacitas, exurit omne rupis illius in ſummo ſolum, & germen. Non illic herba, non gramen, non aliquid veris æſtatíſve viret, aut auctumni prægnat. Et tamen circùm oram & margines ejuſdem Alpis, in tanta ferventis ignis propinquitate, frequens & impunè PASSERUM nidulatur ſimplicitas. *(u)*

Hic Veſuvius, hac Ætna tranſmarina (mi PETRE) *quædam eſt imago, ſi capis, Inferorum ac Gehennæ. Quid enim in illo, ſemper ardente, ſemper arſurô ſtagno, quod ſulphure fluet ac pice: quid, inquam, Aurum, quid Opes, & Voluptates omnes, erunt aliud: quàm pyra, quàm fornax, quàm incendium, nunquam extinguendum; ſi eum hu ſarcinis eò mortui deſcenderimus? Quin igitur, eis maturè relictis, calamitatem ultimam antevertimus? &* IN GEHENNAM VIVI, SPIRANTESQUE, *quotidianis intuitibus,* nos demittimus? *Immò, quippe ni cum* PASSERCULIS, *ad Inferorum crepidines habitamus? & è vicino cogitationum, rem omnium formidandorum teterrimam, aſſiduô mentis contemplatu ſpeculamur, audimus, olfacimus? ne tandem illabamur? Id fiet, in aliquo* Religioſæ Domûs *angulo latibuló-*

que; *tanquam* Nidulô. *Cum hiſce tam ſalubri-bus curis, & utili formidine, quantulum vitæ ſupereſt, exactô; Spiritus, corpore ſolutus, ſalutis ſuæ multùm ſecurus & geſtiens, evolabit: ac, cœlô receptus, prorumpet in regium illud epinicion*; ANIMA NOSTRA, SICUT PASSER, EST EREPTA, DE LAQUEO VENANTIUM!

VII. CUM *his vocibus*, & mentis fixæ decretis, in hoſpitium primò redeo; cœnáque modicâ captâ, curis indormio. Deinde poſterô, ſequentibúſque diebus aliquot, eádem cogitationum in utramque partem verſatâ pugnâ: tandem manè quodam in ſacrum introgredior *Eſſaorum domicilium*; quod illi Græcâ voce *Syllogen* nominant. Ibi cœtûs præſidem accedo, virum eximium; & *Eſſaarchi* munere planè dignum. Hujc mentem omnem, deſideriſque ſummam denudo. qui, maturæ deliberationis auditis ac penſatis rationibus; *non Animum duntaxat, ſed totum* VICTORIAM, *approbavit*. Ac principiò quidem inter *Eſſaorum* candidatos; dein, *exactis Biennii conſvetis experimentis*, inter IESU *milites veteranos* adlégit. Illic ego demum, poſt tot Marium, Inſularum, ac Regionum luſtrata miracula; poſt quattuor Orbis Partes, *Europam*, *Africam*, *Aſiam*, *Americam*, oculis ſubjectas: *Videre ſum orſus* & introſpicere, quod inter profana negotia difficillimum fuit; id eſt, MEIPSUM. Ibi, per arma, per enſem, pérque navales pugnas, & omnis generis *Argonauticam*, diu quæſitum: non in balteo, nec in ſago paludamentóve; nec in velis atque carbaſis; ſed *in*

Toga

Toga lanea VELLUS illud AUREUM, *inveni*, Cœleſtiſque planè Militiæ torquem; Conſecutus, divino munere, compendium lucrúmque, quod ex ORBE NOVO reportari ſummum poterat; exuto ſcilicet VETERE Petro, NOVUM & emendatiorem VICTORIAM.

FINIS.

AUCTORUM,

Qui in Libris Argonauticis, per alphabeti litteras indicantur,

LOCA.

LIBRI I.

Auctores.

(a) *I. Hendius, in deſcriptione Andaluſia.*

(b) *Carol. Steph. V. Canaria.*

(c) *Ioan. Metellus Iuris Conſultus, in Epiſtola, ad Auguſtinum, Epiſcopum Ilerdenſem, de mirabilibus Indicis.*

(d) *Idem Metellus. Et, Petrus Bertius in Geograph: tabulis.*

(e) *Brunnerus Annalium Boicor. Part. 1. l. 4. & Paul. Diac. l. 4.*

(f) *Quentelius Colonienſis, de Novo Orbe, impreſſus Colonia, in fol. anno* 1598. *Libro* 1. *cap.* 16. *& c.* 19.

(g) *Idem Quentelius Libro* 1.

(h) *Idem Libro* 3. *Ad tabulam Americanã* 14.

(i) *Quentelius, ad Tabulam inſula Margarita, & Cubagua.*

(k) *Idem, ad tabulam* 14. *Libro* 3. *deſcriptionum Americanarum.*

LIBRI II.

Auctores.

(a) *Arnoldus Agrippinas, Americanarum deſcriptionum, Germanicè editarum, Libro* 3. *Tabulâ* 13.

(b) *Idem, Libro* 3. *Tabul.* 13. *Et Ioannes de Laet,*

Laet, in deſcriptione Hiſpania pag. 221.
(c) Agrippinas Libro 2. cap 6. & ante eum Ioſephus A Coſta. l. 2.
(d) Quentelius Colonienſ. Libro 3. Tabul. 13. Americana Thalaſſographia.
(e) Idem, Libro 3. Tabula 11. annotationibus.
(f) Metellus Sequanus, epiſtola de mirabb. Indicis.
(g) Iodoc. Hondius, in Geograph. Hiſpaniola.
(h) Agrippinas, Libro 3. Ad tabulã 20. princip.

LIBRI III.

Auctores.

(a) Abbreviator Hugonis Linſchottani, germanicè editus per Theodoricum de Bry. Libro 1. cap. 21. & Ioſeph à Coſta, de Novo Orbe.
(b) Quentelius Colonienſ. Libro 3. in Tabulam Quivira.
(c) Acoſta de Novo Orbe. & ex eo Hugo Linſch. Libro 1. de natura Novi Orbis. Ioannes de Laet, pag. 435. Quentelius Colonienſ. Libro 3. in tabulam 20.
(d) Abbreviator Linſchotti, de natura America l. 1.
(e) Arnold. Agrippinas Libro 3. Geographia Americana, tabula ult.
(f) Iod. Hondius, in tabulam Moluccarum.

LIBRI V.

Auctores.

(a) Hieronymus Benzo, Mediolanenſis. Item Theodoricus de Bry, Libro 4. de Orbe Novo.

LIBRI VIII.

(a) Felix Fabri, in Itinerario ſuo Arabico, ad mõtem Sinai, & Sepulcrum Diva Catharina.

LIBRI

RUS, Peruvii pro Rege gubernator, & ſubactor; poſt tot domitas gentes, reges, & regulos; *adhuc indomitum Cupidinem retinuit.* Duarum pellicum, & in his, Sororis ATABALIBAE Regis, amplexibus inſvevit; ad uſque juſti connubii licentiam: ſuſceptis ex utraque ſpuriis. Tandem, ſuorummet concurſu, per Didacum Almagrum Minorem, & Ioannem Radam, concitato; fortiſſimè pugnans, collò gladium & mortem excepit; clamantibus, qui tumultuabantur; *I nunc! hoc habe! Vitámque, cœptam à pedo, cruentatam præliis, maculatam inſontium ſanguine, pollutam domeſticis ſtupris, hoc puncto claude! Quibúſque, tot per annos, Os impunè per ſummam impudentiam; nunc, per vindictam, etiam jugulum prabe! (r)* Sic Limæ, domíque propriæ cæſum, Venus in cubili *perdidit; cui toties Mars in caſtris pepercerat.* Piget plurium, hujus farraginis, exemplorum: quæ tamen plura non deeſſent; ſi præſertim cum vero, nec per calumniam traditur, quod nonnulli monimentis publicis conſignatum reliquerunt. Id equidem, ut credam, nunquam adducar. ſed adducar tamen, ut mecum tacitus ſuſpicer; NEC *omnia de Noſtrorū vitiis verè; nec omnia falsò, ſpargi.* Quid igitur? quâ famâ noſtrorum continentia laborat? Nempe; Primos inter AMERICARUM Occupatores, paucos admodum, aut jus prætorium dixiſſe victis, aut in nondum victos claſſem duxiſſe: quin, unius aut alterius, ſubindéque trium ac plurium, impliciti meretriciis contuberniis; per ſtuprum vel adulterium abſtinuerint. Ac ne Columbianos quidem

(omnis

(omnis ARGONAUTICAE recentis principes) in totum temperâſſe ſibi claſſiarios; ſed, ſubductâ *caſtiſſimi Thalaſſarchi* ſui, CHRISTOPHORI, venerabili præſentiâ; per hanc opportunitatem, & pudorem ſimul, & abſentis reverentiam, exuiſſe. Nam, poſt COLUMBI primum in Hiſpanias regreſſum, duodequadraginta milites Hiſpanos, tradunt, relictis ſignis, AMERICANARUM pudicitiam & nuptias expugnâſſe. Quibus offenſos injuriis maritos; veterem reſumpſiſſe feritatem, adulteris ad unum omnibus trucidatis: & quidem (ut ego reor) pleriſque, flagranti deprehenſis in libidine; próque meritis, in Tartarum rectà devolutis. En, VOLUPTATUM præpoſterum ſtolidúmque delectum: En, obſcœnitatis incredibilem væcordiam; DELECTARI MOMENTO; *quò* CRUCIERIS AETERNO! Si qui, noſtrorum hominum intemperantiam palliare ſunt auſi (QUAENAM *enim cauſſa tam eſt Mala, quæ non ſui ſimilem Patronum reperiat?*) ii ſcilicet ad Auguſti *Cæſaris* artes confugerunt; filiasfamiliâs deflorantis, & matronarum cubilia temerantis; ut Patrum ac Maritorum in ſe mentes exquireret. Sed DEUS ille, *qui judicabit adulteros; non diſtinguet Auguſtos: &, ſi malam rem* tenuerit, non interrogabit; Cuj *res ea* BONO fuerit? (*s*) POTENTI *manu torquebitur; quiſquis in Potentiâ peccaverit.* Nec præter meritũ.nam SI QVIS *in Regimine palàm exorbitat: is in erroris conſenſum cuncta trahit: neque ſibi ſoli, ſed populo quòque, nequam eſt.* DUM *facit ſcelus*, OSTENTAT: *&, quoties in faſtigio*

degenerat, etiam ſine voce diſertus eſt ad depravandum. Dum *enim aſpicitur, invitat: dupliciterque pellicit ad facinoru audaciam; Impunitate nempe ſceleris, & Illecebrâ turpis exempli.* Quod utinam, utinam, in expeditionibus noſtris *Argonauticis* experti non eſſemus! ut *Iaſonibus noſtris*, ſingulis ſingulas tantùm *Hypſipylas & Medeas* objectare poſſemus: ac non potiùs integros ſtuprîs infectos exercitus; totáque caſtra lue Veneris inquinata! Loquatur opprobria militiæ noſtræ, *Caximalca:* loquatur *Cuſcus*, urbs regia: *caſtráque Regis Atabalibæ*. Prœliô, quod ad Caximalcam, inter noſtros, & Peruvii monarcham, commiſſum eſt; adversùs infinitam barbarorum manum, tam feliciter Mars noſter pugnavit; ut, innumeris cæſis profligatíſque Peruanis, & Atabálibâ rege capto: tamen Hiſpanorum *nec unus* quidem caderet. Cùm ergo tanto Numinis favori gratiam deberent; offenſam, & ingratiſſimam mentem, repoſuerunt. Non enim contentus miles noſter, exuiſſe caſtrîs Atabálibam; &, præter ſpolia, grande fœminarum agmen in poteſtatem redegiſſe; viciniam quoque mox omnē, & Caximalcæ municipia, tanquam venatores, excutere cœperunt; ad plures ſimilis aprugnæ deprehendendas feras. Iratóque Numine factum eſt; ut in nemorale quoddam ſtagnum inciderent, vivîs aquîs pellucidum, & impendentium arborum umbrîs amœnum. In eo, velut Nymphéô, ſedebat per otium & luſum, matronarum virginùmque vis ingens; lavacro corporum, more gentis, intenta; ſtragíſque pridianæ penitùs, neque me-

metuens, neque gnara. Noſtrorum tantus fuit intemperantiæ furor; ut in eas continuò, nec ſine nobiliorum formarum delectu, facerent impetum: &, omni Chriſtiani pudoris velô poſitô, miſeras omni libidinis genere divexarent. Satìs conſtat; in hanc turpiſſimæ patientiæ ſervitutem, ad quinque millia redactas: nec, niſi quas inſignis aliqua deformitas delicatis victoribus excuſâſſet, intactas evaſiſſe. Quæ (malùm!) iſta licentiæ rabies? quæ cæci cupidinis importunitas? DEUM *nec meminiſſe* per dona *beneficum*; *neq. metuere* pro nequiter factis *ultorem?* Cujus tamen ſolius eſt; & *in altum tollere victricem aquilam: & eandem, inciſis alis, dejicere*. Quare, poſt iſtam labem, versâ bellorum aleâ, felicitas vultum mutavit: & ab noſtris ſignis ad inimica caſtra tranſivit. Statim cum Quiſquizio duce, cúmque Peruvio prope toto, labor, pugnæ, malefida victoria. Deinde Mangi regis inopina defectio: capta, crematáque Cuſcus: cæſum cum Ioanne Pizarro præſidium: & mox ipſe Mangus, cum pluſquam centum millibus armatorum, ſuperveniens; gravis & inſolens victor. Nec uſquam Hiſpanæ vires barbaro furori pares: in prælia, quaſi tempeſtate, ruentibus Peruanis, & obvia quæque ſtrage, ſanguine, vaſtatione, flammáque miſcentibus. Nemo vel tam vetuſtis victoriis clarus, vel tam minax & irritatus recentibus cladibus, ſiſtere potuit Hiſpanicam ruinam. Non Didacus Pizarrus; quem Mangus cum ſuis omnibus occidione delevit. Non Morgovius; quem, majoribus inſtructum copiis, pari ſucceſſu

Barbari maſtàrunt. Non Gonſalvus Tapia, cum octoginta turmis oppoſitus: quem, cum viris equiſque conciſum, vix viderunt; & pepulerunt. Non Gaëta denique, famoſus, & bonus tranſmarinô bellô, dux. Non Franciſcus Godejus; nec Petrus Lerma; quinquaginta, fortiſſimorum equitum, ſtipatus alìs. Erátque prorſus in arctum compacta rerum noſtrarum ſumma: nec poterat Chriſtianus hic Iſraël ante *ſuos ſtare deinceps hoſtes: quia Pollutus*, non *anathemate* furti Ierichuntini, palliíque coccinei rapinâ; ſed diſcincti pudoris ſolutâ zonâ, muliebríſque conſvetudinis ſorde; cum priſcis illis Beniaminitis. Ad extremum (quanquam admodum ſerò, deſperantéque jam Franciſco Pizarrô) virtute reſtituti ſunt ALVARADI; tanquam novi cujuſdam, ac Deo gratioris, *Ioſuæ*. (V)

Talia, PETRE, fœdiſſimarum ſunt præmia VOLUPTATUM; funeſta ſemper & exitialia: nec id in privatis modò, ſed multò magis in publicis, extra lectum juſtum, digreſſibus. *Mors ſcilicet, & Excidia*: ſingulorum pariter & univerſorum. Vt proinde, *Veſpillo* quidam *gentis humanæ* comunis, æſtimari *Cupido* poſſit: nec ſine cauſſa prudens antiquitas, unam eandémq; (ſub diſtincto nomine) Deam ſtatuerit, Venerem ac Libitinam. Quare tecum iſta ſæpius, & cum cura, retracta; BREVE *tempus eſſe Breviora gaudia*; *Longiſſimũ tormentorum avum*. Neque tibi dixeris; *Ad me quid iſta? Non ego quæro vetita corporum oblectamenta. Patet honeſti thori fructibus, Connubii janua*. Vellem quidem (anime mi) vellem, intemeratum eſſet apud omnes nuptiarum fœdus!

dus! Vtinam, hujus Scyllæ communiſſimæ naufragia fugientibus, hic ſaltem portus ſemper tutus & obſeptus eſſet. Sed, ô, quàm multi ſunt; in quibus lecti fides labet, *& lex Iulia dormiat?* Quàm eſt autem proclive, *turbam in malo ſequi? quódq; Multi faciunt, etiam Vnum non horrere?* Ne cæteras matrimoniorum nauſeas in medium proferam; ipſa nauſea facit, & quotidianus faſtidiorū aſpectus. Vt ob hoc ipſum proinde, cenſeam *Optimum*; *Nunquam mulierem vidiſſe: proximum, Non tetigiſſe; Divinum autem, Ne tangere quidem unquam poſſe*; votô conſtringente. NAM, *Quoad in ſui Libertate vagatur animus, tantiſper in diverſa* facilè *fluctuat* tanquā in medio ſalo navigium, anchorâ nullâ revinctum. Et, quanquam fortaſſe non ſemper evertitur; perpetuò tamen impugnatur: interdúmq;, quò minimè ſuſpicabatur, impingitur. DUM enim gaudia ſibi nonnulla, velut innoxii guſtûs, ſumit; paullatim etiam noxia delibare, quaſi per tranſennam & carptim, incipit. Decerptis autem ſemel iterúmque profanis deliciis, mens in totum effunditur; & à permiſſis ad impermiſſas cupiditates paullo momentô tranſſilit; *exiguô licitorum, illicitorúmque confiniô.* Quare *Totum,* & ad ſolidum, *amputari præſtat* ſuimet Arbitrium; quàm, tot inter illecebras, ſemper cum periculo pendére. Sive tamen inimicô Deo, ſive placatô, Mundi gaudiis uſurus es: MEMENTO, Petre, memento; denique te MORITURUM. Nam quicunque te, vel honoribus conſpicui, vel opibus affluentes, vel deliciis innatantes, anteceſsêre; tandem,

oppreſſi lege mortalitatis, eſſe deſierunt. Hi clamant nunc omnes è buſtis ſuis ; *Nos præceſſimus : vos Poſteri ſubſequemini, citiùs, ſeriùs, aliquando tamen* certiſſimè. Quoniam IN TEMPORE *nihil eſſe poteſt* ÆTERNUM. Juvenis floridus, in Pythagoræ nunc litteræ ſtas : & adhuc in bivio verſaris, bene maléque conſultorum ; mortis ac vitæ; Salutis, & Interitûs; Cœli juxtà, formidandíque Tartari. Quocunque viſum fuerit ; gradum intendes, & manum admovebis. Si verum eſt igitur, OPTIMUM *eſſe ſua quemque fortunæ* FABRUM ; ſi, quod ſemel prudenter elegeris, habiturus es ſemper : quin tu vitæ conditionem eam aggrederis, atque cudis ; quæ te, per varios quidem caſus, ſed tutiſſimâ tamen munitiſſimáque triremi, quadriremíve (putà, *Religionis Veterum*) deducat in portum : & exponat in cœli Fortunatiſſimas ac manſuras Inſulas ?

VI. TALIA mecum, & his ſimilia complura, diſputabam ; turbidis ac rorantibus oculis. Et, quoniam maris & procellarum continuum intuitum, jam dudum (ut RERUM OMNIUM) ſubſecuta SATIETAS erat ; ex navalibus ad LIMAE mœnia redibam : intérque regreſſûs triſtitiam, hilaritate mixtam, etiam iſta mecum, tacitâ philoſophiâ, diſſerebam : & ; In NICARAGUAE (dicebam) regno, quod Auriferam Caſtellam inter, & Novam Hiſpaniam extenditur, Rupem compérimus editiſſimam, MASAIAM nomine ; Veſuvii Campani ritu, flammas immani cum fragore vomentem. Os illius, ad bis & ampliùs mille paſſuum, ſemper hi-

ans

ans ac diductum, innubilam, ac proinde latè conſpicuam volvit pyram: non ſine ſparſis circumquaque fulgetris. At in profundi depreſſiſſimo barathro, ſtagnum bullit, Auro liquato ſimillimum; incendii tantis ardoribus, ut ingentia cum catenis ferreis ahena, ſi quando demittantur; punctô temporis hauriat, ínque rivum vertat. Flammarum quoque (quamvis è longinquo) vis ac rapacitas, exurit omne rupis illius in ſummo ſolum, & germen. Non illic herba, non gramen, non aliquid veris æſtatíſve viret, aut auctumni prægnat. Et tamen circùm oram & margines ejuſdem Alpis, in tanta ferventis ignis propinquitate, frequens & impunè PASSERUM nidulatur ſimplicitas. *(u)*

Hic Veſuvius, hæc Ætna tranſmarina (mi PETRE) *quædam eſt imago, ſi capis, Inferorum ac Gehennæ. Quid enim in illo, ſemper ardente, ſemper arſurô ſtagno, quod ſulphure fluet ac pice: quid, inquam, Aurum, quid Opes, & Voluptates omnes, erunt aliud: quàm pyra; quàm fornax, quàm incendium, nunquam extinguendum; ſi eum his ſarcinis eò mortui deſcenderimus? Quin igitur, eis maturè relictis, calamitatem ultimam antevertimus? &* INGEHENNAM VIVI, SPIRANTESQUE, *quotidianis intutibus,* nos demittimus? *Immò, quippeni cum* PASSERCULIS, *ad Inferorum crepidines habitamus? & è vicino cogitationum, rem omnium formidandorum teterrimam, aſſiduô mentis contemplatu ſpeculamur, audimus, olfacimus? ne tandem illabamur? Id fiet, in aliquo* Religioſæ Domûs *angulo latibulóque;*

que; *tanquam* Nidulô. *Cum hiſce tam ſalubribus curis, & utili formidine, quantulum vitæ ſupereſt, exactô; Spiritus, corpore ſolutus, ſalutis ſua multùm ſecurus & geſtiens, evolabit: ac, cælô receptus, prorumpet in regium illud epinicion;* ANIMA NOSTRA, SICUT PASSER, EST EREPTA, DE LAQUEO VENANTIUM!

VII. CUM *his vocibus*, & mentis fixæ decretis, in hoſpitium primò redeo; cœnáque modicâ captâ, curis indormio. Deinde poſterô, ſequentibúſque diebus aliquot, eádem cogitationum in utramque partem verſatâ pugnâ: tandem manè quodam in ſacrum introgredior *Eſſaeorum domicilium*; quod illi Græcâ voce *Syllogen* nominant. Ibi cœtûs præſidem accedo, virum eximium; & *Eſſaarchi* munere planè dignum. Huic mentem omnem, deſiderîſque ſummam denudo. qui, maturæ deliberationis auditîs ac penſatis rationibus; *non Animum duntaxat, ſed totum* VICTORIAM, *approbavit.* Ac principiò quidem inter *Eſſaorum* candidatos; dein, *exactis Biennii conſvetis experimentis*, inter IESU *milites veteranos* adlégit. Illic ego demum, poſt tot Marium, Inſularum, ac Regionum luſtrata miracula; poſt quattuor Orbis Partes, *Europam, Africam, Aſiam, Americam*, oculis ſubjectas: *Videre ſum orſus* & introſpicere, quod inter profana negotia difficillimum fuit; id eſt, MEIPSUM. Ibi, per arma, per enſem, pérque navales pugnas, & omnis generis *Argonauticam*, diu quæſitum: non in balteo, nec in ſago paludamentóve; nec in velis atque carbaſis; ſed *in*

Toga

Toga lanea VELLUS illud AUREUM, *inveni*, Cœleſtíſque planè Militiæ torquem: Conſecutus, divino munere, compendium lucrúmque, quod ex ORBE NOVO reportari ſummum poterat; exuto ſcilicet VETERE Petro, NOVUM & emendatiorem VICTORIAM.

FINIS.

Late, in deſcriptione Hiſpaniæ pag. 221.

(c) *Agrippinas Libro 2. cap 6. & ante eum Ioſephus A Coſta. l. 2.*

(d) *Quentelius Colonienſ. Libro 3. Tabul. 13. Americana Thalaſſographia.*

(e) *Idem, Libro 3. Tabula 11. annotationibus.*

(f) *Metellus Sequanus, epiſtola de mirabb. Indicis.*

(g) *Iodoc. Hondius, in Geograph. Hiſpaniola.*

(h) *Agrippinas, Libro 3. Ad tabulã 20. princip.*

LIBRI III.

Auctores.

(a) *Abbreviator Hugonis Linſchottani, germanicè editus per Theodoricum de Bry. Libro 1. cap. 21. & Ioſeph à Coſta, de Novo Orbe.*

(b) *Quentelius Colonienſ. Libro 3. in Tabulam Quivira.*

(c) *Acoſta de Novo Orbe. & ex eo Hugo Linſch. Libro 1. de natura Novi Orbis. Ioannes de Late, pag. 435. Quentelius Colonienſ. Libro 3. in tabulam 20.*

(d) *Abbreviator Linſchotti, de natura America l. 1.*

(e) *Arnold. Agrippinas Libro 3. Geographia Americana, tabula ult.*

(f) *Iod. Hondius, in tabulam Moluccarum.*

LIBRI V.

Auctores.

(a) *Hieronymus Benzo, Mediolanenſis. Item Theodoricus de Bry, Libro 4. de Orbe Novo.*

LIBRI VIII.

(a) *Felix Fabri, in Itinerario ſuo Arabico, ad mõtem Sinai, & Sepulcrum Divæ Catharinæ.*

(n) *Agrippinas, Tabula 10. Geographia Americana.*

(o) *Quentelius Colonienſis, in deſcriptione Novæ Hiſpaniæ. Licèt hu contraria ſcribat Philippus Cluvierius, Libro 1. Introduct. Geograph. Capite de 4 Circulis minoribus, & de zonis. Sed ab aliis conſenſu refutatur.*

(p) *Idem Quentelius, Libro 3. Geogr. Americana, Tabula 9.*

(q) *Idem ibidem, med. & ante fin.*

(r) *Metellus Sequanus, epiſt. ad Ilerdenſem Epiſcopum.*

LIBRI XIV.

Auctores.

(a) *Arnoldus Agrippinas, in Tabulam 18. Libro 3. Geograph. Americana.*

(b) *Idem in Tabulam 18. à medio, Libro 3.*

(c) *De Suris abſectis, Ioan. Metellus, ad Auguſtin. Ilerd. De terramotibus verò, Quentelius Tabula Americana Geograph. 18. Libro 3.*

(d) *Ioannes Sequanus in epiſt. de mirabb. Indicis.*

(e) *Agrippinas Tabula 19. deſcriptionũ Americ.*

(f) *Vide Tabulam Americæ Meridionalis Iod. Hondii.*

(g) *Agrippinas in deſcriptione Peruvii, Libro 3. Americ. Geograph.*

(h) *Ioannes Sequanus, epiſt. ad Auguſtin. Ilerdenſem.*

(i) *Ioannes Lerius, Burgundus, in navigatione ſuâ Americanâ, Capite XI.*

(k) *Quentelius Colonienſ. in Tabul. 15. deſcriptionum Americanarum.*

(l) *Hieronymus Benzo, Mediolanenſis, Libro 3. de Novo Orbe, cap 20.*

(m) *Ab-*

(m) *Abbreviator Hugonis Linſchottani, de natura Novi Orbis, libro* 1. *pag.* 17. *&* 33.

(n) *Ælius Spartianus, in vita Antonini Caracalli.*

(o) *Hugo Linſchottanus: & interpres illius Germanicus, Ioann. Humbergerus Wetteravius. libro* 6. *de morali hiſtoria India Occidentalis. cap.* 19. *Item, Hieronym. Benzo. l.* 3. *de Novo Orbe. capite* 20.

(p) *Ioannes Metellus in epiſtola ad Auguſtin. Ilerdenſem, cit.*

(q) *Hugo Linſchottanus Libro* 6. *de morali Hiſtoria India Occident. cap.* 22.

(r) *Hieronym. Benzo Mediolan. Libro* 3. *de Novo Orbe, c.* 5.

(s) *Idem Benzo ibidem, cap. eod.*

(t) *Hugo Linſchottanus Libro* 6. *moralis Hiſtoria de Ind. Occid. cap* 23.

(u) *Idem Libro eodem, cap.* 23. *& R. P. Iacobus Vaſquezius S. I. in epiſtola, data ex urbe Iulenſi. anno* 1601.

LIBRI XV.

Auctores.

(a) *Thomas Harlottus, Britannus, in deſcriptione Virginia, tabula* 42.

(b) *Ioann: Sequanus, epiſt. ad Ilerdenſem, de mirabilib. Indicis, & Benzo. Libro* 4. *c.* 12.

(c) *Theodoricus de Bry, Commentario in librum* 4. *Hieronymi Benzonis, Tabula* 20.

(d) *Hieronymus Benzo, Libro* 4. *de Novo Orbe, capite* 25.

(e) *Annotator in opera Hieron. Benzon. in Librum* 4. *cap.* 12.

(f) *Quentelius, Deſcriptionum Geographicarum America, Libro* 3. *in fine.*

(g) *Oſeas Halenius, Libro de expeditionibus tribus maritimis.*

(h) *Arnold. Agrippinas Geograph. Americana Libro 3. in Tabulam, 4. 7. 18. & 20.*

(i) *Idem, ibidem, in Tabulam 20.*

(k) *Ioannes Benzo, Parte 2. Americanarum rerum.*

(l) *Idem Ioannes Benzo, ibid. tabula 19.*

(m) *Commentator Ioannis Benzonis, in Partis 2. Librum 3 cap. 5.*

(n) *Hieronymus Benzo, Libro 4. cap. 22. vel in eum potiùs, Gloſſa illius, ſeu Commentator.*

(o) *Ioannes Benzo Parte 2. l. 3. cap. 7. rerum Americanarum.*

(p) *Idem ibidem.*

(q) *Hieronym. Benzo, de Novo Orbe Libro 4. cap. 19.*

(r) *Idem Libro 3. cap. 8. Tabula 15. apud Theodoricum à Bry.*

(s) *Commentator in Libros 4. Hieronymi Benzonis, cap. 27. ubi memoratur, annis 14. moratus in America.*

(t) *Theodoricus de Bry, Leodienſis, Tabula 8. America, in Librum 3. Hieronymi Benzonis. & ipſe Benzo Libro 3. de Novo Orbe, capite 6.*

(u) *Ioannes Metellus Sequanus, epiſt. ad Auguſtinum Ilerdenſ. de mirabilib. Indicis.*

R. P.

R.P. PHILIPPI ALEGAMbe Bruxellenſis, è Societate Jesu,

In Bibliotheca *Scriptorum ejuſdem Societatis*,

Testimonium,

De Commentariolo Petri *de* Victoria.

Petrus Goveus de Victoria, natione, ut equidem exiſtimo, Hiſpanus: qui, cùm è naufragio, quod in Peruano mari fecit, evaſiſſet incolumis; circa Annum Salutis M.DC.X. Societati ſe noſtræ addixit. Scripſit, linguâ Hiſpanicâ, Navigationem & naufragium ſuum, in littore Peruano, &c.

Facul-

Facultas R. P.

PROVINCIALIS.

LIbros XV. ARGONAUTICÔN *Americanorum, ſive, Hiſtoriam Periculorum* PETRI *de* VICTORIA, *ab* JOANNE BISSELIO, *Societatis* JESU *Sacerdote, conſcriptam, & à deſignatis cenſoribus perlectam approbatámque; Ego* LAURENTIUS KEPPLER, *ejuſdem Societatis per Superiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, juxta factam mihi poteſtatem ab Admodum R. P. N. Generali,* VINCENTIO CARRAFA, *luci publicæ typíſque permitti concedo. Conceſsionis verò hujus fidem meâ manu, conſuetóque muneris mei Sigillo, facio. Eberſpergæ Bojorum, 22. die Martii, Anno Chriſti M. DC. XLVII.*

LAURENTIUS
KEPPLER.

SÆculi noſtri, quotidie delicatiori cupidine *pragnantis, pica* jam vulgaris eſt; ut Operis cujuſcunque *Syllabum* appetat, & Elenchum: nec ullus facilè *Partus* ingeniorum, ſe publico committat, quin continuò clametur; UBI nomenclator, & INDEX eſt? Non repertò; cum nauſea, Liber vadere foras jubetur. Id adeò non vitio magìs, quàm jure ſuo, facere ſibi vulgus videtur: &, per me, ſanè faciat! Sed certè, ſervandum ſaltem Brevitatis temperamentum, ſciat. Nam Operi quidem exiguo, magnam Indaginem apponere; quid eſt id aliud, quàm pumilo nares, ac (quæ vocant) PERSPICILIA dare, TOTI corpori paria? Vel Statuis compitalibus, itinera monſtrātibus, tam longum, quàm ipſa via ſit, digitum induere? vel, per tenebras dirigendæ Naviculæ, non Lampada facémve, ſed totam Pharon & littus, accendere. Denique, clariùs ut dicam, NON INDICEM IN LIBRO, SED LIBRUM IN INDICE téxere? Quare, ſalvum quidem eſto ſuum cujque judicium! Equidem Argonauticis meis faculam addam curtiſſimam, quadrigeminâ Synopſi digeſtam: ad quam, qui volent, aſpiciant intuitu brevi, MEMORABILIORA, NARRATIONES, DESCRIPTIONES, ORATIONES. His, ſi libet, acquieſcant; ac fruantur. Quòd ſiquis, ſuper hæc, nihilominus adhuc Copioſiſſimū, & OMNIA complexum, Catalogum efflagitaverit; & in hoc Solo tali Syllabo totus fuerit: is aut petaciorem ſe, quàm ſtudioſiorem; aut herclè præpoſterum, oſtendet: ut, qui Libri mei lectionem à PEDIBUS ordiri, quàm à CAPITE, malit.

ARGO-

ARGONAUTICŌN AMERICANORUM INDEX.

MEMORABILIORA.

A.

ADULTERI milites, à Barbaris oppreſsi, paginâ 463.
Alfingeri, fratres Auguſtani, in America occiſi. 453.
Alpium Peruvli altitudo immenſa, 429.
Amazones in America, novæ. 50.
Anglicanæ naves, Hiſpanam inſequuntur, pag. 177. 178. 179.
Anglorum Piratarum audacia, 179. 180. 181.
Aranei grandiſsimi, 427.
Arbor roſcida in Inſula Ferrâ, 14. 15.
Arborum in ramis habitantes, ac bellantes, 422.
Arundines Americanæ, Vexúri dictæ, 106. & alibi ſæpe.
Arundines Americanæ, alterius generis, ad pocula aptæ, 358.
Atabálibæ, Regis Peruani, in fratrem rebellio, 439. Ejus inceſtus & ſævitia, 440. Clades & captivitas, 441. Lytrum, pro eo comportatum, Ibid. Accuſatio de proditione, occaſione Concubinæ, 442. Mors indigna, Ibid.
Auguſti Cæſaris in nummo effigies, 63. med.
Avicula minima, pulcherrimorum colorum, 427. 428.
Avicula minima, coloris candidi, & canora, 428.
Aurea ædificia, 437. 438.
Auro necati, 451. 452.

B.

BALBOAS, unus è Victoriæ Sociis, 136. & ſeq. Ejus mors & interitus, 137. 138. Ejuſdem mali mores, 138. & 139.
Bezuáres lapis unde? & quomodo inventus ab Hiſpanis, 430.
Bufonum pluviæ; & ex his dapes, 427.

C.

CASTELLUM Aureum, 68. 69.
Cedrinæ trabes ingentes, 407.
Cervical dormientis funeſtum, 231.
Chriſtianus fit, nepos Regum Peruanorum, 444. Panchiacus Regulus, 66.
Cibus, è Cancris crudis, 170. 249. E Cancris & limacibus crudis, 170. E ſerpentibus grandibus, 412. 427. E colubro grandi (ſuper quo contentio) 326. 327. 328. 329. 330.
Clypeus ſuper caſulam nemoralem. 106.
Columborum fratrum indigna Captivitas, & periculum, 456. & 457.
Concubina, Regi Peruano fit occaſio mortis, 442.
Cornu caprinum, pro vomere, 13. 14.

X Crocodili

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Crocodili comeſtiles, 407.
Crocodili pelle, contecta caſula, 106. 107.

D.

DEVORANTES ſua membra, 421.
Didaci Niqueſæ, & militũ ejus, interitus luctuoſus, 458. & 459.

E.

EXERCITÛS libidinoſi, deterrimus ſucceſſus, 464. 465. 466.

F.

FERTILITAS miranda tritici & ſiliginis, 62. 63.
Fertilitas jactæ cujuſcunque ſementis, mira, 424.
Fœminarum ingens multitudo, in lavacro capta, & oppreſſa, 464. 465.
Formicæ prægrandes, 282. 283.
Frigus aſperrimum & paradoxum, 418. Milites congelati, 419. 420.
Fructus arborum, inſtar clypei: & eorum cortices, ſitim quomodo pepulerint? 253. 254.

G.

GIGANTUM Puteus, 404. Eorundem libidinis pœna, 405.
Granum Auri, pretii maximi, naufragiô merſum, 452.
Gryphes; ubi? 401.
Guanacaxæ, Regis Peruani, potentia, magnificentia, opes, & aurea ædificia, 437. 438. Ejuſdem funus ſuperſtitioſum: & ſepultura aurea, 438.
Guaſcaris, Peruani Regis, clades, captivitas, mors, 439.

H.

HISPANIOLAE fertilitas mira, 62.

I.

INCESTus in matrimonia verſus, 435. 436.
Ingarum, Regum Peruvii, origo, & tyrannis, ac mores fœdi, à pag. 434. ad 437.

M.

MEXICUM, urbs omnium maxima, 408. Quot domuum? & quot olim urbibus incincta? 408. à Tlaſcalanis Civibus æmulis, atque ab Hiſpanis, expugnata everſáque. 409. 410.
Mexicani victi, theſauros demergunt, 416.
Monoceros animal, 81.
Mortes variæ variorum. Alfingerorum fratrum, 453. Alfonſi Hoiédi, 461. Conſalvi Pizarri cædes ignominioſa, 458. Didaci Niqueſæ Prætoris, 458. 459. Franciſci Bombadillæ, 451. Franciſci Draci Angli, 298. Franciſci Pizarri, 462. Ioannis Ribaudi, Galli, 457. &c.

N.

NAUFRAGIUM Bombadillæ & Sociorum, cum omnibus opibus, 451. 452.
Navium Europæarum conſpectus primus, conſternat Americanos, 78. 72.

O.

OPES regni Peruani, & Americæ meridionalis, quis primus Hiſpanis retexerit? 68.
Ova, & pulli ſub ſarmento, ſubſidium famis, 204.
Oves Indicæ, 397.

P.

PANCHIACI, Reguli Americani, in reprehendendis avaris libertas, 66. 67.
Paradiſus Mahometis, 403. Paradiſi Vallis, 62.
Paſſerum copia, 202. 203.
Paſſeres, ad Ignis viciniam degentes, 469.
Patellæ Malacaicæ, margaritis permutatæ, 24.
Philippellus, neophytus libidinoſus, & perfidus ſui Regis delator, 442.
Philippinæ Inſulæ, 83. Earum Inventores, 83 84. Earundem opulentia, & margaritæ, 84.
Plumarii operis, apud Peruanos, ſollertia, ac præſtantia, 429.
Proceritas Quiquenſium, ſeu Chicenſium: & eorum celeritas, vox, &c. 422.
Proceritas Patagonum populorum, 423.
Proditorum præmia, 16. de meretrice. & 430. de puero.
Pulices magni, numeroſi, importuniſsimi, 279. 280.
Puteus Gigantum, 404.

R.

RADICES arborum, cibus ac potus fiunt, 237.
Raptus Alienæ conjugis, cauſſa mortis, 461.
Regia Tatarraxi, regis Quiviræ; ejúſque opes & gloria, 80.
Rupes, Maſſaja nomine, flammivoma, 405. & 468. 469. Ejuſdem comparatio nonnulla cum Inferno, 469.
Rupes & ſcopuli ſerrati: eorúmque tranſiliendorum neceſſitas, ac grande periculum, 187.

S.

SACCHARI Cannæ in Hiſpaniola Inſula, ponderoſiores, 62.
Scalæ, labor, multitudo, &c. effodientium metallum, in monte Potoſino, 386. 387.
Scopæ dactylinæ, 417.
Scotorum piratarum fortitudo, 46.
Sepulcrum, & ſandapila, aurea. 438.
Serpentes grandes, Guabiniquinaci, qui devorant quadrupedes, 327.

Serrati ſcopuli plurimi, V. Rupes & ſcopuli.
Siliquæ venenoſæ, & viatoribus Hiſpanis mortiferæ, 147. 149. 150. 151.
Smaragdifodinæ, 396.
Socii Petri de Victoria, variè extincti, 250.
Socii Victoriæ Novem, ab reliquis divulſi, 251. Quo exitu? 353. uſque ad 366.
Spinæ Americanæ, 238. Vulnera per eas atrocia, Ibid. & pag. 239. 240. Magnitudo earum, 244. Medicamen vulneris illius geminum, 244. 245. 246.
Stagnum in ſummo monte, admirandum, 63. 64.

T.

TEMPLUM Deiparæ, ab Argonautis erectum & dedicatum, 266.
Terræ motus horribiles, 421.
Theſaurorum Mexici Sepulcura, 416.

V.

VALLIS, & in ea lacus Cajóna, formidabilis, & mirandus, 64.
Vallis lapidum rotundiſsimorum, 412.
Venetovela, ſeu Valentiola, munitio in rupe excelſa, 50. 51. 52.
Vexúri, genus arundinum, 106. & ſæpe alibi. V. Arund.
Via prorſus invia, facta pervia, 377. 378.
Viæ Duæ ſtratæ, urbis Cuſci, admirandæ, 432. 433.
VICTORIA ſolvit ex Hiſpania in Americam, 7. Intereſt pugnæ Navali, contra Scotos, 45. Delabitur è ſcopulis ſerratis, in voraginem aquoſam, & profundam, 189. In periculoſo flumine ſervatur à Deo, patrocinio Deiparę, 263. 264. 265. Volucribus tabo reſolutis veſcitur, 324. 325. 326. Colubrum grandem opprimit; & cum Sociis partitur, ac devorat, 326. 327. 328. 329. 330. Sepulcrum ſibi conchylio effodit, 335. 336. Et effoſſum ſubit, 337. Religionem S. I. ingreditur, 470.
Vicunnæ, ſeu Guanaci, quadrupedes ſylveſtres: ex quibus lapis, ſeu Gemma Bezuaris, 430.
Vultures maximi, boophagi, 427.

VV.

VVELSERORUM hypotheca in America: ejúſque Procuratores, 51. 52. & 453.

NAR-

NARRATIONES.

De Almagro Didaco, in Chilam penetrante: ejúſque milit ia frigore deletâ, 419. 420. De ejus morte, 461.
De Americæ primo ac genuino Inventore, 390. 391. Americo Veſputio, 393.
De Apro Americano interfecto, & conſumpto, 173. 174. 175. 176. 177.
De Apoſtata Mauro-Hiſpano, Regulo, 361. uſque ad 366. De ejuſdem Filio, ejúſque comitibus, prædonibus nefariis: & Hiſpanorum ſpoliatione, 347. uſque ad 361.
De Aquatoribus Tribus, interceptis & mactatis per Anthropophagos, 320. & 321.
De Aria forti & induſtrio; Crudeli tamen, in nece generi ſui, 377. & 378.
De Atabáliba, Rege Peruano: ejúſque genere, vita, moribus, captivitate, interitu, à pag. 439. uſque ad pag. 442.
Breves Narratiunculæ complures, à pag. 451. uſque ad Cap. 6. libri 15.
De Christophoro Columbo, repertáque Inſulâ Cubagua, margaritiferâ, à pag. 22. uſque ad pag. 28. incluſ.
De eodem Columbo, 391. 392.
De Companeroſæ, Iuvenis optimi, moribus, vita, morbo ſupremo, exceſſu, & ſepultura, à pag. 209. uſque ad pag. 234.
De Ferra, ſeu Ferrea Inſula, unâ ex Fortunatis: ejúſque Roſcida Arbore. De Inſulæ Proditione, Hiſpanis factâ. 14. 15. 16.
De Flumine difficillimo, ſuperato ope Beatiſsimæ Virginis; poſt amiſſos digreſſu nemorali Socios, à pag. 255. uſque ad 265.
De Ingis, Peruvii Monarchis, à pag. 434. uſque ad fin, lib. 14.
De Mango, Rege Peruvii, ejúſque victoriis, & clade, 442. 443.
De Militum libidine, & ejus peccati pœnis, 464. 465. 466.
De Navium, in vaſto mari dirigendarum, variis modis, 17. 18.
De Panamae urbis origine, & primo ejus conditore, Vaſco Nunnio Valboa, 65. 66. 67. 68. 69. ubi ſimul,
De Panchiaco, Regulo Americano, Ibid.
De Piſcatoribus Quattuor Americanis, captis, & libertati reſtitutis, à pag. 298. uſque ad 306.
De Pomis venenatis, in nemore repertis; & incautè, cum damno, devoratis, 109.

De Pugna inter Piratas Anglos, & navim Hiſpanorum Panamæam, 308 309.
De Peruvii motibus; & duobus fratribus, de Monarchiæ poſſeſsione dimicantibus, 439.
De Pugna navali, inter Scotos & Hiſpanos; déque incitamentis, & præparatione ad eam, à pag 30. uſque ad 48.

DESCRIPTIONES.

AMERICAE generatim, 389. 393. uſque ad 398.
Americæ Meridionalis, 415. per totum lib. 14.
Americæ Septentrionalis, 400. per totum lib. 13.
Arborum, in modum tabernaculorum, pag. 211.
CANIBALUM, gentis ferociſsimæ, 48. 49.
Conſeſsûs & colloquii ad amœnum rivum, 172. 173.
DESCENSûs difficillimi, proni & ſpinoſi, 237. 238.
ELUVIONIS ſeu Inundationis, 284. & 310.
FICTI Pontificis, 356. 357.
Fluminis Bætis, & ſitûs ei adjacentis, 7.
Fluminis, diſtincti glebis herbidis, & periculoſi, 145. 146. 148. &c.
Fluminis, cognomento Grandis, ſeu Amazonici: ejúſque oſtii ingentis, 52. & 53.
Fluminis vaſti & periculoſiſsimi, 249. 250.
Fluminis, prætexti vaſtiſsimis ſcopulis, & virgultis prævestiti, 269. 270. 271.
Fluminis, cujus ripæ, & ora amœniſsima: cum nemore & fructibus peregrinis, 252. 253.
Fontis limpidi 113.
Fontis fœdi & limoſi, 318. 319.
INSOMNIAE pertinacis, 231. 232. 233.
INSULARUM ſequentium,
Cubæ, 411. 412.
Cubaguæ, 20. 21.
Ferræ, 14.
Fortunatarum, 12. 13.
Hiſpaniolæ, 61. 62. 63. 64.
Iamaicæ, 61. & 412. 413.
Margaritarum Inſ. 20. & 21.
Itineris, per altiſsimas Alpes, 207. 208.
Per arbuſtum Spinoſum, 314. 315.
Per Alpes & valles, 171. 172.
Itineris amœni, 118. 119.
Itineris difficilis, 111. 112. & pag. 122. 123.

Itineris difficillimi, per arenas, coticulis inſtratas, & ſupra rupium vertices, ſaltu ſuperandos, 186. 187. 188.
LACUUM duorum, 382.
Lætitiæ inſolitæ famelicorum, repertis alimentis: & eorum voracitatis, 204. 205. 206.
MARIS Atlantici, ſpeciei & intuitûs, 10.
Mexici (maximè, Veteris,) 407. 408.
Mexici Novi, 410. 411.
Miſeri, & malis undique circumſeſsi hominis, 240.
Montis Potoſsii, & fodinarum ejus, 382. à fin. & 383. uſque ad 388.
NAVIS inutilis & ineptæ, 77.
PRAEPARATIONIS ad pugnam, 32. 33.
Pugnæ cum apro, 175. 176.
Pugnæ navalis inter Scotos & Hiſpanos, à pag. 41. uſque ad pag. 47.
REGIONUM diverſarum, ut
Chicæ regionis, ſeu Quiquæ, 421. 422.
Chilæ, 418. & 421.
Darienæ, 416. & 417.
Hiſpaniæ Novæ, 406. 407.
Peruvii, generatim, 423. 424.
Peruvii Montani, 426.
Peruvii Tramontani, 426. 427.
Rupis Maſſajæ, ſemper ardentis, 404. & 468. 469.
SACERDOTIS optimi & feſtivi, 276. 277. & ſæpe alibi.
Solitudinis nocturnæ, in voragine; in quam illapſus Victoria, 192. 194.
Speluncæ horridæ, in ſolitudine, 334.
TEMPESTATIS maritimæ, 85. 86.
Tranſitûs difficillimi, per adverſum flumen, ſuſpenſis ab arbuſto corporibus peracti, 273. 274. 275.
VESTITÛS barbarici Reguli, 348. 349.
Veſtitûs pediſequorum & pediſequarum Americanarum, 350. 351.
Viarum ſtratarum (quarum unius maxima elegantia & amœnitas,) 432. 433.
Vrbis Cuſci, 431. 432.
Vrbis Limæ, 380. 381. 382.
Vrbium Panamæ & Nombredioſæ, 58. 59. 60.

ORATIONES.

ADHORTATORIA, Ad Inſcium natationis; ut periculoſiſſimo flumini ſe committat, ſine ullis adminiculis, 258. 259. 260.

Adhortatoria & Animatoria, cum conſolatione; ne animus deſpondeatur in doloribus, 243. 244. & pag. 367.

Adhortatoria & Animatoria (ad mortem fortiter ac piè excipiendam) in ipſa mortis viciniâ & luctâ, pag. 226. 227.

Adhortatiuncula ſuiipſius, ad crebram & ſeriam Inferni meditationem, 469. 470.

Adhortatoria Sacerdotis ad Socios profanos: ut ſibi venerationem inſolitam exhibeant, 354. 355.

CONSULTATIO, ſeu Deliberatio, ſuper vitæ ſtatu meliore, & ſecuriore, deligendo, à pag. 449. uſque ad pag. 470.

Conſultatio, qua deliberat ſecum Victoria, num cum Pedioſa Socio & amico, defatigato, in ſolitudine permaneat? 165. 166. 167.

DEFENSORIA ſui, ſeu Apologeticus brevis; Cur Digreſsio fuſior in Hiſtoria facta? 446. 447. 448.

Dehortatoria ab itinere difficili & Spinis implexô, 316.

Dehortatoria; Ne Adoleſcenti nobili & generoſo mandedetur gynæcéi cuſtodia, 37. 38. 39.

Deprecatoria, Petri Victoriæ ad Laurentium Roam avunculum; ne is ſe à profectione Peruana cupiat impeditum, 56. & 57.

Diſſertatio Problematica; cur Quieſcentibus, Ambulatio repetita difficilior accidat? 132.

Diſſertatio, Quomodo primùm Cibi ſalutares à noxiis diſtingui ſint cœpti? 152 153. 154. 155.

Diſſertatiuncula; cur Somnus, quamvis maximè cupientibus, & indigis, non ſuccedat? 232.

Diſſuaſoria ad Adoleſcentulum tenerum ac nobilem; ne ad tranſmarinas regiones naviget, 4. 5.

Diſſuaſoria ad Socios, itineris pedeſtris pertæſos; ne dimiſſam (vt voluerant) navim repetant: ſed terrâ pergant, 128. 129.

EXHORTATORIA, per Epiſtolam, ad Hiſpanos; ut perſequantur Scoticos piratas; certamine navali commiſſo, 30. 31.

Exhortatoria, ad adoleſcentem; ut, declinato prælio, gynæceum Hiſpanorum cuſtodiat, 36.

Exhortatoria Pedioſæ ad Petrum Victoriam, cum petitione importuna & invidioſa; ut ſecum in loco ſolitario permaneat; nec ſe deſtituat, 160. 161. 162. 163. 164.

Exhortatoria, ad Patientiæ perſeverantiam, 167. 168.
Exhortatoria, ad mortem fortiter ab adoleſcente excipiendam; unà cum mortis denunciatione, 72. 73.
Exhortatio & Excitatio ſuiipſius ad alacritatem animi, & malorum tolerantiam., 115. 116. 117. 118.
INVECTIVA, in Avaritiam, & Auri Idololatriam, 67.
Invectiva, in profanè viventium mores, generatim, 449. 450.
Invectiva in ſtudium nimium Divitiarum, à pag. 449. uſque ad pag. 454.
Invectiva in Ambitionem Honorum, 454. uſq; ad pag. 459.
Invectiva, in Studium Voluptatum (maximè inhoneſtarum,) à pag. 460. uſque ad pag. 468.
Invectiva in Perfidum navis gubernatorem, & ejus conſilia, de comportando commeatu, 90. 91.
Invectiva in magiſtratus, libidine perditos, 463. 464.
Invectiva, in Milites, & alios privatos, Veneri obnoxios, 465. 466. uſque ad 468.
Invectiva in Proditores, 16.
Invocatio Deiparæ, per votum; ut ſibi in fluminis periculoſiſsimi tranſitu præſtò ſit, 261. 262. 263.
PETITORIA ægrotantis, & moribundi Companeroſæ, ad Victoriam, ſodalem ſuum: ut ſibi præſtò ſit, 313. &c. Ejuſdem ad eundem preces, ut Sacerdotem accerſat, 214.
SUASORIA, ad tranſeundum flumen periculoſiſsimum, cum ejuſdem Suaſoriæ Diſſuaſoria, 272. 273.
Suaſoria, ad iter difficillimum, periculoſiſsimúmque, de integro relegendum, 289. 290.
Suaſoria Laurentii Roæ, ad Victoriam, Sororis filium; ut, omiſsâ profectione Peruanâ, ſecum Carthagenæ maneat, 54. 55. Cujus Diſſuaſoria mox ſubjungitur, 56. 57.
Suaſoria naucleri Panamæi fraudulenta, ad Vectores; ut commeatum & annonam omnem comportent, ſuæque ſolius fidei committant, 87. 88. 89. 90.
Suaſoria ejuſdem Panamæi naucleri, ad Vectores ſuos; ut eorum dimidium, relictâ navi, terrâ pergant; & ignotum oppidulum quærant, 96. 97. 98.
Suaſoria Navarchi Hiſpani, viri boni, & captivi, ad Captivos Piſcatores Americanos; ut ſeipſos ſervituti Anglorum eripiant, 301. 302. Ejuſdem Suaſoriæ Refutatio per Captivos, ſubjungitur, 302. 303. Mox & Refutationis Refutatio adnectitur, 303. 304.
Suaſoria, ad Socios defatigatos: ut, omiſſo tandem itinere pedeſtri, in navim dimiſſam ſeſe recipiant, 127. 128. Cujus Diſſuaſoria mox ſubnectitur, 128. 129.

Suaſoria,

Suaſoria, ad veſtes ponendas, in ſummo licèt gelu nocturno, & ſub ipſo dio . 277. 278.
Suaſoria, ad reſumendas veſtes, verecundiæ cauſsâ, 285.
VALEDICTORIA morientis Companeroſæ, ad Petrum Victoriam, Sodalem & Amiciſsimum ſuum, à pag. 218. uſque ad pag. 225.

Ad ORATIONES *porrò reducuntur etiam*

ΠΑ´ΘΗ,

Seu, AFFECTUS; *velut Orationum Anima.*

AFFECTUS, ſeu PATHOS, Animam jam agentis, & Iudicem Deum formidantis, 336. 337.
Complorationis miſeriæ viatorum, & eorundem interitûs, 184. 185.
Complorationis, pereuntium in aſpectu ſuo, Sociorum naufragorum, 232.
Deliberantis apud ſe; Num, inſcius omnis natationis, periculoſo flumini profundóque, ſeſe committat? 260. 261.
Deplorantis ſeipſum in grandi vulnerum dolore ſenſúque, & agmine variorum malorum, 240.
Deplorantis præmaturum ſuum obitum; déque vitæ præteritæ erroribus dolentis: ac Iudicium futurum metuentis, 73. 74. 75. 76.
Deplorantis Solitudinem ſuam, & ſibimetipſi indignantis, ob amiſſos culpâ ſuâ Socios ac Ratem, 257. 258.
Dolentis, conquerentis, ac pæne deſperantis, ob vulneratum atrocibus ſpinis corpus, 242.
Faſtidientis vitam, 334.
Lætitiæ affectus, ex conſpectâ Cruce, Catholici Chriſtianiſmi ſymbolo, 371.
Pœnitudinis, ob deſertam Matrem, 224.
Pœnitudinis, ob relictum avunculum, ejúſque preces repudiatas, 74.
Pœnitudinis, de relicta Patriâ, terríſque peregrinis quæſitis, 114. 115.
Sollicitudinis, pro navi, & vectoribus Hiſpanis; qui periclitabantur à Piratis Anglicis, 182. Et Solatii interim, ex propria ſua ſecuritate, 183.
Terroris & conſternationis, ac mœroris in Solitudine, apud Cadaver Socii, modò extincti, 228. 229. 230. 232.
Triſtitiæ, ob Patriam & matrem relictam, identidem animo recurſantis, 8. 9.
Triſtitiæ, in voragine aquoſa; in quam delapſus fuerat Victoria, 192. 193.

A*Cugnias*, Dux militum Hiſpanus, in pugna contra Scotos.

Andaluſia, regio Hiſpaniæ meridionalis, pars Bæticæ. al. Andaluzia, & olim VVandaliæ.

Atabaliba, Rex Peruvii, fili' Guanacaxæ regis.

Batica, regio Hiſpaniæ meridionalis. al. Granatæ regnum.

Balboas, Iuvenis Hiſpanus: unus è Sociis Petri Victoriæ.

Caſtilia, vel *Caſtella Aurea*, & *Aurifera*: regio Americæ, ad littus meridionale maris Atlantici.

Companeroſa, unus è Sociis Petri Victoriæ, mortuus in itinere.

Cumanas, Regulus Inſulæ Cubaguæ.

Dariena, Provincia Americæ meridionalis, ad mare Atlanticum.

Franciſcus Pizarrus, Marchio, & Prorex Limæ in America.

Guanacaxa, Rex ditiſſimus Peruvii, in America.

Guaſcar, Rex Peruvii, filius Guanacaxæ, frater regis Atabalibæ.

Hiſpalis, urbs primaria, in Hiſpania Bætica, ſeu Andaluzia, hodie, *Sevilla*, *Sevilia*, *Sivilia*, & *Sibilia*.

Hiſpania Nova, regio ampliſſima, in America Septentrionali.

Hiſpaniola, Inſula Americæ Septentrionalis, in mari Atlantico.

Iamaica, Inſula Americæ Septentrionalis, in mari Atlantico.

Inga, nomen eſt certæ cujuſdam proſapiæ; ex qua continenti ſucceſſione regnatū eſt in Peruvio, uſque ad Hiſpanorum adventum.

Lima, urbs regia Peruvii, ad littus Orientale maris Zurii.

Manta, portus & urbecula Americæ Septentrionalis, ad littus Septentrionale maris Zurii.

Margarita, Inſula Americæ Septentrionalis, in mari Atlantico.

Matilina, al. *Matalina*, & *Matinina*, Inſula Americæ

mericę Septentrionalis, in mari Atlantico.
Marrocchium, urbs & regnũ Africæ Occident.
Matera, Inſula maris Atlantici, ſupra Fortunatas, ad Septentrionem.
Mexicum, urbs & regnum Americæ Septentr.
Neſtor, unus è comitibus navigationis Victorianæ, Senex.
Nicaragua, regio Hiſpaniæ Novæ, in America Septentrionali, ad mare Zurium.
Nombrediosa, urbs & portus Americæ Septẽt. ad littus meridionale maris Atlantici.
Pánama, urbs & portus Americæ meridionalis, ad littus Septentrionale maris Zurii.
Panchiacus, regulus provinciæ Darienæ, in America meridionali.
Pedioſa, unus ex Sociis & cognatis Victoriæ.
Peruvium, regnum Americæ meridionalis.
Portus Vetus, oppidulum & portus Americæ, Septentr. ad littus Boreale maris Zurii.
Potoſium, urbs, & mons argentifodinis celeberrimus, in America meridionali, & regno Peruvii.
Quivira, regnum Americæ Septentrionalis.
Quiſquizius, Dux militiæ ſupremus regis Peruani, Atabálibæ.
Roas, avunculus Petri de Victoria, nobilis Hiſpanus, & militum Ductor.
Sevilia, urbs Hiſpaniæ Bæticæ, olim Hiſpalis.
Tatarraxus, rex Quiviræ, in America Septẽtr.
Thalaſſia, urbecula, à Victorianis quæſita; nec inventa.
Valboa, Dux Hiſpanæ militiæ in America.
Zurium mare, vulgò *de Zur* vel *Sur*, & *Paciſicum*, in America ad Occidentem.

Corrige.

Pag. 371. v. 22. & hymnis. l. & hymnis aliis

Digitized by Google